D^g 5
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
1 B
28
M
9-4.e.28

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non ſolùm ad Hiſtoriam, ſed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS QUINTUS

Complectens duo Eccleſiæ ſæcula Decimum tertium, & Decimum quartum.

AUCTORE

FR. IGNATIO HIACYNTHO
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Fratrum Præd.

ROMÆ MDCCXIX.
Apud Franciſcum Gonzagam.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE
VITTORIO EM. BIBLIOTECA IN ROMA
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

Digitized by Google

NOS FR. ANTONINUS
CLOCHE

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſervus ſalutem.

TEnore præſentium noſtrique auctoritate Officii licentiam facimus Reverendo admodum Patri Fratri *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon* in Sacra Facultate Pariſienſi Doctori ac in Collegio Caſanatenſi Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ noſtræ Provinciæ Alumno typis edendi Opus in plures Tomos diſtributum, cui titulus eſt: *Hiſtoria Eccleſiaſtica variis Colloquiis digeſta, &c.* dummodò prius approbatum fuerit à duobus Ordinis noſtri in Theologia Magiſtris, & aliis ſervatis de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 8. Martii 1717.

Fr. Antoninus Cloche
Magiſter Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Fr. Bernardus d'Arcet Magiſter, & Socius,

Regiſtr. fol. 79.

DUobus verbis comprehendi poteſt munus ejus, qui lucubrationibus ſuis de litteraria republica quàm optimè ſtudet promereri: Videndum enim eſt, quid doceat, & quomodò. Prius illud eam vim habet, curandum eſſe ei, primùm ut vera doceat; Tùm ut propria ejus argumenti, in quo verſatur, aut certè cum eo quod agitur, conjuncta & cohærentia. Modus autem pulchrè ſcribendi is eſt, ut perſpicuè ſcribat, quod duabus rebus conficitur, ordine, & genere ſermonis ad res enodandas & enucleandas accommodato. Hæc omnia qui præſtet, ut in ſcribendo & vera tradat, & pertinentia ad argumentum quod verſat, & ea diſtinguat, ut ſuo quodque loco digerat ac collocet, & verbis propriis, ſignificantibus, ab eorum qui purè ac nitidè loquuntur conſuetudine haud abhorrentibus, ei ego nihil omninò ad eximii authoris laudem deeſſe ſtatuo, digniſſimumque eſſe puto, cujus honeſtiſſimos conatus, & induſtriam ad præclara tendentem bonorum omnium perpetuus applauſus approbatioque comitetur. Has boni Scriptoris partes implet Rev. P. *Fr. Ignatius Hyacinthus Amat De Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Collegii Caſanatenſis Theologus, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ variis Colloquiis digeſtæ Author. Unde poſt anteriorum voluminum Commendationem noſtram, hoc quod hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV. complectitur, dignum omninò publicâ luce, ac eruditorum cognitione judico, cùm nihil in eo nec à recta fide, nec à bonis moribus alienum ſit, ſed totum variæ, reconditæque eruditionis plenum, multamque præferat verborum elegantiam, & rerum copiam. Datum Romæ VI. Kalendas Octobris anno 1719. in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam.

Fr. Antonius Bardon in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus, & Catedraticus Caſanatenſis, Ordinis FF. Prædicatorum.

Supre-

SUpremi Ordinis noſtri Archimandritæ mandatis obſequuturus, quintum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen à Clariſſimo Viro *Fr. Ignatio Hiacyntho Amat De Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore,& Collegii Caſanatenſis Theologo elucubratum, datâ operâ perluſtravi. Quo quidem in Opere, tantùm abeſt, ut quidpiam offenderim, quod ſive Ariſtarchi grave ſupercilium, ſive mordacem *Zoili* linguam pertimeſcat, ut potiùs omnia,quæ ad exactam accuratamque decimi tertii, & decimi quarti Eccleſiæ Sæculorum Hiſtoriæ notitiam faciunt, præclaro certè ordine digeſta poſitaque invenerim. Iſtud præterea in præſtantiſſimo Concinnatore, tùm olim, tùm præſertim impræſentiarum haùd ſemel obſervavi,quod meo equidem judicio vel maximam laudem promereatur: Is ſcilicèt inter obſcuritatem & prolixitatem incedens, atq; Regiam captans viam,claritatem cum brevitate ſummâ prudentiâ,ſummoque ſtudio componit: Id quod Lectorem, mirum quantùm rapiat, neminem latere puto. Nam, ut pulchrè monet *Hugo à Sancto Victore*: lectio duobus modis animo faſtidium ingerere ſolet, & affligere ſpiritum. Et qualitate, videlicet, ſi obſcurior fuerit: & quantitate, ſi prolixior extiterit. In quo utroque magno uti moderamine oportet: ne quod ad refectionem quæſitum eſt, ſumatur ad ſuffocationem. Quocircà, cùm Opus hujuſmodi nihil demùm contineat, quod ſanæ doctrinæ dogmatibus, & Chriſtianæ Moralis documentis non ſit conſentaneum, ut in Theatrum litterarium prodeat, dignum omninò cenſeo. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die 25. Septembris, Anni 1719.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

T. Epiſcopus Heracliæ Vicesgerens.

APPROBATIO
D. LEANDRI DE PORZIA
Abbatis Sadrenſis.

Ordinis Sancti Benedicti, Sac. Indicis Congregationis Conſultoris, necnon S. Officii Qualificatoris.

JUſſu Reverendiſs. P. Gregorii Selleri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri perlegi librum inſcriptum: *Hiſtoria Eccleſiaſtica &c.* Tomus Quintus: Cùmque illum invenerim quolibet nomine, laude, & publica luce digniſſimum, ideò cenſeo typis vulgandum, ut ex hoc Opere litteraria Reſp. ejus commodi acceſſionem percipiat, quod ex aliis à celeberrimo Authore exaratis & editis hucuſque percepit. Romæ ex Ædibus Sancti Caliſti die 26. Septembris anno 1719.

D. Leander de Porzia Abb. Sadrenſis Congr. Conſu.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

Digitized by Google

INDEX COLLOQUIORUM

Quæ continentur

IN HOC QUINTO TOMO.

COLLOQUIA

In Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculorum XIII. & XIV.

COLLOQUIUM I.

De ſtatu, ſeu loco, quo erant res Eccleſiæ Sæculis XIII. & XIV. tàm in Oriente, quàm in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis. pag. 5.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur Series Epiſcoporum, qui Illuſtriores Eccleſiæ Sedes Sæculis XIII. & XIV. tenuerunt. 73.

COLLOQUIUM III.

De Hæreſibus & Controverſiis, quæ Sæculis XIII. & XIV. enatæ ſunt in Eccleſia. 161.

COL-

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis tàm Oecumenicis, quàm Nationalibus, in quibus gliſcentes Sæculis XIII. & XIV. Hæreſes fuerunt damnatæ, & reſtituta eſt Eccleſiæ Diſciplina. 261.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus, qui doctrina, vitæque Sanctimonia Sæcula Eccleſiæ XIII. & XIV. illuſtrarunt. 367

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina Fidei, de Diſciplina tàm Eccleſiaſtica, quàm Monaſtica, & de Ethices Chriſtianæ Doctrina, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia obtinuit. 471.

HISTO-

HISTORIA
ECCLESIASTICA
Sæculorum XIII. & XIV.
Variis Colloquiis digeſta.

HISTORIAM Eccleſiaſticam Sæculorum XIII. & XIV. continuâ ſerie deſcribemus, quia Eccleſia in utroque Sæculo graviſſimis turbis atque diuturnis bellis miſerum in modum fuit funeſtata. At enim, Sæculo decimotertio occaſione diſſidiorum, quæ Romanos Pontifices inter & Imperatores non rarò emerſerunt, duæ in Italia infenſiſſimæ excitatæ ſunt factiones, videlicet *Gibellinorum*, qui ab Imperatoribus ſtabant, & *Guelphorum*, qui obtentu tuendi jura Pontificum acerrimè decertabant. Hæ duæ armatæ factiones tot clades, funera, perfidias, parricidia, & ſacrilegia invexerunt, ut tota Italiæ facies ſuorum diſcerpta manibus, ſuis convulſa ſedibus, & populorum mutuis cœdibus in ſe irruentium ubique ſanguine inundata cerneretur. Nec minùs Eccleſiæ fatalis fuit gravis illa diſſenſio, quæ eodem Sæculo XIII. *Bonifacium VIII.* Pontificem Maximum inter & *Philippum pulchrum* Galliarum Regem vehementer exarſit, ut nihil in præſentia dicam

de *Veſperis Siculis*, ſeu de occulta illa, & poſt hominum memoriam crudeliſſima conſpiratione, quâ Siculi octo millia Gallorum inermium, nihilque minus cogitantium die xxx. menſis Martii, in quam eo anno, ſeu MCCLXXXII. incidit Dominica Reſurrectio, abſque ullo ætatis, ſexusve diſcrimine, immaniter trucidarunt, & Siculas mulieres, quæ de Gallis conceperant, pluſquàm Scythicâ barbarie exenterarunt, ut, excuſſis earum fœtibus, nihil prorſus Francici ſeminis in Sicilia ſupereſſet. Tot turbas Sæculo XIII. excitatas cumularunt Hæreſeon procellæ, quibus jactata eſt Eccleſia, præcipuè Albigenſium, qui bello flammâque in Catholicos atrociter ſævientes, nonniſi bello ſacro, ac multorum profuſo ſanguine in ordinem redigi, atque penitùs exterminari potuerunt. His haud levioribus malis & calamitatibus ſequenti Sæculo, ſeu decimoquarto, exagitata eſt Eccleſia. Romanæ ſiquidem Sedis per *Clementem V.* Pontificem Maximum in Gallias translatio, quam Itali appellavêre *Babylonicam*, quòd LXX. annos duraverit, Orbem Chriſtianum conturbavit. Acceſſit inſuper Italorum diſcordia concitata Florentinorum diſſidiis, Longobardorum Regulorum bellis, *Ludovici Bavari* Imperatoris Schiſmate, *Petri de Corbaria*, ſeu *de Corvario* Franciſcani Antipapæ intruſione, Gibellinorum & Guelphorum factionibus, *Ochami* tumultibus, *Begnardorum*, *Beguinarum*, & *Vvicleffiſtarum* exitioſis peſtibus, quibus tandem cumulum omnium malorum addidit nefandum illud Schiſma, per quod poſt mortē *Gregorii XI.* Papæ Chriſtianus Orbis ſub incerto Capite per quadraginta annos diviſus eſt, uno videlicet Pontifice Romæ, altero

Ave-

Avenione ſedente. In tam alto tot bellorum, Hæreſum, diſcriminumq;pelago Eccleſia Sæculis XIII. & XIV. variis fuit agitata procellis,& tantùm non fluctibus operta, nunquam tamen divinâ opitulante providentiâ demerſa eſt, ſed potiùs eò magis emicuit Summorum Pontificum, Paſtorum, & Doctorum in remigando labor, quò proximius periculum imminebat. Sævas bellorum tempeſtates in optatam tranquillitatem convertit Deus Optimus Maximus. Obortas Hæreſes Romani Pontifices in Conciliis, Doctores ſuis eruditis Operibus,& Principes Chriſtiani ſacris bellis feliciter obtriverunt. Poſtremò, acceſſit ad fidei victoriam & fidelium ſolamen pietas in Occidente renovata per novos religioſos Ordines, qui in honorem Dei & firmiſſimum Eccleſiæ præſidium Sæculis XIII. & XIV. excitati, collapſam vitæ Regularis diſciplinam, & ſolidam pietatem in Clauſtris jam ipſâ ſenectute labantem repararunt, quorum ingentes fructus non ſolùm in Sanctis *Thoma Aquinate*, & *Bonaventura*, aliiſque Luminibus claruerunt, verùm etiam in tutandis, ac vindicandis Sedis Apoſtolicæ juribus haud parvo adjumento fuerunt. Hæc omnia, quæ ad Hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV. ſpectant, brevitate cum claritate conjunctâ, juxtà methodum nobis à principio præſcriptam in ſex Colloquiis expendemus, & in his nihil, quod ad Sanctæ Eccleſiæ publicam adminiſtrationem, dogmata & diſciplinam pertinet, omittemus; nullam Hæreſim, nulla Concilia Generalia, Nationalia, aut Provincialia intacta relinquemus; Romanorum Pontificum, ac præcipuarum Eccleſiæ Sedium Epiſcoporum, necnon Imperatorum cùm Orientis, tùm Occidentis,

& Regum Chriſtianorum ſucceſſiones ac nobiliora geſta referemus; illuſtriorum Virorum Opera, & Ordinum Regularium inſtitutiones atque in Eccleſiam promerita indicabimus; uno verbo, omnia, quæ in Hiſtoria utriuſque Sæculi vel ſcitu utilia, vel lectu delectabilia exiſtimabimus, ſummatim attingemus in noſtris Colloquiis, in quorum primo oſtendemus, quo loco Sæculis XIII. & XIV. eſſent res Eccleſiæ tam in Oriente, quàm in Occidente, ſub Imperatoribus & Principibus Chriſtianis. In altero dabimus ſeriem Epiſcoporum, qui illuſtriores Eccleſiæ Sedes tenuerunt. In tertio recenſebimus Hæreſes, quæ Sæculis XIII. & XIV. ex orco prodierunt, & Eccleſiam infeſtarunt. In quarto diſſeremus de Conciliis, tum Oecumenicis, tum Nationalibus, in quibus vel ſerpentes Hæreſes damnatæ ſunt, vel reſtituta fuit collapſa Eccleſiæ diſciplina. In quinto Illuſtrium Virorum, qui doctrinâ, vitæq; ſanctimoniâ magnum Eccleſiæ ſplendorem conciliarunt, Opera examinabimus. In ultimo Colloquio Doctrinam Fidei, Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quàm Monaſticam, & Moralem Chriſtianam utriuſque Sæculi XIII. & XIV. perſtringemus.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM

De ſtatu, ſeu loco, quo erant res Eccleſiæ Sæculis XIII. & XIV. tam in Oriente, quàm in Occidente ſub Imperatoribus, & Principibus Chriſtianis.

DISCIPULUS. RES Eccleſiæ peſſimo loco in Oriente decimotertio Sæculo fuiſſe, facilè conjicio ex triſti, infauſtoque exitu, quem tot à Latinis Crucefignatis contra Saracenos ſuſceptæ in Oriente Expeditiones habuerunt ob perfidiam, & æmulationem Græcorum Imperatorum, qui Latinos exoſi, nec eorum auxiliis, nec armis ad ſaniorem mentem revocari potuerunt, ſed potiùs, per ſummam & à ſæculis inauditam ingratitudinem, illis ad Terram Sanctam recuperandam ſuppetias ferentibus occultas pararunt inſidias, & ſocietatem cum Saracenis inire maluerunt, quàm eorum exſcindere tyrannidem ſuis cervicibus imminentem. Verùm, quò magis perſpectam habere poſſim Hiſtoriam Byzantinam, & pleniorem aſſequi notitiam rerum, quæ ab Imperatoribus Orientis XIII. Sæculo geſtæ ſunt, neceſſe eſt, ut reſumamus in præſenti Colloquio ſeriem Imperatorum Orientis, quam in Colloquio I. in Hiſtoriam duodecimi Sæculi perduxiſti uſque ad Imperatorem *Alexium IV.* Iſaacii Angeli filium, qui à patruo ſuo *Alexio III.* tyranno in carcerem detruſus, & ex eo dilapſus confugit ad Venetos, & à Crucefignato Latinorum exercitu fuit anno mille-

ſimo ducenteſimo tertio Imperio reſtitutus, patremq;ſuum *Iſaacium Angelum*,qui à fratre ſuo *Alexio* tyranno exauctoratus & excæcatus in carcerem conjectus erat, inde extraxit, ſibique Collegam factum gubernaculis Imperii rursùm admovit.

MAGISTER. Orientale Imperium variis decimotertio Eccleſiæ Sæculo turbis ac diſſenſionibus Græcorum concuſſum, venit tandem in poteſtatem Francorum, qui eo per ſpatium quinquaginta ſeptem annorum,trium menſium & undecim dierum potiti ſunt. Franci ſiquidem cum Venetis fœderati Conſtantinopolim ceperunt die XII. Aprilis anni MCCIV. & Imperium Orientis obtinuerunt uſque ad diem XXV. menſis Julii anni MCCLXI. quo Michaël Palæologus Græcorum Imperator Latinos Regiâ urbe ejecit,& Orientale Imperium ipſis ereptum ad Græcos revocavit, ſicut fusè deſcribitur in *Hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Imperio Francorum*, quam Gallico idiomate ex Scriptoribus coævis, præſertim ex *Gunthero*, & *Godefrido Villarduino* Campaniæ & Romaniæ Mareſchallo, concinnavit clariſſimus *Carolus Du Freſne Du Cangius*, ex quo pauca nunc deflorabo, quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam Byzantinam, & texendam ſeriem Imperatorum Orientis multùm conducere poſſunt.

Junior *Alexius* hujus nominis *IV*. Orientis Imperator, *Iſaacii Angeli* filius, anno milleſimo ducenteſimo tertio à Francis cum Venetis fœderatis captâ urbe Conſtantinopoli, & expulſo *Alexio* tyranno, reſtitutus Imperio, ſupremam in Oriente, unà cum patre *Iſaacio Angelo*, dominationem obtinuit, ſed eam diù non retinuit. Orta quippè eſt Conſtantinopoli anno milleſimo ducenteſimo quarto

to atrox ſeditio Græcos inter & Latinos, cujus præcipuus author fuit *Alexius Ducas*, ob conjuncta, & imminentia ſupercilia *Murtzulphus* cognominatus, qui, cùm eſſet ingenii ſubdoli, & animi capeſſendi Imperii impotenti cupiditate flagrantis, juniori *Alexio* Imperatori ac benefactori ſuo ingratus malè rependit vicem. At enim, cùm tumultuans populus adoleſcentem *Nicolaum Canabum* inauguraſſet Imperatorem, inſignis proditor ille *Alexius Ducas*, dum ſive dolore rerum præſentium, ſive,ut creditum eſt, veneno potatus animam ageret *Iſaacius Angelus*, pater junioris *Alexii* Imperatoris, ſub ſpecioſo obtentu juniorem *Alexium* Imperatorem eripiendi è manu furentis plebis, eum nihil diffidentem in carcerem conjecit, Orientale Imperium invaſit, moxque vincto, & cuſtodiæ tradito *Nicolao Canabo*, qui, ut mox diximus, à tumultuante plebe Imperator ſalutatus fuerat, eò crudelitatis prorupit, ut junioris *Alexii* Imperatoris, quem bis in carcere veneno fruſtrà tentaverat, propriis manibus fauces laqueo fregerit,ſicque arreptam tyrannidem confirmare auſus fuerit. At non permiſit Deus, ut ſceleſtus ille tyrannus *Alexius Ducas* Imperium, quod tam injuſtè & crudeliter ſibi arrogaverat, diù occuparet. Prælium ſiquidem,præviâ Imagine Beatæ Virginis,quam Græci νικοποιὸν, ſeu *Victoriæ effectricem*, appellitare ſolebant, cum Francis Cruceſignatis committere auſus, tam infelici marte pugnavit, ut Græci cæſi fugatique victoriam amiſerint & ſacram Imaginem B.Virginis, quam ab Orientis Imperatoribus *Joanne Zemiſce*,& *Joanne Comneno* olim curru triumphali poſt adeptas victorias deferri ſolitam eſſe, jam in

præcedentibus Colloquiis obſervavimus . Latini tam proſpero belli exitu animati,& præeunte Imagine B. Virginis,quę à Græcis ad ipſos tranſierat,in ſpem ulterioris conſequendæ victoriæ erecti , actutùm communi conſilio viribusque Conſtantinopolim regrediuntur , eamque denuò terrâ marique adorti , brevi temporis intervallo expugnant die XI. menſis Aprilis anni MCCIV. ſicut fuerat quibuſdam Oraculis antehàc prænunciatum , quæ legi poſſunt apud *Henricum Spondanum* Continuatorem Baronii ad annum MCCIV. Hanc urbis Conſtantinopolitanæ direptionem à Latinis factam , Sacrorum profanationem, aliaque ſcelera in ejuſmodi urbium expugnationibus patrari contra fas juſtumque ſolita tragicè deſcribit , ac ultrà modum exaggerat *Nicetas* . Sed profectò mirum videri haud debet , quòd hic Scriptor Græcus in Schiſmate pertinax , & inexpiabili in Eccleſiam Romanam odio actus, Latinos tot probris oneraverit , totque horrenda flagitia eis affinxerit . *Nicetæ* itaque hac in re teſtimonium , utpotè viri græcæ , ac ſubleſtæ admodum fidei, contemni meritò debet . Non negaverim tamen aliquot ſcelera & ſacrilegia in hac urbis Conſtantinopolitanæ expugnatione à Latinis commiſſa fuiſſe, cùm Scriptor anonymus vitæ *Innocentii III.* Pontificis Maximi id candidè fateatur . Captâ à Latinis Conſtantinopolitanâ urbe , rebusque pro tempore compoſitis , de Latino eligendo Imperatore actum eſt, & communibus ſuffragiis , annitente potiſſimùm , & promovente *Dandulo* Venetæ Claſſis Præfecto,*Balduinus* Flander à duodecim deſignatis Electoribus creatus eſt Imperator Byzantinus, *Alexius* verò *Ducas* cognominatus *Murtzul-*

zulphus, qui, occiſo *Alexio* juniore, Imperium invaſerat, & , captâ Conſtantinopoli, ſibi à Latinis timens in Peloponeſum fugerat,ab *Alexio* tyranno, patruo Alexii junioris, & ſocero *Alexii Murtzulphi* (qui ejus filiam *Eudociam* ſibi matrimonio copulaverat) ibidem proditoriè captus & oculis orbatus in Latinorum manus incidit, à quibus Conſtantinopolim reductus, & ob cædem, quam *Alexio juniori* Imperatori ſuo nefariè intulerat, extremo capitis ſupplicio damnatus, gratas Græcis perindè ac Latinis pœnas, ſuis tamen ſceleribus mitiores, pependit, & ex altiſſima columna præcipitatus, humique alliſus ac membratim diſcerptus miſeram efflavit animam. Hoc pacto in poteſtatem Latinorum venit Orientale Imperium, diſtractum tamen, & exiguis anguſtisque finibus concluſum, eò quòd Principes Græci Conſtantinopoli à Latinis expulſi, quaſi vectores in communi naufragio, tabulas, quas ſors offerebat, arripientes, varia ſibi Regna per ejuſdem Imperii Orientalis regiones conſtituerunt. *David*, & *Alexius Comneni* Trapezuntinum Regnum fixerunt in Ponto; *Theodorus Angelus* Theſſalonicæ dominatum uſurpavit; *Theodorus Laſcaris* Nicææ in Bithynia Imperii quamdam imaginem fundavit, cùmque eſſet ſtrenuus belli Dux, Turcas ab *Alexio*, ſocero ſuo, quondam Imperii invaſore, contra ſe concitatos, iteratis præliis fudit, ſuperavit, ac magna ſtrage delevit, eorumque Principi *Jatathini* Iconii Sultano ſuapte manu caput amputavit, quo in ſublime elato, & hoſtibus oſtentato inſignem de illis retulit victoriam. Nec ſolùm Principes Græci, verùm etiam Latini varias Imperii Orientalis regiones

ſuam

ſuam in poteſtatem redigentes, anguſtiores ejus fines reddiderunt. Veneti quippè, pleraſque tum maris Ægæi, tum Mediterranei Inſulas retinuerunt. *Bonifacius* Marchio Montisferrati Peloponeſum, quæ vulgò *Morea*, cùm Regis titulo occupavit. *Godefridus* trecenſis Athenas ſibi aſſeruit, aliique alia loca ſuo dominio armis ſubjicientes, tot in partes Orientale Imperium dilacerarunt, quot olim in fruſta infelicem Orpheum Bacchæ mulieres diſcerpſerunt. Ad has anguſtias redactum Orientale Imperium anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo gubernare cœpit *Balduinus* inter Latinos Imperatores Byzantinos hujus nominis primus, quem virum fuiſſe fortem, pium, modeſtum ac juſtum, non ſolùm Latini, ſed & *Nicetas* Scriptor Græcus & Latinis infenſus, ingenuè fatetur his verbis: *Nondum Balduinus annum ætatis xxxij. conceſſerat, & alioqui vir erat pius & modeſtus, nec impudico quidem aſpectu mulierem intuitus, quamdiu à ſua conjuge abſuerat, vacabat divinis laudibus, neceſſitatibus conflictantes ſublevabat, ſuæ ſententiæ adverſantes æquo animo audiebat; & quod maximum eſt, bis qualibet hebdomada veſperi proclamari jubebat, ne quis in ſuo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigiſſet.* At, quod maximè dolendum eſt, *Balduinus*, Imperator omnibus numeris abſolutus, periit in ipſo ætatis ſuæ flore. Adrianopolim quippè, urbem Thraciæ munitiſſimam, quò ſe Græci perduelles receperant, ſtrenuè oppugnans, à *Joannitio*, ſive *Calojoanne* Bulgarorum Rege, qui cum ingentibus ſuorum, Scytharumque copiis hùc advenerat, ut Græcis Latinorum jugum excutere molientibus auxilium ferret, in paratas incidit inſidias *Balduinus*, captusque à Bul-

à Bulgarorum Rege, captivus in Bulgariam abductus eſt anno MCCV. ubi menſium ſexdecim ſpatio in carcere detentus obiit ex morbo, ut Rex ipſe Bulgarorum in litteris ad *Innocentium III.* Summum Pontificem, à quo pro ejus libertate urgebatur, datis, & *Godefridus Villarduinus*, qui rebus à *Balduino* Imperatore geſtis interfuit, teſtantur, quibus magis adhibenda fides eſt, quàm Græcis, qui poſt *Nicetam Choniatem* ſcribunt, *Balduinum* Imperatorem cruribus, brachiisque truncatum, projectum eſſe in vallem, ibique poſt triduum expirantem volucribus & feris relictum eſſe prædam. Nec enim veroſimile eſt, *Joannitium* Bulgarorum Regem, virum alioqui ſuopte ingenio crudelem, tantam immanitatem in *Balduinum* optimum Imperatorem exercere voluiſſe. Sic *Balduinus*, Heros invictiſſimus, poſt æquatas pugnis victorias, poſt tot perduellium Græcorum urbes uno armorum impetu & continenti ſerie triumphorum domitas, acerbo & omnibus piis luctuoſo caſu occubuit.

D. Quis *Balduino* in Imperio Conſtantinopolitano ſucceſſiit.

M. In *Balduini* demortui locum ſuffectus eſt à Latinorum exercitu *Henricus*, ejus frater anno MCCVI. Fuit Princeps prudentiſſimus, & tùm domi, tùm foris rebus gerendis aptiſſimus. Rem adverſus Bulgaros & Scythas, qui perpetuis incurſionibus ejus Imperium infeſtabant, ſtrenuè geſſit. Vivente adhuc fratre ſuo *Balduino*, ſed captivo, Imperio præfectus, illud adminiſtrare cœpit, nomine tamen Imperatoris & Inſignibus abſtinens, donec anno & menſibus ſex ab illa captivitate exactis, poſtquàm mors fratris ſui comperta eſt, in Imperii

rii nomen & ornamenta tūc demùm conſenſit. Quâ occaſione *Nicetas Choniates* moderationem, cæteraſque *Henrici* virtutes commendat, ac ſimul deteſtatur ambitionem & immanitatem ſuorum popularium Græcorum, apud quos hi, qui Imperio erant deſignati, non expectatâ prædeceſſoris morte, per cædes ad tyrannidem graſſabantur. Obiit *Henricus* Imperator Conſtantinopolitanus die XI. Junii anni MCCXVI. cùm annos decem, novem menſes & dies XXII. imperaſſet. Ei ſine prole defuncto ſucceſſit *Petrus Corteniacus*, Antiſiodorenſis Comes, qui illius ſororem *Jolantam* in matrimonium duxerat, & ab *Honorio III.* Pontifice Maximo Imperii coronam Romæ accepit quinto Idus Aprilis anni MCCXVII. Sed Româ diſcedens, cùm Conſtantinopolim contenderet, in Albaniæ montium anguſtiis à *Theodoro Angelo* Græco, Epiri Principe, perfidiosè captus, in carcere, vel, ut alii volunt, prælio peremptus eſt. Succeſſorem habuit *Robertum* filium ſuum, qui die XXV. Martii anni MCCXXI. Conſtantinopoli coronatus Imperium tenuit uſque ad annum MCCXXVIII. quo è vivis exceſſit, & *Balduino* hujus nominis *II.* filio, aut, ut alii volunt, fratri ſuo, Imperii ſucceſſionem reliquit. Verùm, cùm *Balduinus II.* juvenis adhuc decennis eſſet, ac ſubindè regendo imperio impar, *Joannes Bryennius*, qui Regis Hieroſolymorum nomen ferebat, ex Italia accitus eſt, ut junioris *Balduini* tutelam, & Imperii Conſtantinopolitani adminiſtrationem ac defenſionem ſuſciperet. Imperio autem Conſtantinopolitano *Balduinus II.* annos circiter triginta duos à morte *Roberti* potitus eſt, hoc eſt, ab anno MCCXXVIII. uſque ad annum MCCLXI. quo an-
no

no *Michaël Palæologus*, Urbe Conſtantinopoli, *Alexii Strategopuli* artibus cum DCCC. haud ampliùs militibus proditione captâ xxv. Julii, *Balduinum II.* ultimum inter Latinos Imperatorem Conſtantinopolitanum, Imperio ac Regia Urbe ejecit, atque Imperium Conſtantinopolitanum in Græcorum poteſtatem denuò redegit. Vixit tamen *Balduinus II.* ſuæ calamitati ſuperſtes annos XI. filiumque unicum *Philippum* nomine reliquit, cui *Beatricem* filiam *Caroli* Siciliæ Regis deſpondit, Conſtantinopolitano promiſſo Imperio, ſi illius ope recuperari poſſet. Hoc pacto Franci, ſeu Latini, Imperium Conſtantinopolitanum, quo, ut jàm diximus, per quinquaginta ſeptem annos, tres menſes, & undecim dies potiti ſunt, penitùs amiſerunt, ita ut *Philippus* filius *Balduini II.* & alii deinceps Latini, qui Imperatores Conſtantinopolitani appellati ſunt, fuerint dumtaxat ſolo nomine, & titulo tenùs Imperatores, ut videre eſt in *Hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Francorum Imperio* ſcriptâ à viro jam laudato clariſſimo *Carolo du Freſne*, Domino *du Cange*, cujus ſtudiis & eruditione & Byzantina & Francorum Hiſtoria plurimùm illuſtrata eſt.

D. Expone, quæſo, uberius, quibus artibus *Michaël Palæologus* Orientis Imperium, Francis ablatum, reſtituerit Græcis, & quos ſucceſſores habuerit?

M. Ut artes detegamus, quas *Michaël Palæologus* Imperator adhibuit, ut Francos Imperio Conſtantinopolitano privaret, illudque reſtitueret popularibus ſuis Græcis, rem altiùs repetere debemus. Captâ à Francis cum Venetis fæderatis Urbe

Urbe Conſtantinopolitanâ anno milleſimo ducenteſimo quarto, Græcorum Principes, quos Latini ex ea expulerant, varia ſibi Regna per ejuſdem Imperii Conſtantinopolitani regiones conſtituerunt. *Theodorus Laſcaris* Imperator à Græcis ſalutatus Imperator anno MCCIV. Niceæ in Bithynia ſedem habuit, obiitque anno MCCXXII. Imperii XVIII. Moriens ſine maſcula prole *Theodorus Laſcaris* Imperii Græcorum ſucceſſorem deſignavit generum ſuum *Joannem Ducam*, cognomento *Vatacium*, qui, poſtquàm Imperium auxiſſet, è vivis ſublatus eſt III. Kalendas Novembris anni MCCLV. Imperii trigeſimo tertio. Filium unicum reliquit *Joannes Ducas* ex *Irene* Auguſta priori conjuge ſuſceptum, qui ab avo materno *Theodorus Laſcaris* appellatus eſt, & poſt obitum patris militum populique concurſu Imperator acclamatus, ab *Arſenio* Patriarcha Græco Conſtantinopolitano inauguratus eſt. Sed anno IV. Imperii ſui gravi morbo correptus, ac valetudine à Medicis deſperatâ, Monaſticum habitum induit, ac multis editis ſinceræ pœnitentiæ ſignis vitam clauſit menſe Auguſto anni MCCLIX. Filium reliquit octo duntaxat annorum puerum, *Joannem* nomine, quem Imperii legitimum hæredem & annum ætatis decimum agentem *Michaël Palæologus*, poſt captam, ut jam annotavimus, *Alexii Strategopuli* artibus Conſtantinopolitanam urbem, indèque expulſos Latinos, igniti crepitaculi objectu excæcavit anno MCCLXI. totumque Orientis Imperium, ejectis Latinis, ſibi vindicavit, ac Græcis addixit. Hic eſt *Michaël* ille *Palæologus* Græcorum Imperator, qui ingruentem ſibi cum valido exercitu Carolum Siciliæ

ciliæ Regem extimeſcens, Romanum Pontificem ſibi conciliandum duxit, adeòque Eccleſiæ Græcæ cum Romana unionem promovendam in Concilio Generali Lugdunenſi II. ſub *Gregorio X.* Pontifice Maximo, ſicut in Colloquio quarto, agendo de Conciliis, commodiùs oſtendemus. Hic breviter obſervandum eſt, non ſolùm *Michaëlem Palæologum*, ſed etiam alios ejus prædeceſſores Imperatores Græcos de pangenda Eccleſiæ Græcæ cum Latina pace cogitaſſe eo ſolo fine, ut Conſtantinopolitanum Imperium, quo Latini tum temporis potiebantur, Imperatori Græco reſtitueretur. Anno ſiquidem milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo *Germanus II.* Patriarchâ Græcus Conſtantinopolitanus, annuente *Joanne Duca* Græcorum Imperatore, Epiſtolas ad *Gregorium IX.* Pontificem Maximum, nec non ad Cardinales ad promovendam utriuſque Eccleſiæ unionem Nicæâ ſcripſit. Româ Nicæam miſſi ſunt ex Fratrum Prædicatorum Ordine duo, totidemque ex Ordine Minorum, qui cum Græcis paciſcerentur, habitâque Nimphææ in Bithynia Synodo, cui Patriarchæ Græci Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, interfuerunt, litteras ad inſtar profeſſionis fidei ad Papam Græci dedere, in quibus, quàm plurimis Patrum ſententiis intextis, errorem ſuum de Spiritu Sancto disertè enuntiarunt, ſicque malis artibus Patriarchæ Antiocheni cæptum opus pro votis non ceſſit. Nihilominus *Joannes Ducas* Græcorum Imperator pro viribus egit, ut pax redintegraretur. Idque teſtantur litteræ *Alexandri IV.* Pontificis Maximi datæ anno MCCLVI. ad Epiſcopum Urbevetanum, quem Pontifex Legatum ad *Theodorum La-*

ſcarim juniorem, filium *Joannis Ducæ*, Græcorum Imperatorem, miſit, in quibus deſcribuntur articuli ineundæ pacis. Sed nequaquàm fœdus ſancitum fuit, quia Conſtantinopolis Imperatori Græco non fuit reſtituta. Nec feliciorem exitum nactæ ſunt aliæ uniones Eccleſiæ Grεcæ cum Latina, quæ, Conſtantinopoli Græcis anno MCCLXI. reſtitutâ, ſub *Michaële Palæologo*, & aliis deinceps Imperatoribus Græcis tentatæ, aut factæ identidèm fuerunt, ut ex his, quæ poſteà dicturi ſumus, liquidò patebit.

Sed redeamus ad ſeriem Imperatorum Græcorum. *Michaël Palæologus*, poſtquàm imperaſſet annos à capta urbe Conſtantinopoli viginti duos, obiit die XI. menſis Decembris anni MCCLXXXII. Hæredem Imperii reliquit filium ſuum *Andronicum*, qui *patrem Imperatoria ſepultura adeò non honoravit, ut ne plebeja quidem ſit dignatus*, ſicut refert *Nicephorus Gregoras*, idque in odium concordiæ Eccleſiæ Græcæ cum Latina, quam totis viribus vivens ipſius pater promoverat, & ad mortem uſque ſervaverat. Sed pertinaciæ ſuæ in promovendo Schiſmate, & Spiritus Sancti neganda ex Filio proceſſione pænas, juſto Dei judicio dedit *Andronicus* Imperator; quippè qui, mortuo filio ſuo *Michaële*, nepotem *Andronicum* Imperii deſignavit hæredem, qui adverſus avum rebellans ſæpiùs, tandem, captâ Conſtantinopoli anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo die ſacrâ Pentecoſtes, ſicut obſervat *Cantacuzenus lib.* 1. *cap.* 59. eum Imperiali ſolio dejecit, in carcerèm conjecit, ubi multa toleravit incommoda, & ex morbo oculorum uſum amiſit. Paulòpoſt Monaſticum induere habi-

habitum coactus eſt,quem poſtquàm per biennium geſtaſſet, obiit anno MCCCXXXII. in ipſa religioſæ vitæ profeſſione *Antonius* appellatus. Interim Græcorum Imperium miſerè lacerabatur à Turcis, quorum irruptionibus oppreſſus *Andronicus junior*, redintegrandæ cum Romana Eccleſia concordiæ pium præ ſe tulit deſiderium. Narrat ſi quidem *Nicephorus Gregoras lib.* 10. ſub *Andronico juniore* tentatam eſſe reconciliationem ab Epiſcopis Latinis duobus, qui Conſtantinopolim venerant, ſe verò, Græcos ſuos, habitâ oratione, quam recitat, deterruiſſe variis de cauſis, ac præſertìm quòd Romani omnia Sedis ſuæ arbitrio finiri vellent, ac Latini Dialecticis cavillis nimium indulgerent, qui ad dogmata ſancienda nocivi eſſent. Hæc itaque unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ad quam *Andronicus junior* ſe propenſum demonſtrabat, exitu caruit; tum quia Latini Principes Græcis auxilium contra Turcas petentibus ſuppetias non tulerunt; tum quia etiam id temporis *Palamitarum* hæreſis, de qua in tertio Colloquio agemus, Orientalem Eccleſiam invaſit. Eâ etenim graſſante hæreſi, cui plurimùm favit *Andronicus junior*, & ex qua robur novum ſchiſmati acceſſit, de unione Eccleſiarum ſarcienda parùm cogitabatur, quamvis Imperium Byzantinum in dies collaberetur. Obſtitit etiam huic Eccleſiarum unioni diutinum inter Latinos diſſidium, quo tres Pontifices Romanam ſedem ſibi vindicabant. Obiit *Andronicus junior* Græcorum Imperator die xxv. menſis Junii anni MCCCXLI. filiumque novennem *Joannem Palæologum* Imperii ſucceſſorem reliquit, cujus tutelam & publicæ rei adminiſtrationem ſuſcepit *Joannes Cantacuzenus*, qui

qui poſteà Imperii Inſignia ſumpſit, ob idque à *Joanne* Patriarcha Conſtantinopolitano anathemate percuſſus. Sed à *Joanne Cantacuzeno* captâ anno MCCCXLVII. Conſtantinopoli, initum eſt fœdus inter *Cantacuzenum*, & *Joannem Palæologum*, ut ambo ſimul imperarent, ſeque eâ invicem benevolentiâ complecterentur, quà patres & filii ſolent. Ut autem fœdus iſtud magis confirmaretur, filiam ſuam *Helenam* Imperatori *Joanni Palæologo* collocavit *Joannes Cantacuzenus*. Hoc ſancito fœdere, *Cantacuzenus* Imperator, ut Romanorum Pontificum, & Occidentalium Principum ſibi conciliaret amicitias, & auxilia ad frangendum Turcarum impetum ab ipſis impetraret, de Græcorum conjunctione cum Romana Eccleſia inſtauranda seriò cogitare cœpit. Pium, quod inierat conſilium, cum Romanis Pontificibus *Clemente VI.* & *Innocentio VI.* communicavit, Sedis Apoſtolicę Legatos honorificè excepit, & conditionem propoſuit de Concilio celebrando. At conſilium ſuum, cùm ad optatum exitum perducere minimè poſſet, & aliundè ægrè videret, Orientis Imperium inteſtinis bellis in dies debilitari, tandem rerum humanarum pertæſus, purpuram ac ſceptrum cum habitu Monaſtico, nomenque ipſum *Joannis* cum *Joaſaph* nomine commutavit anno MCCCLV. Eâ inſperatâ *Joannis Cantacuzeni* abdicatione Imperii potentior factus *Joannes Palæologus* Imperator, armis ſine mora aggreſſus eſt *Matthæum Cantacuzenum*, quem ipſius pater *Joannes Cantacuzenus* Imperatorem renunciaverat, eoque Philippis capto, & in ordinem redacto, ſolus, domito æmulo, Imperium obtinuit. Romam, ut Latinorum auxilium contra Turcas imploraret, anno

anno MCCCLXIX. acceſſit,ubi,ex præſcripta à Summo Pontifice *Urbano V.* Formulâ, Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſus eſt. Profeſſionem ipſius apud *Odoricum Raynaldum* legere eſt ad an. MCCCLXIX. Incertũ eſt quo anno mortuus ſit *Joannes Palæologus* Imperator. Mortis ejus tẽpus à *Petavio* refertur ad an. MCCCLXXXIV. à *Bulialdo* conſignatur an. MCCCXCI. Sed, ſi quod in Græcorum Imperatorum catalogo, qui *Codino* de Originibus Conſtãtinopolitanis ſubjungitur, verum eſt, *Joannem* videlicèt *Palæologum* imperaſſe an. XLI. eum exceſſiſſe oportet anno MCCCLXXXII. cùm *Andronicus* ejus pater, ut mox diximus, obierit die XXV. menſis Junii anni MCCCXLI. Verùm, cùm annus milleſimus quadringenteſimus vigeſimus ſecundus fuerit Imperii *Manuelis* filii *Joannis Palæologi* trigeſimus ſecundus, teſte *Joanne Canano* illius ætatis ſcriptore, hinc ſanè *Bulialdi* firmatur calculus, conficiturq; *Joannem Palæologum* imperaſſe annos ferè LII. & è vita migraſſe an. MCCCXCI. *Joannem Palæologum* excepit in Imperio Orientis *Manuel Palæologus* ejus filius natu minor, in quem pater magis propenſus fuit, quàm in *Andronicum*, ſuum primogenitum, tum quia *Manuel* obſidem ſeſe dederat pro patre, qui captivus à Venetis detinebatur ob magnam pecuniæ ſummam à fæneratoribus acceptam, cui ſolvendæ par non erat; tum quia etiam *Andronicus* primogenitus Genuenſium fultus auxiliis conjuraverat in patrem, qui, eâ conjuratione detectâ, *Andronicum* filium ſuum primogenitum excæcari, & in carcerem detrudi juſſit. Ad Imperium itaque evectus *Manuel*, cum à Turcarum Principe *Bajazethe* immani bello laceſſeretur, ac undique premeretur, totam ferè peragravit Europam, ut auxiliares copias, præſer-

tim à Francorum, Anglorumque Regibus elicere poſſet, ſed turbę Anglicæ, & *Caroli VI.* Galliarum Regis morbus frequens in cauſa fuerunt, cur nullum itineris fructum reportarit. Obiit *Manuel* Græcorum Imperator ex Apoplexia die XXI. menſis Junii anni MCCCCXXV. cùm biduo ante Monachi habitum induiſſet, *Matthæi* ſumpto nomine. Imperavit annos circiter XXXV. cùm *Joannes Palæologus* ejus pater obierit, ſicut mox inſinuavimus, anno Chriſti MCCCXC. vel ſequenti MCCCXCI. à quo ad annum uſque MCCCCXXV. intercedunt anni XXXV. Hi ſunt Imperatores Byzantini cùm Latini, tum Græci, qui ſæculis XIII. & XIV. ſummâ rerum in Oriente potiti ſunt, & quorum Genealogias, ſeu Familias, legere poteris apud *Carolum du Freſne* dominum *du Cangium*, qui eas accuratè deſcripſit.

D. Quis eſt iſte *Bajazethes*, à quo, ut mox obſervaſti, immani bello impetitus & penè oppreſſus fuit *Manuel Palæologus* Græcorum Imperator?

M. Antequàm exponam, quis fuerit iſte *Bajazethes*, ſedulò obſervare debes, Turcicam gentem, de cujus origine non una eſt Scriptorum ſententia, magni Imperii in Oriente anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo, Auctore *Othomano*, jeciſſe fundamenta. Is quippè *Othomanus*, ſive *Oſman*, filius *Orthogulis*, animo & corpore præcellens, ex Sogutha Myſiæ vico oriundus erat, in Aſiam cum gentilibus ſuis infudit ſeſe, rem Turcicam incredibilitèr auxit, plurimas ſubegit urbes, ac Pruſæ Myſiæ urbi opibus florenti, magnâ obſidione expugnatæ, ſedem Imperii, quod ab ipſo *Othomanum* dictum eſt, anno MCCXCVIII. conſtituit. Obiit *Othomanus*, primus Turcarum Imperator, an-

anno MCCCXXVI. Ei in Imperium ſucceſſit *Urchanes* illius filius, qui Myſiam, ac Lydiam univerſam ditioni ſuæ ſubjecit, Nicæam expugnavit, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, cæteraque ad Helleſpontum, & Euxinum uſque in ſuam poteſtatem redegit, dùm *Joannes Cantacuzenus*, & *Joannes Palæologus* Græcorum Imperatores inter ſe odiis & armis certantes, novis Turcarum victoriis atque incrementis locum dederunt. Mortuus eſt *Urchanes*, ſecundus Turcarum Imperator, anno Chriſti MCCCLVII. Imperii trigeſimo ſecundo. *Urchanem* in Imperio Othomano excepit ejus filius *Amurathes*, cujus frater *Solimanus* natu major inter venandum ex equo lapſus, humique alliſus, jam è vita migraverat. Muſulmanicæ ſuperſtitioni addictiſſimus fuit *Amurathes*, utpote qui Templa, Scholas, Xenodochia Religioſis Turcis ac pauperibus extruxit. Bellicâ etiam virtute inſignem ſeſe prodidit. Callipolim, Adrianopolim, ac circumjectas Provincias occupavit, Triballos ac Myſios domuit, & bellis triginta ſeptem in Aſia & Europa, partim contra Chriſtianos, partim contra rebelles ſuos confectis, nullo victus ſuccubuit, ſed ſemper ſibi arridentem fortunam expertus eſt. Exceſſit è vivis *Amurathes* anno Chriſti MCCCXC. poſtquam, juxtà Annales Turcicos, imperaſſet annis triginta duobus. Filium reliquit *Amurathes* Imperii Othomani hæredem *Bajazethem*, qui in Annalibus Turcicis *Gilderun*, ideſt, *Fulmen*, cognominatur. Hic ille eſt *Bajazethes*, qui, ut mox dicebamus, Græciæ, viciniſque regionibus armorum terrorem inferens, *Manuelem Palæologum* Græcorum Imperatorem ad extremas redegit anguſtias,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& Græcorum Imperium miſerum in modum laceravit. Othomanum Imperium longè latèque propagavit *Bajazethes*. Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Atticam, Myſiam, Bulgariam, & Valachiam Turcicæ ditionis fecit, Conſtantinopolim verò pluribus obſedit annis, quam tamen obſidionem ſolvere coactus eſt, ut contra *Sigiſmundum* Hungariæ Regem Nicopoli cum exercitu imminentem procederet, & cum illo committeret prælium, in quo *Sigiſmundum* Hungariæ Regem magnâ clade affectum fuiſſe ex Turcarum Hiſtoriis *Leunclavius* narrat. Tot victoriis ac ſecundis rebus elatum *Bajazethem* debitâ pænâ caſtigavit Deus præpotens ſcelerum ultor. A' *Tamerlane* quippe, qui cum ingenti Tartarorum, Perſarumque exercitu in Aſiam irruptionem fecerat, victus captuſque *Bajazethes*, caveâ ferreâ incluſus, feræ inſtar, ad ludibrium circumductus eſt, & ſcabelli loco adhibitus, quotiès equitandum aut ex equo *Tamerlani* victori deſiliendum erat. Eâ animi ægritudine doloreque confectus *Bajazethes*, vir poſt homines natos ſuperbiſſimus, ac ferociſſimus, mortem ſibimet ipſi conſcivit, caput ſuum allidendo caveæ ferreæ, quâ tenebatur incluſus. Periit autem anno MCCCCIII. cùm annos quatuordecim imperaſſet. Si plura de exordio Imperii Othomani, & de Turcarum Imperatoribus, qui decimo quarto Eccleſiæ ſæculo præfuerunt Imperio Othomano, ſcire deſideres, legeſis Annales Turcicos, *Leonicum Chalcondilam*, & *Phranzem*, qui de rebus Turcicis ſcripſerunt, quibus adde *Leunclavium* in pandectis Hiſtoriæ Turcicæ, & in Hiſtoria Muſulmanorum.

D. Ab Imperio Orientali, quod ſatis hactenùs,

nùs perluſtravimus, transferamus nos ad Imperium Occidentale, quod ſub finem Colloquii primi in Hiſtoriam XII. ſæculi obſervaſti, haud parùm turbatum fuiſſe à duobus illud prehenſantibus, Electorumque ſuffragiis in eoſdem diſtractis poſt mortem *Henrici VI.* Imperat. quæ accidit anno MCXCVII. Hi erant *Philippus* Sueviæ Dux, *Henrici VI.* Imperatoris germanus frater, & *Otto* Saxoniæ Dux, quorum primus, ſeu *Philippus* electus Imperator, dùm in cubiculo poſt venæ ſectionem cubaret, à quodam Palatino perfidiosè cæſus eſt Bambergæ anno MCCVIII. *Otto* verò, ſublato ſuo competitore, ſolus Imperio potitus eſt, ut ibidem annotaſti. Cùm igitur ad *Ottonem* inter Imperatores Occidentis hujus nominis *IV.* pervenerimus, obſecro te ut illius geſta, ac ſeriem aliorum, qui ſæculis XIII. & XIV. ei in Imperio Occidentis ſucceſſerunt, in præſentia deſcribendi munus ſuſcipias.

M. *Otto* hujus nominis *IV.* filius *Henrici Leonis* Bavariæ ac Saxoniæ Ducis, contra *Philippum* Sueviæ Ducem & *Henrici VI.* Imperatoris fratrem, electus Imperator, eodem mortuo an. MCCVIII. tenuit Imperium, & ſequenti anno, poſtquàm Sedi Apoſtolicæ Sacramento obſtrictus, Eccleſiæ jura confirmaſſet, Imperii coronam accepit ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo. Promiſſis non ſtetit *Otto* Imperator, eumque jura ac ditionem Eccleſiæ invadentem Pontifex per legatos admonuit, ut ab incępto deſiſteret, ſed cùm morem gerere pertinaciter detrectaret, anathemate percuſſus eſt, ejuſque ſubditi Sacramento fidelitatis ſoluti. Quò factum eſt, ut plures è Germaniæ proceres ab eo alienati *Fridericum II.* filium *Henrici VI.* Imperatorem ſalutaverint, quem ſociis

armis fovit etiam *Philippus Auguſtus* Galliarum Rex. Cum his *Otto* congreſſus ad Bovinas propè Tornacum anno MCCXIV. ingenti ſuorum cæde victus eſt, ſenſimque ab omnibus deſtitutus in Saxoniam fugit Imperio privatus, obiitque, datis Chriſtianæ pænitentiæ non dubiis argumentis, anno MCCXVIII. cùm Imperium ab obitu *Philippi* per annos circitèr ſex tenuiſſet. Exauctorato, *Ottone*, ejuſque exercitu, ut jam diximus, profligato penitùs anno MCCXIV. *Fridericus II.* Imperium ſolus obtinuit, & ab *Honorio III.* Pontifice Maximo Imperator coronatus eſt anno MCCXX. Poſt ſolemnem ſuæ inaugurationis pompam aureos montes pro tuenda Eccleſiæ dignitate pollicitus eſt, legeſque tulit de exterminandis Hæreticis, de teſtamentis Cruce ſignatorum fulciendis, & agricolis ab injuriis vindicandis, ut apud *Goldaſtum in conſtitutionibus Imperialibus* legere eſt. Quin, & Crucis ſignum ad Hieroſolymitanam expeditionem ex manu *Hugolini* Cardinalis Hoſtienſis accepit, ſeque ad profectionem maturandam totum è nutu Summi Pontiacis pendêre juravit, ſed fidem fefellit. Ea quippè arma, quæ ad expugnandos Saracenos, ut primùm Imperium iniit, capturum voto ac juramento ſeſe obſtrinxerat, ad infeſtandam Eccleſiam impiè convertit, atque Romanos Pontifices diù divexavit, à quibus viciſſim, cùm eſſet in impietate pertinax, quinquiès fuit anathemate percuſſus. Primò ab *Honorio III.* quòd Epiſcopos quoſdam injuſtè exagitaſſet, ac ſedibus expuliſſet. Secundò, à *Gregorio IX.* anathemate confixus eſt, quòd expeditionem in Palæſtinam, quam pollicitus fuerat, fictè ac ſimulatè ſuſcipiens, turpe & rei Chriſtianæ

næ exitioſum fædus cum Sultano Babyloniæ iniviſſet, & Hieroſolymitanâ peregrinatione ad ſolam oſtentationem perfunctus cum maximo dedecore rediiſſet. Tertiò ab eodem Summo Pontifice excommunicationis fulmine perſtrictus eſt, quòd Lombardiam, aliaſque Italiæ Regiones immaniſſimis ſtragibus devaſtaret, incenderet, ac deformaret; Quòd Eccleſiæ ditiones invaderet, Cardinales, Epiſcopos, Abbates Romam ad Concilium ab eodem Pontifice indictum euntes interciperet, captivoſque detineret; quòd Eccleſiæ libertatem opprimeret, Eccleſiaſticis viris moleſtiam crearet, & priora ſcelera novis criminibus cumularet. Quartò, novo anathemate ab *Innocentio IV.* conſtrictus eſt, quòd in impietate ſua adhùc perſeverans, bona Eccleſiæ ſibi uſurparet. Denique, ab eodem Summo Pontifice in Concilio Generali Lugdunenſi I. anno MCCXLV. celebrato non ſolùm excommunicationis fulmine percuſſus eſt, ſed etiam, ceù indignus, Imperio dejectus, ſicut uberiùs explicabimus in Colloquio quarto, ubi agemus de Conciliis. Ex hac exauctorationis ſententia in ipſum ab *Innocentio IV.* in Concilio Lugdunenſi prolata furibundus evaſit *Fridericus II.* nedùm reſipuit; arma corripuit, graviſſimaque damna Pontifici, & Eccleſiæ intulit, quæ illius temporis Hiſtorici commemorant. Parmam per menſes omninò ſeptem obſidione cinxit, à qua ingenti clade repulſus in Siciliam ſe recepit, obiitque anno MCCL. in Arce quadam Apuliæ, quæ *Florentina* dicebatur. Quo autem morbi genere extinctus fuerit, non convenit inter Hiſtoricos. Alii quippè volunt, *Fridericum II.* à *Manfredo*, quem ex concubina genuerat, fuiſſe
ſuf-

ſuffocatum. Alii aſſerunt, eum gravi morbo correptum, vel ex veneno ſibi propinato interiiſſe. Incertum itidem eſt, an *Fridericus II.* moriens, ad meliorem frugem ſe receperit? Sunt nonnulli Scriptores, qui tradunt, eum nihil unquam de odio in Romanos Pontifices, & pervicaciâ remiſiſſe, adeòque excõmunicatum, & impęnitentem ex hac vita migraſſe. Non deſunt tamen alii Scriptores, quos inter cenſetur *Matthæus Pariſius*, qui teſtantur, *Fridericum II.* antequàm moreretur, edidiſſe pænitentiæ ſigna, & ab Archiepiſcopo Panormitano fuiſſe abſolutum.

Poſt exauctorationem *Friderici II.* fluctuavit Imperium Occidentale nulli ſecurè innixum, &, juxta probabiliorum eruditorum Scriptorum ſententiam, contigit Interregnum ab anno MCCXLV. quo *Fridericus II.* ab *Innocentio IV.* Pontifice Maximo in Concilio Generali Lugdunenſi I. Imperio abdicatus eſt, uſque ad annum MCCLXXIII. quo *Rodulphus* Comes Habſpurgenſis fuit Imperator electus. Fuerunt quidem nonnulli ab anno MCCXLV. uſque ad annum MCCLXXIII. electi Imperatores, videlicet *Henricus* Thuringiæ, & Haſſiæ Landgravius, *Guillelmus* Brabantiæ, ſive Hollandiæ Comes, *Richardus* Cornubiæ Comes, *Henrici III.* Angliæ Regis frater, & *Alphonſus* Caſtellæ Rex *Ferdinandi III.* Hiſpaniarum Regis filius; verùm hi Principes Imperium dumtaxat deguſtarunt, & à multis Scriptoribus Imperatorum Occidentis Catalogo non accenſentur. Quapropter de illis pauca dicemus, eorumque electionis, ac mortis tempus indicare ſat ſuperque ſufficiet. *Henricus* Thuringiæ, & Haſſiæ Landgravius, exauctorato *Friderico*, electus eſt eodem

eodem anno MCCXLV. Imperator apud Herbipolim. Movit contra ipſum *Conradus*, quem *Fridericus II.* ejus pater Regem Romanorum anno MCCXXXIV. eligi curaverat, cujus electionis Acta edidit *Baluzius* tomo I. *Miſcellaneorum* pag. 472. In prælio victus fugatusq; fuit *Conradus*, ac victor remanſit *Henricus*, qui tamen dum Ulmã obſidet, ſagittâ ictus, indeq; reverſus obiit ex vulnere anno MCCXLVII. ab electione ſua ſecundo. Mortuo *Henrico* Septemviralibus Comitiis ſuffectus eſt *Guillelmus* Brabantiæ ſeu Hollandiæ Comes, contra quem *Conradus* à patre ſuo *Friderico II.* miſſus, grandi repulſus clade fugit ad patrem, ut ejus furorem augeret & ignominiam; *Guillelmus* verò electus Imperator Aquisgranum expugnavit, & in ea urbe ritu ſolemni coronatus eſt. Contra Friſios rebelles fortitèr pugnans *Guillelmus* in glaciem incidit ſub equo ſubſidentem, è qua cùm ſubſilire haud poſſet, jaculis ac contis à neſcio quibus confoſſus periit ann. MCCLVII. Poſt *Guillelmi* obitum Principes Electores, varia in ſtudia diſtracti, duos creavêre Cæſares, *Richardum* ſcilicet Cornubiæ Comitem, *Henrici III.* Angliæ Regis fratrem, & *Alphonſum* Caſtellæ Regem, *Ferdinandi III.* Hiſpaniarum Regis filium. Utriuſque electio coram Summis Pontificibus *Alexandro IV. Urbano IV.* & *Clemente IV.* cùm diu diſceptata fuiſſet, *Richardus* parùm firmè ſe in Imperio conſiſtere poſſe cernens, in Angliam rediit; *Alphonſus* verò, Princeps excelſi ingenii & eximiæ literaturæ, dictusque cognomento *Sapiens*, cùm undique imminentia bella conſpiceret, conſiliis *Gregorii X.* Summi Pontificis permotus, ſponte ceſſit Imperio, & in Hiſpaniam ſuam ſe recepit. Vacuum itaque cùm

utrius-

utriusque electi Cæſaris ceſſione relictum eſſet Germaniæ Imperium, *Gregorius X.* Comitia indixit, in quibus *Rodulphus* Comes Habspurgenſis electus eſt Imperator pridiè Kalendas Octobris anni MCCLXXIII. Vir juſtitiâ, religione, & bellicâ virtute Imperio non impar, quique, ſicut Scriptores non obſcuri tradunt, pietate ſuâ diuturnum, ſibi, ſuisq; poſteris aſſeruit Imperium ob honorem exhibitum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, dum in venatione & tempore pluvio occurrens Sacerdoti illud lubrico & difficili itinere ad infirmum deferenti, è veſtigio equum, cui inſidebat, dedit, pedesque equitem maximâ religione deduxit ad ægrum, ac in Eccleſiam reduxit, eique religioſa quædam fœmina ampliſſimum honorem à Deo in remunerationem tam pii facinoris augurata eſt, ſicut latè refert & probat *Serarius* libro 5. *Rerum Moguntinarum*. Aliud poſt ſuam ad Imperium electionem inſigne pietatis argumentum dedit idem *Rodulphus*. Nam cùm fidelitatis Sacramentum ei recuſarent Electores, quòd Sceptrum Imperii non adeſſet, acceptâ ille Cruce ait: *Ecce ſignum, in quo nos & totus Mundus eſt redemptus: & hoc ſigno utamur loco ſceptri*, eamque mox deoſculatus, cæteros, ut idem facerent invitavit, & fidelitatis Sacramento ſibi obſtrinxit, ſicut referunt *Stero*, & *Eberardus* Authores coævi. Plura in Germania bella geſſit *Rodulphus*, in quibus, virtute ſummâ & felicitate ſuffragantibus, tot ferè victorias retulit, quot præmia commiſit. *Othocarum* ipſi parêre detrectantem armis ad officium revocavit, ſed reparatis viribus poſt veniam adhuc inſoleſcentem acie ſuperavit, in qua *Othocarus* ipſe à gregario quodam milite

perem-

peremptus eſt. Hujus victoriæ præmium *Rudolphus* tulit Auſtriam, quæ *Alberto* ejuſdem *Rodulphi* Imperatoris filio conceſſa, Auguſtæ Auſtriacæ familiæ Imperatorum feraciſſimæ in poſteris nomen & originem dedit. Alia inſuper bella geſſit cum Helvetiis & Burgundis, quæ ipſi feliciter ceſſerunt. Obiit *Rodulphus* Imperator anno Chriſti MCCXCI. pridie Kalend. Octobris, anno ætatis ſuæ LXXIII. Imperii verò XVIII. *Rodulphum* excepit *Adolphus* Naſſaviæ Comes, qui avaritiâ, crudelitate, & libidine infectus Imperium extenuavit, diſcordias & bella nutrivit, populos tributis inſolitis oppreſſit, odium procerum ſibi conflavit, præſertim ex pactione, quam cum *Eduardo* Anglorum Rege fecit, ei videlicet ſuppetias ferendi contra *Philippum Pulchrum* Francorum Regem, priùs ab eodem *Eduardo* acceptâ ſummâ triginta millium marcarum. Electoribus igitur eum indignum Imperio judicantibus, in ejus locum ſuffectus eſt *Albertus* Auſtriæ Dux, *Rodulphi* Imperatoris filius, contra quem *Adolphus* Imperio dejectus bellum movens, commiſsâ acerrimâ pugnâ per ſex horas in campo dicto *Burgentrich* propè Wormatiam, victus eſt, & ab eodem *Alberto* vulneratus cecidit in prælio anno MCCXCVIII. Poſt *Adolphi* necem, *Albertus* electionem ſuã à Septemviris ratam haberi curavit, eamque *Bonifacius VIII.* anno MCCCII. approbavit, ſicut Colmarienſe Chronicon teſtatur. Nonnulla bella in Germania geſſit *Albertus* Imperator, nimirùm contra Electores, Trevirenſem, Moguntinum, Colonienſem, & *Rudolphum* Palatinum, qui fœdus contra ipſum inierant, eoſdemque repreſſit. Pugnavit etiam contra *Ottonem* Bavariæ Ducem, qui Saliſburgenſis Epiſcopi arti-

artibus adjutus Hungariæ Regnum affectabat, tumque *Alberto* Imperatori venenum ab Epiſcopo Salisburgenſi propinatum eſt, quod dum arte medicâ evomere conatur, oculum amiſit, indeque *Monoculus* cognominatus. Movit etiam *Albertus* in *Henricum* Carinthiæ Ducem, ut Bohemiæ regnum recuperaret, quod ille, Imperatore inſcio, ſibi uſurpaverat; ſed factâ ſuorum conſpiratione, à Principe *Joanne*, fratris ſui filio, cui Sueviæ Ducatum, tanquam nimis prodigo, abſtulerat, pugione ictus nefariè trucidatus eſt Kalendis Maji anni milleſimi trecenteſimi octavi, Imperii decimi. *Alberto* è vivis ſublato, poſt varia Electorum diſſidia, quorum ſuffragia diſtrahebantur à *Philippo Pulchro* Galliarum Rege, qui *Henrico Valeſio* fratri ſuo Imperium aucupabatur, tandem electus eſt anno MCCCVIII. Imperator *Henricus VII.* Comitis Lutzemburgenſis, & *Beatricis* Hannoniæ Comitiſſæ filius, qui in Italiam anno MCCCX. cum numeroſo exercitu veniens, Mediolani coronâ ferreâ ab Archiepiſcopo redimitus eſt. Deindè, quaſdam Italiæ civitates, quæ Imperii jugum excuſſerant, ſubegit, alias in deditionem accepit, & Romam ingreſſus anno MCCCXII. à Cardinalibus, quibus Summus Pontifex *Clemens V.* qui tunc temporis in Galliis, ſeu Avenione Sedem habebat, hanc provinciam demandaverat, ſolemni ritu inaugurâtus eſt. Bellum geſſit cum Florentinis, & cum *Roberto* Siciliæ & Apuliæ Rege, qui eis favebat; ſed in medio rerum curſu ſublatus eſt apud Bonconventum, qui pagus eſt duodecim millibus Senis in Etruria diſtans, anno milleſimo trecenteſimo decimotertio, Imperii ab electione quinto, à Romana verò coro-

na.

natione anno ſecundo per menſem unum & dies vigintiquatuor inchoato, ſicut *Jordanus* coævus Scriptor teſtatur. Nonnulli Hiſtorici falſo rumore decepti tradunt, *Henricum VII.* Imperatorem obiiſſe ex veneno ipſi porrecto in particula Sanctiſſimę Euchariſtiæ manu *Bernardi Politiani* Ordinis Prædicatorum, qui Imperatori erat à Confeſſionibus, & apud ipſum auctoritate, & gratiâ plurimùm poterat. Sed hanc eſſe Sanctiſſimo Ordini & de Eccleſia benemerito affictam calumniam multis momentis evinci poteſt. Primò, quia multi Scriptores, quos inter cenſetur *Albertinus Muſſatus*, coævus Author, diſertè aſſerit, *Henricum VII.* Imperatorem naturali morte occubuiſſe. Continuator etiam *Guillelmi Nangii*, qui tum vivebat, ad an. MCCCXIII. ſcribit, *Henricum VII.* morbo & febre ex hac vita exceſſiſſe, veneni autem propinationem ad vagos & incertos rumores refert; idemque faciunt *Platina* in Vitis Pontificum in *Clemente V.* & *Joannes Nauclerus*, Præpoſitus Tubingenſis, qui ſolum rumorem veneni *Henrico VII.* Imperatori propinati teſtem proferunt. Secundò, ſi *Henricus VII.* veneno periiſſet, omni proculdubio ſigna veneni in cadavere apparuiſſent, & tamen conſtat, Medicos poſt mortem Imperatoris accerſitos, diſſecto ipſius cadavere, viſcera, cor, jecur, partesque ſingulas diligenter inſpexiſſe, nec veneno, ſed naturali morbo obiiſſe *Henricum VII.* Imperatorem teſtatos fuiſſe litteris & inſtrumentis publicis, quæ in Chronicis *Jacobi Suſati* extant. Tertiò, ſi *Bernardus Politianus* tam nefandum ſcelus perpetraſſet, debuiſſet poſt mortem *Henrici* Imperatoris, ut vitæ ſuæ conſuleret, ad Florentinos, aut ad *Robertum* Siciliæ Regem

Hen-

Henrici Imperatoris hoſtes fugere, non fugit tamen, ſed ſibi benè conſcius manſit apud *Henrici* Imperatoris amicos, calumniam à malevolis diſſeminatam intrepido excepit animo, certò certiùs habens, eam facilè diſſipatum iri, ſicut reverà diſſipata eſt, tum *Clementis V.* Pontificis Maximi ſententiâ, tum judicio ac teſtimonio Principum Imperii, & præſertim *Joannis* Bohemiæ Regis, ipſius *Henrici* Imperatoris filii Diplomate, quod, ex veteri membrana authentica in Conventu Virdunenſi FF. Prædicatorum aſſervatâ, publicavit Vir doctiſſimus *Stephanus Baluzius* lib. 1. *Miſcellaneorum* pagina 162. tum denique ex ſingulari illo affectu, quo *Carolus IV.* Imperator, *Joannis* Bohemiæ Regis filius, & *Henrici* Imperatoris nepos, Ordinem Fratrum Prædicatorum ſemper complexus eſt. Ille quippè à Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis obtinuit, ut Pragæ, quæ Bohemiæ Metropolis eſt ac Regia Civitas, Comitia generalia celebrarentur. Die ſancto Pentecoſtes Euchariſtiam in ſolemni Sacro de manu Magiſtri Generalis accepit cum Imperatrice; Diplomata aureis ſigillis appenſis munita, quibus Prædicatorum Ordinem magnis exornabat Privilegiis, conceſſit; omnes Patres Capitulares Imperiali convivio in Regia excepit, multisque affecit honoribus. Credibile autem non eſt *Joannem* Bohemiæ Regem, & *Henrici VII.* Imperatoris filium, ſpeciale Diploma ad vindicandam Fratrum Prædicatorum innocentiam concedere, ejuſque filium *Carolum IV.* Imperatorem, & *Henrici VII.* Imperatoris nepotem, tot beneficiis & privilegiis Ordinem Prædicatorum donare voluiſſe, ſi *Bernardus Politianus* ejuſdem Ordinis *Henrico VII.* Imperatori

ri Hoſtiam veneno illitam porrexiſſet. Quartò, præter hæc antiqua & integerrimæ fidei monumenta, *Nicolaus Serarius* Societ. Jeſu, vir doctiſſimus, libro 5. *Rerum Moguntinarum* duos laudat Authores *Trithemium*, & *Conradum Vecerium* Scriptorem Vitæ *Henrici VII.* qui hoc execrabile facinus à *Bernardo Politiano* Dominicano amoliuntur, & ad ejus tuendam innocentiam multa proferunt argumenta; quibus Scriptoribus duos magni nominis adjungam Auctores, videlicet *Henricum Spondanum* Appamiarum Epiſcopum, & *Odoricum Raynaldum* Congregationis Oratorii Presbyterum, quorum primus in Annalibus Eccleſiaſticis ad an. MCCCXIII. Num. VI. ab hac putida & immani calumnia Dominicanum Ordinem egregiè vindicat, & locupletiſſimis teſtimoniis probat, *Henricum VII.* Imperatorem morte naturali obiiſſe, ejusque infirmitatem cœpiſſe ab apoſtemate in coxa, & inde veniſſe in febrem, ex qua deceſſerit decima poſt die. Alter verò, ſeu *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCCCXIII. Num. XIV. ait, ejuſmodi calumniam perperàm Ordini Prædicatorum impactam, & à pietatis oſoribus confictam, eâdem facilitate refelli, quâ objicitur, cùm levi recentiorum auctoritate nitatur, & veteres Hiſtorici morbo naturali *Henricum VII.* Imperatorem extinctum fuiſſe affirment. Non me fugit, quoſdam ſcripturiiſſe, ob ſacrilegum & parricidiale *Bernardi Politiani* facinus Prædicatores omnes à Romano Pontifice hac pœna fuiſſe mulctatos, ut Sacrum facientes manu ſiniſtrâ Corpus Chriſti ſumant. Sed hoc purum putumque commentum eſſe evincam in Colloquio ſexto, ubi agendo de Monaſtica diſciplina, quæ Sæ-

culo Eccleſiæ decimoquarto viguit, oſtendam, hunc ritum, quem etiamnùm Dominicani Sacris operantes obſervant, ab ipſo Ordinis exordio invaluiſſe.

D. Redeamus, quæſo, ad ſeriem Imperatorum, qui ſæculo decimoquarto poſt *Henricum VII.* ſummâ rerum in Imperio Occidentis potiti ſunt.

M. Mortuo *Henrico VII.* Imperatore, die S. *Bartholomæo* Sacrâ anni MCCCXIII. extitit Interregnum menſium quatuordecim, & diviſis bifariàm Principibus, alii *Ludovicum* Bavariæ Ducem, alii *Fredericum Auſtriacum* Imperatorem deſignarunt. Potior fuit *Ludovici* Bavarię Ducis electio, ad quam Electores omninò quinque conſpirarunt, *Petrus* Moguntinus, & *Balduinus* Trevirenſis, Archiepiſcopi, *Joannes* Bohemiæ & Poloniæ Rex, *Waldemarus* Marchio Brandeburgenſis, & *Joannes* Dux Saxoniæ. Electio verò *Frederici Auſtriaci* duobus dumtaxat Electoribus probata eſt, videlicet *Henrico* Archiepiſcopo Colonienſi, & *Rudolpho* Comiti Palatino, qui ad Comitia vocati eis intereſſe noluerunt, & *Fredericum* extra locum & diem conſtitutam Imperatorem elegerunt. Ea diſſenſio Germaniam atroci bello ab anno MCCCXIV. uſque ad annum MCCCXXII. diſtinuit, ſed poſt multa prælia *Fredericus*, commiſsâ in Bavaria cum *Ludovico* pugnâ, ab eo victus & captus eſt, atque triennio apud victorem ſtetit in vinculis, inde anno MCCCXXV. dimiſſus eſt, eâ lege, ut Auſtriâ ſuâ penitùs contentus, omni jure ad Imperium cederet, omni ambitui renunciaret, omnia inſtrumenta & literas, quibus ſua fulciri poterat electio, in *Ludovici* manus deponeret, & quæcumque ipſe, ejusque fratres de Im-

Imperio tenebant, *Ludovico* reſtituerent. Litteras pacis ex Archivis Sereniſſimorum Bavariæ Ducum deſcripſit *Herwartus* tomo 1. pag. 328. Sic ſemoto & in ordinem redacto *Frederico*, Imperii æmulo, *Ludovicus* Bavariæ Dux, Imperium ſolus obtinuit, ſed à *Joanne XXI.* quem alii appellant XXII. quique anno MCCCXVI. Summus Pontifex fuit electus, inaugurationem & coronationem impetrare haud potuit, immò, ipſum monuit Summus ille Pontifex, ut ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, intra trium menſium ſpatium ab omni Regni & Imperii adminiſtratione ceſſaret, nec eam amplius reſumeret, niſi poſt approbationem ejus perſonæ à Sede Apoſtolica factam. Hujus Pontificii mandati gravitate exacerbatus *Ludovicus*, cùm in ſua animi obfirmatione perſeveraret, ab eodem Summo Pontifice quinto Idus Julii anni MCCCXXIV. declaratus eſt contumax, & omni jure Regni & Imperii, ſi quod ſibi ex ſua electione competere poſſet, privatus. Huic ſententiæ, quam Avenione publicatam, alibi etiam per Germaniam, Italiam, aliaque Regna promulgandam Prælatis direxit *Joannes XXI.* parêre noluit *Ludovicus*, & excuſsâ eâ, quæ debetur Sedi Apoſtolicæ reverentiâ, auſus eſt Epiſtolam publicare virulento calamo exaratam, quâ *Joannem XXI.* uti injuſtum innocentium perſecutorem, Clavium ſubverſorem, Eccleſiæ legũ temeratorem, denique incorrigibilem & hæreticum notorium impetiit, & univerſo Orbi declaravit. Poſthæc, invitantibus Gibellinis, Italiam ingreſſus, habitis Tridenti Comitiis, iterùm *Joannem XXI.* ſexdecim contra ipſum oppoſitis articulis, hæreticum palàm denunciavit, eum non jam Pontificem,

ſed *Presbyterum Joannem* irriſoriè appellans. Indè Mediolanum progreſſus, Coronâ ferreâ ab Epiſcopis duobus propter crimina exauctoratis redimitus eſt. Quæ omnia, ubi reſcivit *Joannes XXI.* citavit *Ludovicum*, eumque non comparentem, ſed contumacem, velut hæreticum damnavit, & bonis omnibus mobilibus, & immobilibus, ac juribus privatum edixit, Vaſſalloſque ipſius, & quaſcumque perſonas ei obſtrictas à juramento fidelitatis abſolvit, prohibuitque Fidelibus univerſis ne illi obtemperarent, aut cum illo communicarent. Hanc Pontificis ſententiam ex Codice Vaticano deſcriptam edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXVII. Num. XX. & ſequentibus. Eâ Pontificis ſententiâ ferocior factus *Ludovicus Bavarus*, cum quatuor millibus Equitum Romam an. MCCCXXVIII. ſeptimo Januarii die ingreſſus eſt, & in Baſilica *S. Petri* à *Sciarra Columna* Imperator coronatus eſt, & à *Jacobo Alberto* Venetiarum Epiſcopo inunctus. Tunc longè majora moliens *Ludovicus Bavarus*, die XII. menſis Maji ejuſdem an. MCCCXXVIII. quâ glorioſæ Chriſti in Cœlos Aſcenſionis celebrabatur ſolemnitas, Schiſmaticis & Apoſtatis quibuſdam Minoritis, cum Abbate Fuldenſi, *Nicolao Fabrianenſi*, aliiſque ejuſdem furfuris hominibus cum promiſcua plebe congregatis, *Petrum Raynalducii de Corbaria*, Oppido Diœceſis Reatinæ, Ordinis Fratrum Minorum, qui Romæ in Conventu *S. Mariæ de Ara Cœli* reſidebat, Antipapam conſtituit, ab eoque iterùm coronatus eſt; cùm ipſi prius purpureum pileum impoſuiſſet. Sed de hoc Pſeudo-Pontifice dicto *Nicolao V.* plura dicemus in ſequenti Colloquio. Poſt mortem *Joannis XXI.* conatus

natus eſt *Benedictus XII.* contumaciam *Ludovici Bavari*, literis ac Nunciis ad eum miſſis, frangere, de cujus reconciliatione ſemel iterùmque actum ſub ipſius Pontificatu, confectum nihil. Denique, cùm *Ludovicus Bavarus* ſe infeſtum ſemper & impium adversùs Sedem Apoſtolicam exhiberet, omnibus concordiæ viis Sacerdotium inter & Imperium fruſtrà tentatis, *Clemens VI.* qui *Benedicto XII.* ſucceſſit, latam olim in *Ludovicum Bavarum à Joanne XXI.* ſententiam renovavit, omnique jure ad Imperium, Ducatum & Palatinatum exuit, Principesque Electores convenire juſſit, ut alium Germaniæ Regem crearent, quem Sedes Apoſtolica in Imperatorem promoveret, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCXLVI. num. III. & IX. ubi *Clementis VI.* eâ de re Decretum, litterasque ad Principes Electores directas refert. Mandato Pontificis morem geſſerunt Principes Electores, qui in Comitiis habitis in Villa *Rhens* Diœceſis Trevirenſis, quæ ſupra Confluentiam ad Rhenum ſita eſt, *Carolum IV.* Regem Bohemiæ in Romanorum Regem elegerunt anno MCCCXLVI. Obiit verò *Ludovicus Bavarus* anno ſequenti, ſeu MCCCXLVII. non ſine ſuſpicione veneni à *Joanna* Auſtriæ Duciſſa propinati, quod fruſtrà cum vomere tentaſſet; ſperans agitatione corporis illud diſſolutum iri, venatum iit, ubi dum vehementiùs equitando aprum inſequitur, ſubitâ apoplexiâ correptus, lapſu equi obtritus eſt. Eum Chriſtianæ pœnitentiæ ſigna edidiſſe, *Cuſpinianus*, *Paulus Langius*, aliique Authores ab *Herwarto* laudati aſſerunt, alii verò negant, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCXLVII. Illud omninò certum eſt, *Ludovicum Bavarum* nun-

C 3 quam

quam à Summis Pontificibus abſolutum fuiſſe ab excommunicatione, quâ repetitis frequentiſſimè diriſſimis ſententiis juſtè ligatus fuerat atque damnatus.

Mortuo *Ludovico Bavaro* anno MCCCXLVII. *Carolus IV.* filius *Johannis* Bohemiæ Regis, & nepos *Henrici VII.* Imperatoris, qui, ut mox diximus, à Principibus Electoribus anno MCCCXLVI. creatus fuerat Romanorum Rex, aliquos poſt obitum *Ludovici Bavari* expertus eſt Imperii æmulos. Bavari ſiquidem Principes, & hi, qui à partibus eorum ſtabant, Imperium *Eduardo* Regi Angliæ detulerunt, ſed huic injuſtum ac plenum periculis honorem recuſanti ſuffecerunt *Fredericum* Thuringiæ Landgravium, Miſniæque Marchionem, qui oblatum ſibi Imperium ſubire detrectavit. Tertio igitur loco ſubſtitùerunt *Guntherum*, Comitem Scurartzburgenſem, qui Francofurtum veniens publicè acclamatus eſt Imperator, quam tamen dignitatem dumtaxat deguſtavit. *Carolus* quippè hujus nominis *IV.* Imperator, corrupto *Fridanko*, Comitis *Guntheri* Medico, operam dedit, ut venenum ipſi propinaretur. Quarè intra ſex menſes *Guntherus*, qui ad electionem ſuam armis tutandam ſeſe comparabat, ſublatus eſt; *Carolus* verò, incruentâ partâ victoriâ, ſolus Imperio liberè potitus eſt, ejusque inauguratione, quæ Aquisgrani anno MCCCXLIX. facta eſt, quievere penitùs omnes in Germania excitatæ turbæ. In Italiam venit *Carolus IV.* anno MCCCLV. ac Romæ die Paſchatis coronam Imperii accepit ab *Ægidio* Cardinali Pœnitentiario *Innocentii VI.* Pontificis Maximi, ſtatimque, juxtà pacta conventa cum eodem Romano Pontifice, urbe exceſſit, ac

totâ ditione Pontificiâ. Haud malè Imperium rexit *Carolus IV.* fuitque Princeps æquiſſimus, in utilitates Eccleſiæ propenſiſſimus, erga ſacras reliquias, præſertim Crucem, Lanceam & Clavos, quibus confixus eſt Chriſtus Dominus, ſingulari pietate affectus. Ad promovenda litterarum & linguarum ſtudia, quibus erat impensè addictus, Pragæ Academiam inſtituit. Legem dictam *Carolinam*, ſeu *Bullam auream*, in Comitiis Nurembergæ anno MCCCLVI. habitis promulgavit, quæ continet triginta Capita, in quibus præſcribitur forma, ſeu modus aut ritus procedendi in celebranda ſive Romanorum Regis, ſive Imperatoris electione, & determinantur ſingulorum Electorum numerus, officia, locus, comitatus, jura, aliaque plura in ea ſtatuuntur ad generale Imperii regimen attinentia. *Wenceslaum* filium ſuum quindecim annorum adoleſcentem, redemptis magnâ pecuniæ vi ſeptem Principum Electorum ſuffragiis, Romanorum Regem creavit anno MCCCLXXVII. Quo facto haud parvam nomini ſuo inuſſit maculam, proditâ propter nimium privatæ ſuæ familiæ ſtudium Imperii majeſtate, ſicut refert *Æneas Sylvius*, qui poſteà Summus Pontifex fuit, dictus *Pius II.* Cap. XXXIII. *Hiſtoriæ Bohemicæ*. Vitâ functus eſt *Carolus IV.* anno MCCCLXXVIII. in Vigilia S. Andreæ, ut *Albertus Argentinenſis*, & *Trithemius* teſtantur. *Wenceslaum*, filium natu majorem, Bohemici Regni, Imperiique ſucceſſorem reliquit. Hic, ut jam diximus, Patris ſui *Caroli IV.* artibus ac pecuniâ in Romanorum Regem anno MCCCLXXVII. electus, ſucceſſit eidem in Imperio anno MCCCLXXVIII. Princeps corpore, animoque deformis, libidini, crapulæque, incanta-

 tio-

tionibus, ac ſævitiæ, inſtar *Neronis*, deditiſſimus nihil geſſit memoriâ dignum. Luſtralem aquam, dum baptizaretur, lotio reſperſit, ſicut unus è Græcis Imperatoribus *Conſtantinus Copronymus*, uti refert *Dubravius*. Imperium peſſimè adminiſtravit uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum. Nam præter mox memorata illa vitia, quibus, inſtar ſuis in volutabro, ſeſe fœdavit, Imperii jura diſſipavit, Urbem, Ditionemque Mediolanenſem *Joanni Galeatio* Virtutum Comiti vendidit, ipſumque primi Mediolanenſium Ducis titulo inſignivit, acceptis ab eodem centum & quinquaginta millibus Florenorum; latrocinia permiſit, in Sacerdotes, aliosque viros honeſtos crudeliter ſæviit, quorum plures in flumen præcipites egit, igne damnavit, aliisve ſuppliciis vexavit & peremit. His turpiſſimis moribus infectus *Wenceslaus* Imperator, in tantum ſuorum odium & contemptum venit, ut anno milleſimo quadringenteſimo ab Electoribus fuerit Imperio privatus. Hanc exauctorationis in *Wenceslaum* ſententiam à *Joanne* Archiepiſcopo Moguntino cæterorum Electorum nomine latam refert *Odoricus Raynaldus* ad ann. MCCCC. num. XIII. Habes nunc ſeriem Imperatorum, qui Sæculis XIII. & XIV. Occidentis Imperium gubernarunt, compendioſè quidem, ſed accuratè, quantùm fieri potuit, deſcriptam.

D. Tot varios & infauſtos rerum eventus, quibus Sæculis XIII. & XIV. Imperium tam Orientis, quàm Occidentis jactatum eſt, & Eccleſiæ perturbata tranquillitas, dum tacitus mecum perpendo, non poſſum, ut candidè fatear, quin vehementer indoleam, hisque ſuccenſeam Principibus Chriſtia-

ſtianis, qui æſtu ambitionis abrepti turbas excitarunt, & omnia in Eccleſia sùs dèque miſcuerunt. At expectatio rerum bonarum, quas alii Orbis Chriſtiani Principes iisdem Sæculis pro utilitate & defenſione Eccleſiæ geſſerunt, jacentem animum erigit, & inducit in ſpem, melioremque cogitationem. Oſtende igitur, obſecro te, quo loco eſſent res Eccleſiæ Sæculis XIII. & XIV. ſub Chriſtianiſſimis Galliarum Regibus.

M. Ineunte Sæculo XIII. *Philippus II.* cognomento *Auguſtus* Galliarum Rex, de quo haud pauca in Colloquio primo in Hiſtoriam XII. Eccleſiæ Sæculi diximus, annum Regni ſui agebat vigeſimum, pace initâ ipſum inter & *Joannem*, dictum *Sine terra* Anglorum Regem, lætiſſimum. Sed breve fuit populorum de pace gaudium. Rex quippe *Joannes* Pariſios à *Philippo Auguſto* vocatus, ut tanquàm Regis Francorum Beneficiarius pro Comitatu Pictavienſi, & Andegavenſi, & Aquitaniæ Ducatu ſtatâ die coram illo ſe ſiſteret, reſponſurus ad ea, quæ ei objicere debebat, nec per ſe, nec per Oratorem comparuit. Quocircà Rex *Philippus Auguſtus* bellum redintegravit, & *Joannem* Anglorum Regem inobedientem in ordinem redegit. *Joannes de Sancto Victore* ad annum MCCXXIII. de *Philippo Auguſto* non minus de Eccleſia, quàm de Regno Galliarum benè merito hæc ſcribit, quæ illum plurimùm commendant: *Hoc anno*, inquit, *obiit Philippus Rex Francorum ab aliquibus Auguſtus cognominatus hujus nominis II. fortunatiſſimus, qui Regnum Francorum ferè duplo ampliavit. Hic in omnibus Actis felix, Eccleſiarum & Perſonarum religioſarum amator & fautor, & ſpecialiter Eccleſiarum S. Dio-*

S. Dionyſii & Victoris Pariſius. De ipſo referebat B. Ludovicus ejus ex filio nepos, quòd cùm dictus Philippus Rex reprehenderetur à quodam milite ſuo Conſiliario, quia tot dabat Eccleſiis, & quòd perſonæ Eccleſiaſticæ multa damna ei inferebant, jura videlicet ipſius uſurpando, multique mirabantur, quomodo hæc ita pacificè ſuſtinebat, & ſub ſilentio præteribat, reſpondit: Benè credo id quod dicitis, ſed quando cogito Beneficia, quæ Deus mihi contulit, cui ipſi deſerviunt, & ad quem pro me preces & pro Regno fundunt, malo hoc pati pro Deo, quàm inter me & Eccleſiam ſcandalum generare, vel ſuſcitare, & eos, quorum orationes ſcio mihi profuiſſe, contra me provocare. *In favorem etiam Eccleſiæ conſtituit, ne Judæi apud ſe quocumque modo veſtimenta Eccleſiaſtica, vel ornamenta Altaris, vel Cruces, aut libros, ut Miſſalia & Textus retinerent, & retenta redderentur abſque pecunia, & quod dicti Judæi nulli religioſo mutuarent pecuniam ſine licentia Abbatis ſui. In Eccleſia Beatæ Mariæ Pariſienſis quatuor Capellanias conſtituit pro anima Gaufridi Comitis Britanniæ, & etiam pro anima Iſabellis Reginæ, & multa alia bona, propter quæ Deus contra omnes inimicos ſuos victorem ſemper fecit. Nam Normanniam, Pictaviam, Andegaviam, Cenomaniam, Aquitaniæ magnam partem contra Regem Anglorum* (Joannem ſcilicet dictum Sine terra) *acquiſivit. Flandriam, Hannoniam, Boloniæ Comitatum. Sed etiam tantæ benignitatis & liberalitatis fuit, quòd Comitatum Flandriæ, quem Ferrandus juſtè amiſerat, reddidit Margaretæ ſatis juveni, & ejus ſorori Joannæ uxori Ferrandi. De laude igitur Philippi Regis dicere poſſumus, quòd à tempore Caroli Magni non fuit Rex in Francia, qui tot agones habuit pro* Re-

Digitized by Google

Regno ſuo gubernando, nec aliquis tot victorias. Fortunatus enim in omnibus fuit, & multas bonas Conſtitutiones in Regno fecit. Bellum Belgicum omni ex parte ſecundo marte confecit *Philippus Auguſtus*, Imperatore *Ottone*, necnon *Ferrando* Flandriæ, & *Reginaldo* Morinorum Comitibus, numeroſo cum exercitu, ad Bovinas, Tornacum inter & Inſulam juſto prælio profligatis anno MCCXIV. In cujus victoriæ celeberrimæ accepti beneficii monimentum, Abbatiam propè Silvanectum erigere decrevit Rex Chriſtianiſſimus, ejuſque votum *Ludovicus VIII.* ejus filius exoluit, & *Victoriæ* nomen Abbatiæ indidit. Omnium Literatorum amantiſſimum fuiſſe *Philippum Auguſtum*, eoque regnante, Academiam Pariſienſem multùm floruiſſe oſtendit *Egaſſius Bulæus* tomo 3. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pagina 109. Poſtremò, *Rigordus*, qui *Philippi Auguſti* geſta litteris commendavit, hoc unum in tanto Rege reprehenſione dignum fuiſſe teſtatur, quod *Iſemburgim* Reginam uxorem ſuam duriùs habuerit, & ab ea ſexdecim annos & ampliùs diſſenſerit; quam tamen in gratiam recepit anno MCCXXIII. Mortuo *Philippo Auguſto* Galliarum Regi ſucceſſit *Ludovicus VIII.* ejus filius cognomento *Leo*, annum agens ætatis ſuæ trigeſimum circiter ſeptimum, qui, vivente adhuc patre ſuo *Philippo Auguſto*, Expeditionem Anglicanam eâ occaſione ſuſcepit. Anno MCCXVI. *Innocentius III.* Pontifex Maximus à *Joanne* dicto *Sine terra* Anglorum Rege enixiſſimè rogatus, Barones Angliæ, quòd *Joannem* è Regno Angliæ expellere molirentur, nominatim excommunicavit. Eo Summi Pontificis patrocinio adjutus *Joannes* Anglorum Rex, impunè omnia vaſtare, diripe-

ripere, ferro, flammiſque mandare cœpit, adeòut nunquam tam luctuoſa, lugubriſque viſa fuerit ullibi rerum facies, quàm in Anglia, cujus miſerrimæ cladis hypotipoſim exhibet *Matthæus Pariſius* ad hunc annum. Rebus in eo poſitis, Barones Regni Angliæ omnium rerum inopes, neſcii quò, aut ad quem confugerent, demùm, miſſis Legatis, *Ludovicum* filium Philippi Auguſti Galliarum Regis ſibi popoſcerunt in Regem, quorum precibus acquieſcens *Ludovicus* reſcripſit, ſe quamprimùm auxilio affuturum. Id ubi reſcivit Pontifex *Innocentius III.* Legatum miſit in Gallias *Wallonem*, ſeu *Gualonem* S. Martini Presbyterum Cardinalem ad *Philippum*, & *Ludovicum* cum litteris deprecatoriis, ne *Joannem* Anglorum Regem jam aliundè ſatis afflictum magis affligerent. At fruſtrà minis prohibente Legato, *Ludovicus* propoſiti tenax exercitum deportavit in Angliam, urbes adventu ſuo conſternatas, aut expugnatas in deditionem accepit, agros depopulatus eſt, fautoreſque *Joannis* Anglorum Regis ubique paſſim oppreſſit. Hinc à *Gualone* Summi Pontificis Legato ſententiâ excommunicationis perculſus eſt *Ludovicus*, qui ideò Romam Legatos miſit, ut eum apud *Innocentium III.* Pontificem Maximum excuſarent; & *Joannem* Angliæ Regem multorum criminum inſimularent, præſertim verò, quòd *Arturum* nepotem ſuum Regni legitimum hæredem jugulaſſet; ſed parùm illi Legati profecerunt. Interim *Ludovicus* longè latèque in Anglia dominabatur, dumque acerrimo animorum æſtu utrinque decertaretur, contigit & *Joannem* Anglorum Regem, & *Innocentium III.* Papam mori. *Joannes* Angliæ Regni hæredem reliquit *Henricum*

Pri-

Primogenitum ſuum, qui tantùm decennis erat, Cuſtodemque, ſeu Tutorem habuit *Willelmum de Penbroc* Angliæ Mareſcallum, qui ſapientibus conſiliis ſuis Anglorum animos ad obſequium novo Regi præſtandum, & Gallos ex Anglia expellendos convertit. Quò factum eſt, ut *Ludovicus*, conceſſo Angliæ Regno *Henrico* hujus nominis *III.* filio *Joannis*, in Galliam regreſſus ſit, gloriam ex animi moderatione non minorem, quàm antehàc ex bellica fortitudine ſibi pepererat. In Gallias reverſus *Ludovicus* duas Expeditiones ſuſcepit, unam adversùs Anglos in Aquitaniam, ubi *Savaricum Malleonenſem* huic Provinciæ Præfectum, & magni in Anglica Aula nominis virum, prælio vicit, & Rupellam, quò Angli appellere ſolebant, in ſuam poteſtatem redegit anno MCCXXIV. Alteram Expeditionem anno MCCXXVI. in Albigenſes aggreſſus eſt, quorum omnia penè Oppida, præter Toloſam, quam peſtilentiæ metu obſidere noluit, ad deditionem compulit. Sed in citeriorem Galliam ab hac Expeditione rediens dyſenteriæ morbo correptus, ad *Montempenſſerium* in Arvernia è vita migravit eodem anno MCCXXVI. Princeps fuit caſtiſſimus, qui, teſte ejus Geſtorum Scriptore apud *Ducheſnium* tom. 5. nullam, præter uxorem ſuam, fœminam cognovit unquam, oblatamque ſibi virginem eleganti formâ præditam, dum ægrotaret, quâ morbum ex Medicorum conſilio depellere poſſet, conſtanter recuſavit his verbis: *Non ita erit, non enim peccarem mortaliter ullo modo*, maluitque mori, quàm fœdari, ſicut refert *Guillelmus de Podio Laurentii* cap. 25. *Hiſtoriæ Albigenſium*.

Defuncto *Ludovico VIII.* Galliarum Rege, Solium

lium Regale conſcendit *Ludovicus IX.* ejus filius annum agens ætatis duodecimum, qui ſtatim Remis inauguratus eſt. Exordio Principatus ſui *Ludovicus IX.* ſub tutela matris ſuæ *Blanchæ* heroici animi & pietatis eximiæ fæminæ, *Philippum* Boloniæ Comitem, *Theobaldum* Campaniæ, alioſque Princeps, qui ægrè ferebant, quòd *Blancha*, genere extera, rerum ſummâ in Regno potiretur, armis ad obſequium compulit. Dein, ſacrum bellum jam à patre ſuo ſuſceptum contra Albigenſes, qui in Miniſtros, & Eccleſias immaniter graſſabantur, inſtauravit, illudque feliciter confecit an. MCCXXVIII. quo *Raymundus*, filius *Raymundi* ſenioris Comitis Toloſani, cujus præſidio fulta Albigenſium hæreſis totam regionem infecerat, ejuratâ Lutetiæ Pariſiorum hæreſi, filiam ſuam *Alphonſo*, fratri *Ludovici IX.* Galliarum Regis, cum Toloſani Comitatus dote collocavit. Finitâ contra Albigenſes ſacrâ militiâ, de qua in Colloquio tertio iterùm redibit ſermo, conditiſque ſanctiſſimis legibus ad Hæreſeos extirpationem, & ad Eccleſiaſticæ reſtaurationem libertatis in Narbonenſi, & Arelatenſi Provincia, gravi, ac periculoſo ex morbo recreatus *Ludovicus IX.* Crucis Inſigne anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto ab Epiſcopo Pariſienſi accepit, & ſacrum bellum in Ægyptum invexit, cujus tota moles in *Damiatam* urbem Ægypti incubuit, quam Saraceni à Francis magna clade affecti ac in fugam compulſi, injecto igne, deſeruerunt, eamque, poſtquam extinctus fuiſſet ignis, piiſſimus Rex, nudis pedibus & capite, ingreſſus eſt, ejuſque Templum à Mahometanæ ſuperſtitionis ſordibus omninò repurgavit anno MCCXLIX. At, proh dolor!

anno

anno ſequenti poſt atrociſſimum prælium Rex *Ludovicus IX.* captus eſt à Saracenis cum fratribus ſuis *Alphonſo* Pictavienſi, & *Carolo* Andegavenſi, nihil tamen clade ſuâ dejectus, tam fortêm ac magnanimum in ſua captivitate exhibuit animum, ut, Babyloniæ Sultano à ſuis occiſo, Mammalucchi de eo in Regem eligendo deliberarint, idque reapsè præſtitiſſent, niſi Religionis diſſimilitudo obſtitiſſet, ut *Joinvillæus* teſtatur. Redditâ Saracenis Damiata, Rex in libertatem aſſertus annos quinque in Syria commoratus eſt, ubi omnes Regiæ, paritèr & Chriſtianæ virtutis numeros implevit, captivos redemit innumeros, & cõplures Saracenos ad fidem Chriſtianam convertit. Accepto tandem nuncio de morte Reginæ Matris, cui Regni procurationem demandaverat, in Gallias rediit anno MCCLIV. Lutetiam reverſus *Ludovicus IX.* promovendæ publicæ utilitati, atque amplificandæ Religioni totum ſe dedidit. Juſtitiam caſtè adminiſtrari, ſanctiſſimis conditis legibus, judicibuſque integerrimis conſtitutis, non ſolùm curavit Rex optimus, ſed etiam ſubditis ſuis, maximè pauperibus, jus ipſe dicere ſolitus erat ad Nemus vincennarum ſub patulę quercus umbra cauſas ipſorum audiens. Meminerat quippè, ſe à Deo Regnum accepiſſe, non ut ſibi, ſed Religionis, ac Subditorum tranquillitati conſuleret. Hinc ille amplificandę fidei nunquàm intermiſſus ardor, plena animi pietas, plena dignitatis & modeſtiæ ad pervidenda, quæ Reipublicæ Chriſtianæ rationibus conducebant, prudens ſagacitas ad conficienda quæ perviderat, conſtantia ſingularis, mens recta, ut nihil vellet aliud, niſi quod eſſet optimum; ſumma auctoritas, ut

quod

quod optimum eſſe intelligebat, ad optatum exitum id certè perduceret. Hinc ſumma illa charitas, quâ Ordines Fratrum Prædicatorum, & Minorum complectebatur, quorum Cænobia Pariſiis, & in aliis Galliarum Regni civitatibus plurima ejus ſumptibus erecta ſunt; invictum illud animi robur, quo, pro tuenda gloria Dei, Edicto ſanxit, ut blaſphemiæ, pœnâ ferri candentis in blaſphemantes decretâ, punirentur, luxus in veſtibus, conviviiſque reprimeretur, publicæ Meretrices ex urbibus & pagis expellerentur, & ludi aleatorii prohiberentur. Sed anguſtior erat Europa, quàm ut tantam Regis pietatem in ſe contineret. Iterùm in Africam anno MCCLXIX. tranſmiſit *S. Ludovicus* Tunicium expugnaturus, ut indè in Terram Sanctam, ſive in Ægyptum tranſiret; utrobique Chriſtianos à Saracenorum tyrannide vindicaturus. Votis tamen non reſpondit exitus ille, cujus explorata ſpes injecta fuerat. Caſtra ſiquidem Chriſtianorum lues invaſit, quæ juncta dyſenteriæ Sanctum Regem afflavit. Quarè, cùm præclara *Philippo* primogenito ſuo tradidiſſet documenta, quæ Gallicè *Joinuillaus* hiſtoriæ ſuæ inſeruit, Latinè verò verterunt *Gaufridus de Bello loco, & Guillelmus Nangius*, migravit ad Dominum an. MCCLXX. inter Sãctos poſt mortem à *Bonifacio VIII.* Pontifice Maximo ſolemni canonizationis ritu adſcriptus. Extant adhuc Pariſiis, inter cætera alia piæ liberalitatis *Sancti Ludovici* Galliarum Regis perpetua monimenta, Sacrum Sacellum ab ipſo fundatum, in quo ſpinea Corona Salvatoris, pars vivificæ Crucis, aliæque Reliquiæ ſumma cum veneratione aſſervantur; Et Domus Hoſpitalis vulgò dicta
Quin-

Quindecim viginti, ſeu trecentorum cæcorum, quam *Sanctus Ludovicus* confeſtim poſt ſuum ex Syria reditum ad recipiendos & alendos trecentos cæcos excitavit, dotavitque in memoriam trecentorum militum ſuorum, qui ab Infidelibus crudelitèr excæcati fuerunt, dùm ipſe Terram Sanctam ab eorum manibus eripere conaretur. *S. Ludovico* Galliarum Regi ab hac mortali vita ad Cœleſtem translato ſucceſſit ejus filius *Philippus III.* dictus *Audax*, qui, pace cum Tunicii Rege certis quibuſdam legibus confectâ, in Gallias ex Africa rediit, & Sacra parentis ſui *Sancti Ludovici* oſſa Pariſios ad Sandionyſianas Ædes auguſtiſſimâ pompâ funebri deferri curavit, eoque pietatis officio perfunctus, Remis ipſo die Aſſumptioni Virginis ſacro fuit ab Epiſcopo Sveſſionenſi anno MCCLXXI. de more coronatus. Comitatus Toloſani, qui ejus patrui *Alphonſi*, Pictavorum ac Toloſatium Comitis, ex Africa redeuntis morte vacabat, poſſeſſionem adiit. Cum *Petro* Aragoniæ Rege acre ac diuturnum bellum geſſit *Philippus Audax* Galliarum Rex, cujus originem & cauſam paucis aperire non abs re erit. *Urbanus IV.* Pontifex Maximus, utriuſque Siciliȩ Regnum in *Carolum* Andegavorum Comitem, *Sancti Ludovici* fratrem, tranſtulerat anno MCCLXIII. quod idem jus *Clemens IV.* qui *Urbano IV.* ſucceſſit, novo Decreto firmavit. *Carolus* itaque Romæ unà cum conjuge Rex Siciliæ coronatus *Manfredum* Siciliæ tyrannum, & filium ſpurium impii *Friderici II.* Imperatoris, ſibi cum valido exercitu occurrentem anno MCCLXVI. acie vicit, & occidit, atque biennio poſt *Conradinum*, ejuſdem *Friderici II.* quondam Imperatoris nepotem, Siciliæ

Regnum affectantem ad Fucinum lacum prælio ſuperavit, & in ſuam poteſtatem redactum capitis ſententiâ damnavit anno MCCLXVIII. Hunc finem habuit maledicta, ac Sedi Apoſtolicæ jure merito exoſa ſtirps *Friderici II.* Imperatoris. Adversùs *Carolum*, utriuſque Siciliæ Regnum legitimè ac pacificè poſſidentem, *Michaël Palæologus* Græcorum Imperator novo & arcano artificio machinatus eſt conjurationem. *Petrum* enim Aragonum Regem extimulavit ad Siciliam invadendam, quaſi ſibi debitam jure uxoris ſuæ *Conſtantiæ*, filiæ *Manfredi* Siciliæ olim invaſoris. Hæc horrenda conſpiratio, quæ ob malas & occultas artes, quibus incępta ac finita eſt, verè appellari poteſt *Negotium perambulans in tenebris*, crudeliſſimum poſt hominum memoriam habuit exitum. Anno ſiquidem MCCLXXXII. die XXX. Martii ſub campanæ ſignum ad Veſpertinum Officium convocantis (undè *Sicularum Veſperarum* nomen) per ſingula inſulæ oppida omnes ad unum Galli cujuslibet ſexus, ætatis, conditionis, & ordinis ex condicto à Siculis trucidati ſunt, *Petro* Aragoniæ Rege cum ſua claſſe in Anchoris rei exitum haud valde procùl expectante. His infauſtis auſpiciis *Petrus* Aragonum Rex Siciliæ Regnum invaſit, quem *Martinus IV.* Pontifex Maximus confeſtim diris devovit, exauctoravit, ejuſque Aragoniæ Regnum *Carolo*, filio *Philippi Audacis* Galliarum Regis, detulit. Hanc Pontificiam Regni Aragonii donationem acceptavit *Philippus Audax*, juſtumque bellum *Petro* Aragoniæ Regi intulit ob videlicet Gallorum ſtragem, ejus, ut credebatur, nutu in Siculis Veſperis editam, ob uſurpatum Siciliæ Regnum, injuriamque illatam

&

& Romanæ Eccleſiæ & *Carolo* Regi Siciliæ patruo ſuo. Cum valido itaque exercitu, tot atroces injurias ulturus, in Aragoniam venit *Philippus Audax*, complures urbes expugnavit, &, commiſſo prælio, Aragonii fugere compulſi ſunt, *Petrus* verò eorum Rex accepto vulnere paulò poſt obiit. Ex hac bellica expeditione in Gallias rediens *Philippus Audax*, contracto ex aëris intemperie, & itineris difficultate morbo, Eccleſiæ Sacramantis piè ſuſceptis, conditoque Teſtamento, quod *Lucas Dacherius* tomo IX. *Spicilegii* pag. 268. refert, ſupremum diem obiit Perpiniani die VI. Octobris anni MCCLXXXV. Eum jejuniis, & mirabili ciborum abſtinentiâ corpus ſuum maceraſſe, cilicio loricam deſuper indutum uti ſolitum fuiſſe, aliiſque Chriſtianis præfulſiſſe virtutibus aſſerit *Guillelmus Nangius* Monachus San-dionyſianus Ordinis Benedectini. *Philippo Audaci* ſucceſſit ejus filius *Philippus IV.* qui ob formæ præſtantiam, & decentiſſimam totius corporis ſpeciem dictus eſt *Pulcher*. Hic Remis VIII. Idus Januarii anni MCCLXXXVI. inauguratus, aſſidua ferè cum Anglis eorumque fœderatis Belgis bella ſuſcepit. *Eduardum V.* Angliæ Regem, qui Normaniam & Aquitaniam invaſerat, magnâ clade repreſſit duce *Carolo Valeſio* anno MCCXCIII. & per eum Aquitaniam recepit. *Guidonem* Flandriæ Comitem vicit ad Furnas anno MCCXCV. & non multò poſt per *Carolum Valeſium* Belgas anno MCCXCIX. rursùs perdomuit. At triennio necdùm elapſo, cùm *Jacobus Caſtilionæus*, Belgii regio nomine præfectus, tributorum gravitate plebem nimiùm vexaret, Belgæ tam duri jugi ferendi impatientes, à *Philippo Pulchro* defece-

runt, quos ipſe ut in ordinem redigeret, validum contraxit exercitum, qui ad Curtracum cum ſeditioſis infeliciter pugnavit anno MCCCII. Cæſa quippè Gallorum viginti millia. Inſula, Gandavum, Duacum, Caſtellum, cæteraque oppida *Guidoni* triumphanti faſces ſubmiſerunt, ac portas aperuerunt. Hujus cladis acceptæ ignominiam biennio poſt delevit *Philippus Pulcher*, ac priſtinum belli decus reparavit. Commiſſo ſiquidem ad Audomaropolim prælio anno MCCCIV. quindecim Belgarum millia profligavit, eoſque compulit ut pacem cum illo inirent, eâ tamen lege ut ſuis moribus ac inſtitutis viverent, veterique immunitate fruerentur. Hic fuit belli Flandrici exitus, de quo plura ſcribunt *Joannes Villanius*, qui tum in Belgio verſabatur, continuator *Guillelmi Nangii*, *Paulus Æmilius*, *Nicolaus Gilius*, & *Papirius Maſſonus*, aliique Francorum Hiſtorici. Cum *Bonifacio VIII.* Pontifice Maximo, *Philippo Pulchro* Galliarum Regi negotium fuit ac diſſidium acerrimum, cujus originem & cauſam in ſequenti Colloquio, texendo ſeriem Romanorum Pontificum, commodiùs referemus. Ordinis Templariorum extinctionem promoviſſe *Philippum Pulchrum*, eamque à *Clemente V.* Romano Pontifice in Concilio Viennenſi obtinuiſſe, ſuo loco itidèm oſtendemus, ſeu in Colloquio] quarto, ubi de Conciliis, quæ ſæculis XIII. & XIV. fuerunt celebrata, deditâ operâ agemus. Exceſſit è vita *Philippus Pulcher* apud Fontemblaudi, ubi natus erat, ſacramentis Eccleſiæ piè ſuſceptis die XXX. menſis Novemb. ann. MCCCXIV. Ejus conjugis *Joannæ* plurimùm commendatur liberalitas, quippequæ Pariſiis celeberrimum Navarræ

varræ fundavit Collegium, cujus Fundationis litteræ, aliaque ad eam ſpectantia legũtur in hiſtoria ejuſdem Collegii Navarræ, quam edidit *Joannes Launojus* Sac. Fac. Pariſienſis Doctor. Mortuo *Philippo Pulchro* Galliarum Regi ſucceſſit ejus filius *Ludovicus X.* cognominatus *Hutinus*, ideſt, rixoſus & pervicax, annos viginti ſex natus. Remis inauguratus bellum ſuſcepit Belgicum, & Curtracum obſidione cinxit, quam tamen brevi ſolvere coactus, rediit inglorius. Supremum Senatum Lutetiæ in Palatio Regio collocavit, & Ordinarium inſtituit. Veneno ſublatus eſt *Ludovicus X.* die quintâ Junii anni MCCCXVI. Regni undevigeſimo menſe, Reliquit filiam *Joannam* ex priori uxore, & *Clementiam* alteram uxorem ſuam gravidam. Quare *Philippus* ejus frater, qui ob ſtaturæ proceritatem fuit *Longus* appellatus, Pariſios veniens Regni adminiſtrationem ſuſcepit, dùm *Clementia*, uxor *Ludovici X.* ejus fratris, peperiſſet, & ſi maſculum pareret, donec adoleviſſet. Peperit *Clementia* filium *Joannem I.* dictum, qui paucos poſt dies mortuus eſt. Tum *Philippus* hujus nominis *V.* frater *Ludovici X.* ab omnibus Rex agnitus eſt, & Remis die Epiphaniæ inunctus, rejectâ *Joanna*, *Ludovici X.* filiâ, propter legem Salicam, quæ fœminas in Galliis à Corona Regia arcet, eamque ſolis maſculis adjudicat. Nihil præclarum geſſit *Philippus* hujus nominis *V.* Galliarum Rex, & ineunte anno ſexto Regni ſui obiit, nulla ex ſe virili prole relictâ, die III. Januarii anni MCCCXXII. Poſt *Philippum Longum* regnavit in Galliis ejus frater *Carolus IV.* ob egregiam formam *Pulcher* nuncupatus, de quo, præter bellum Aquitanicum, quod duce

Carolo Valeſio feliciter geſſit, nihil laude ac memoriâ dignum dicendum occurrit. Vitâ functus eſt *Carolus Pulcher* die I. Februarii anni MCCCXXVIII. Regni ſui ineunte anno ſeptimo. Uxorem *Joannam* gravidam reliquit, quæ mox filiam enixa eſt, ſicque per legem Salicam omninò defecit, ac jure Regni excidit familia *Philippi IV.* dicti *Pulchri* Galliarum Regis, cujus tres filii, qui poſt ipſum ſucceſſivè regnarunt, ſine prole maſcula continentèr mortui ſunt.

D. Deficiente familiâ *Philippi IV. Pulchri* cognomine donati, cuinam delata fuit Galliarum Regni corona?

M. Mortuo *Carolo IV.* qui ultimus fuit ex ſtirpe *Philippi Pulchri* oriundus, de Jure ad Galliarum Regnum diſceptavere *Eduardus VI.* Anglorum Rex, *Elizabethæ* ſororis *Caroli IV.* filius, ac ſubindè ejuſdem *Caroli* nepos, & *Philippus Valeſius*, qui defuncti *Caroli IV.* patruelis erat. Hæc lis inter utrumque Principem de Jure ad Galliarum Regnum ſuborta, diu agitata eſt, ac tandem *Philippo Valeſio* omnium Regni Parium conſenſu adjudicata. Hic, licèt *Bene Fortunatus* Rex fuerit appellatus, Galliarum tamen Regnum malè fortunatum fecit, Bello cum *Eduardo VI.* Anglorum Rege infelicitèr geſto. Eo ſiquidem bello ſæpiùs Galli fuere victi, primùm ad *Cluſas* in Flandria navali certamine die XXIII. Junii anni MCCCXL. Deindè, terreſtri ad *Croſſiacum* die XXVI. Auguſti an. MCCCXLVI. in quo prælio Principes undecim, Equites mille ducenti, peditum triginta millia in Francorum exercitu cecidêre, & ex eo Caletum oppidum in poteſtatem venit Anglorum. Felicior fuit *Philip-*

pus

pus Valeſius Rex in bello Belgico, quod ſtatim poſt adeptum Galliarum Regnum ſuſcepit. Nam commiſsâ ad Caſſellum pugnâ, Belgarum ampliùs duodecim millia internecione delevit, *Caſſellum*, *Poperingæ*, *Ipræ*, *Brugæ* Urbes munitiſſimæ deditionem fecerunt. Obiit *Philippus Valeſius* hujus nominis *VI.* die XXII. menſis Auguſti anni MCCCL. & in ejus familia, *Valeſiana* ſcilicet, Galliarum Regnum ducentis annis, hoc eſt uſque ad obitum *Henrici III.* conſtitit. Hîc autem duas res memorabiles, quæ, regnante in Galliis *Philippo Valeſio* contigerunt, ſilentio prætermittere haud poſſum.

In primis, regnante *Philippo Valeſio*, acta eſt anno MCCCXXIX. celebris illa cauſa Epiſcoporum, & Prætorum Regiorum, ſeu Eccleſiaſticorum & Sæcularium Judicum. Prætores Regii, teſte *Papirio Maſſono*, omnem juriſdictionem ad Epiſcopos tranſire conquerebantur; Epiſcopi verò à Prætoribus Regiis injuriam ſibi fieri aſſerebant, quòd Eccleſiaſticam libertatem infringere, quantùm in ſe erat, non dubitarent. *Philippus Valeſius* Rex de hacce controverſia cogniturus, Lutetiam eos convocavit. Tùm *Petrus Cunerius*, ſeu de *Cuneriis*, vulgò gallicè, ſed corruptè, *Maitre Pierre du Coignet*, ex ordine Equeſtri Conſiliarius, & Advocatus in Senatu Pariſienſi, cauſam Prætorum, ſeu Sæcularium Judicum, egit acerrimè, adversùs quem pro juriſdictione Eccleſiaſtica diſputarunt *Petrus Rogerii* (qui deindè ad Pontificatum Maximum evectus eſt, & vocatus *Clemens VI.*) *Petrus Bertrandus* Æduenſis Epiſcopus, poſteà S.R.E. Cardinalis. Primas reſponſiones ad Objecta *Petri Cunerii* fecit *Petrus Rogerius*, cæteras *Bertrandus* Epiſcopus

D 4 Ædu-

Æduenſis. Exitus judicii hic fuit. Rex, ne poſteris exemplum daret de Sacerdotum privilegiis aliquid detrahendi, nihil immutandum pronunciavit, *Seque jura Eccleſiarum aucta, quàm imminuta eſſe velle*; monuit attamen Antiſtites ut Eccleſiæ abuſus & exceſſus corrigerent, & ſic tollerentur deinceps omnes querelarum occaſiones, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCXXIX. Hac periculosâ lite diſceptatâ, tantam ſibi invidiam conflavit, odiumque in ſe concitavit *Petrus Cunerius*, ut omnium ſibilis exploderetur, atque ad majorem ei inurendam infamiæ notam, quia Eccleſiam infra juriſdictionem Regiam deprimere contenderat, factum eſt ipſius ſimulacrum ſimum ac deforme, inque Chori Cathedralis Eccleſiæ Pariſienſis parietem obſcuro in angulo infixum ſub repræſentatione orci ſive Inferorum, quod ſcholaſtici prætereuntes ſuis ſtylis ſcriptoriis, pugniſque confodere atque contundere ſolebant. Quâ de re plura legeſis apud jam citatum *Spondanum*, & apud *Egaſſium Bulæum* tom. 3. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 222.

Altera res memorabilis, quæ ad tempora *Philippi Valeſii* Galliarũ Regis referri debet, eſt Provinciç ſeu, Principâtus Delphinatus ad Regias ditiones acceſſio, donatione *Humberti* Delphinatum Principis, qui rerum ſæcularium pertæſus, ac filiis orbatus, mundo nuncium remiſit, & Ordinem Fratrum Prædicatorum profeſſus eſt, relicto ſui Principatus, ſive Delphinatus hærede Primogenito Regis Galliæ, eâ lege, ut, ſuperſtite parente, ante aditum Regnum, *Delphini* nomen & Inſignia ferret. Quam donationem laudavit, approbavitque *Clemens*

mens VI. Pontifex Maximus litteris Apoſtolicis, quarũ meminit *Odoricus Raynaldus* ad an. MCCCXLIV. num. LXII., & ad annum MCCCXLV. num. VIII. Poſtquàm *Philippus Valeſius* Galliarum Rex ex hac vita migraſſet, anno, ut ſuperiùs obſervavimus, milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, *Joannes* ejus filius cognomento *Bonus* in illius locum ſuffectus eſt, Princeps excelſi quidem animi, ſed in gerendo cum Anglorum Rege hæreditario bello infeliciorem, quàm pater, habuit exitum. At enim, cum *Eduardo* Walliæ Principe, *Eduardi VI.* Anglorum Regis filio, prælium in Pictonibus die XIX. menſis Septembris anni MCCCLVI. magno quidem animo, ſed præcipiti conſilio commiſit, tamque infelicitèr ei ceſſit martis alea, ut cæſis ſex Francorum millibus, atque intèr cæteros *Petro Borbonio*, aliiſque proceribus, & octingentis Equitibus primariæ nobilitatis, ipſemet Rex *Joannes* captus fuerit cum *Philippo* filio natu minimo, qui à Patris latere nunquàm divelli potuerat, eumque, ſupra hominem pugnans, acriter defenderat. In Angliam itaque *Joannes* Galliarum Rex captivus abductus eſt; ſed quarto poſtquam captus fuerat anno, tricies centum aureorum millibus, hoc eſt tribus aureis millionibus redemptus, Pariſios rediit, & in Regnum, variis ob ejus abſentiam factionibus ac ſeditionum procellis agitatum, receptus eſt. Tot exhauſtus calamitatibus, ſacram contra Turcas expeditionem meditatus *Joannes* Rex, cujus ab *Urbano V.* Pontifice Maximo Dux fuerat renunciatus, in Angliam anno MCCCLXIV. trajecit, ut Angliæ Regem in belli ſacri ſocietatem pellicere poſſet. At morbo correptus obiit Londini die VIII.

Apri-

Aprilis ejuſdem anni, eique funus magnificè ab *Eduardo* paratum, corpuſque in Gallias remiſſum, quod in Eccleſia Monaſterii San-Dionyſiani ſepulturæ mandatum eſt. *Carolus* hujus nominis *V.* cognomento *Sapiens*, mortuo patri ſuo *Joanni* Galliarum Regi ſucceſſit, & Remis die IX. Maji anni MCCCLXIV. inauguratus eſt. Hic fortunam in bellis magis ſecundam, quàm pater, expertus fuit. Duce *Bertrando Gueſclino* Aremorico, & rei militaris ſcientiſſimo, bellum Hiſpanicum felicitèr confecit adversùs *Petrum* Caſtellæ Regem, dictum *Crudelem*, ut ulciſceretur injuriam *Blancæ* Reginæ, ſorori uxoris ſuæ, factam, quam ille Rex *Petrus Crudelis* repudiaverat, probris affecerat, in carcerem detruſerat, ac tandem poſt injurias omnis generis toto decennio illatas, veneno necaverat, ſicut narrat *Mariana* lib. XVII. *De rebus Hiſpaniæ* cap. IV. Alterum bellum geſſit *Carolus V.* adversùs Anglos, quos mari terrâque vicit, & Aquitaniam, ac Novempopulanam omnem, Burdigala & Bajona exceptis, in ſuam redegit poteſtatem. Bellum denique movit contra *Joannem Montefortium* Aremoricæ, ſeu Britanniæ minoris Regulum, qui ad Anglos defecerat. De hiſce bellis à *Carolo V.* confectis legendi ſunt Continuator *Guillelmi Nangii*, *Froiſſardus*, *Walſinghamus*, *Paulus Æmilius*, aliique Hiſtorici. Obiit *Carolus V.* die XVI. Septembris anni MCCCLXXX. cujus abſolutiſſimum Elogium pangit Auctor Anonymus Operis, quòd inſcribitur *Somnium Viridarii* cap. CXXXV. apud *Goldaſtum* tom. 2. *Monarchiæ*. *Carolus V.* Galliarum Rex filium reliquit duodennem, qui ſtatim poſt obitum patris ex procerum & Optimatum conſilio inauguratus

tus eſt, dictuſque *Carolus VI.* cujus ætas cùm rebus gerendis necdùm idonea eſſet, Regni adminiſtratio *Ludovico* Andegavenſium Duci, patruo Regis *Caroli VI.* natu maximo, demandata eſt. Hic ille eſt *Ludovicus* Andegavenſium Dux, Regni Galliarum Regens, quem *Joanna*, Neapolis & Siciliæ Regina, in filium & Regni Neapolitani hæredem adoptaverat, quæ tamen à *Carolo Dyrrachino*, in quem *Urbanus VI.* Regnum Neapolitanum tranſtulerat, oppreſſa & perempta fuit, antequam Galli ei ſuppetias ferre potuiſſent. *Ludovicus* Andegavenſis à *Clemente VII.* tempore Schiſmatis Avenione ſedente coronatus Rex Neapolis, Siciliæ & Apuliæ, collectis copiis ex Provincia digreſſus, per Alpes Cottias in Italiam penetravit, ubi plurimis affectus incommodis, fatiſcente Francorum exercitu inſolitis æſtibus & morbis, interceptiſque ad vitam ſuſtentandam neceſſariis commeatibus, atque Italorum invidiâ infectis, ut fertur, veneno aquis, commiſſo prælio occiſus eſt, magnaque Gallorum edita ſtrages. Hæc in Italiam expeditio, quam *Ludovicus* Andegavenſis, Regni Galliæ Regens, & *Caroli VI.* Regis patruus ſuſcepit, funeſta fuit Galliarum Regno, quippè quæ Regium ejus ærarium exhauſit. Acceſſit etiam ad ejuſdem Galliarum Regni omnium malorum cumulum morbus *Caroli VI.* Francorum Regis, qui in Ducem Brittāniæ minoris vindictam animo noctu diuque verſans, in eum duxit exercitum; ſed cùm Cænomanos perveniſſet, ardore ſolis icto capite in amentiam incidit. Quarè *Carolo VI.* regnandi impote per dementiam facto, duo ſuperſtites ejus patrui *Joannes* Biturigum, & *Philippus* Burgundiæ

Duces

Duces Regni adminiſtrationem ſumpſerunt, *Ludovico*, Regis fratre & Aurelianorum Duce, rejecto, quæ res Burgundionem inter & Aurelianenſem, ac utriuſque ſtirpem implacabilis odii ſemen, belliquе civilis fomitem ſubminiſtravit, ſicut commodiùs referemus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi decimi quinti, ubi de *Carolo VI.* Galliarum Rege, qui obiit anno MCCCCXXII. plura, auxiliante Deo, dicemus.

D. De Galliarum Regibus uno ſpiritu multa continentèr dixiſti, quæ mihi ſummæ voluptati fuerunt, tantùm abeſt, ut tædium aliquod attulerint, nec minorem, ut ſpero, voluptatem percipiam ex brevi narratione rerum, quæ Sæculis XIII. & XIV. ſub Caſtellæ, ſeu Caſtiliæ Regibus in Hiſpania geſtæ ſunt.

M. *Alphonſus VIII.* ſeu, ut alii volunt, *IX.* Caſtellæ Regnum, ut jam obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam XII. Sæculi, *Sanctio* hujus nominis *III.* patre ſuo defuncto, anno MCLVIII. adminiſtrare cœpit, ac ſubindè decimotertio ineunte Sæculo quadrageſimum ſecundum Regni numerabat annum. Hiſpaniam id temporis Saraceni miſerè vexabant. *Miramolinus* quippè Tuniſii Rex totam vincendo pervagatus Hiſpaniam, Arelatum & Avenionem uſque perruperat. Sed anno MCCX. quatuor Reges, Caſtellæ videlicet, Aragoniæ, Luſitaniæ, & Navarræ, junctis viribus contra Saracenos progreſſi ſunt, eosque tantâ ſtrage profligarunt, ut ducenta millia cecidiſſe dicantur, è Chriſtianis verò viginti quinque, aut triginta dumtaxat occubuerint. Poſt hanc nobiliſſimam Hiſpanorum victoriam, quam narrant *Rodericus* Toletanus Archie-

chiepiſcopus lib. 8. *de Rebus Hiſpaniæ*, & *Joannes Mariana* lib. 10. cap. 23. & 24. Saracenorum in Hiſpania res inclinare cœperunt, adeò ut paulatim amiſſis Provinciis, quas invaſerant, nihil eis præter Granatenſe Regnum reliquum fuerit. Obiit *Alphonſus* Caſtellæ Rex anno MCCXIV. plenus non tantùm dierum, ſed virtutibus & honore cumulatiſſimè exornatus, cum quo totam Caſtellæ gloriam ſepultam ſcribit idem *Rodericus Ximenius* Archiepiſcopus Toletanus. Vixit annis LXII. è quibus annis tribus & quinquaginta regnavit, ac filium reliquit Regni hæredem *Henricum* annorum undecim puerum, quem ex ſua conjuge *Leonora*, filia *Henrici* Regis Angliæ, ſuſceperat. Poſt obitum itaque *Alphonſi* patris Rex Caſtellæ ſalutatus eſt *Henricus* ſub tutela & inſtitutione ſororis ſuæ *Berengariæ*, conjugis Alphonſi Legionis Regis. At diù non regnavit *Henricus* hujus nominis primus, nam dum Palentiæ in ædibus Epiſcopi cum æqualibus luderet, co̲cti lateris ictu vulnus accepit in capite, & ex eo undecimo poſt die è vita migravit VIII. Idus Junias anni MCCXVII. In ejus locum ſuffectus eſt *Ferdinandus* hujus nominis *III.* filius *Alphonſi* Legionis Regis, & *Berengariæ* ejus conjugis. Utroque Regno Caſtellæ videlicet & Legionis potitus eſt *Ferdinandus*, omnibusque Hiſpaniæ finibus Mauros procùl eliminavit, præter Granatam, cujus tamen Regem ſibi tributarium fecit, magnâ ubique editâ Barbarorum ſtrage. Diem ſupremum obiit *Ferdinandus* Hiſpali Kalendis Junii anni MCCLII. cùm annos XXXV. Caſtellanis, Legionenſibus verò XXII. imperaſſet. *Ferdinando* ſucceſſit *Alphonſus X.* filius *Ferdinandi III.* Hic ille *Alphonſus* eſt, cui, ut ſupra dice-

dicebamus, variantibus in creando Occidentis Imperatore ſententiis, Imperium delatum eſt, cauſâq; ſub *Alexandro IV. Urbano IV.* & *Clemente IV.* judicatâ, demùm ſub *Gregorio X.* jure cedere coactus eſt. Aſtronomiam, Syderalemque Scientiam profeſſus eſt idem *Alphonſus*, & in ea tantâ cum laude verſatus, ut quæ modò extant Aſtronomicæ Tabulæ, ab eo dictæ ſint *Alphonſinæ*. Primus etiam fuit Hiſpaniæ Regum, qui leges & Edicta vulgari Hiſpanorum linguâ condiderit, cùm antehàc Latino idiomate publicis in tabulis exprimerentur. Sacros Bibliorum libros in vernaculam linguam vertendos quoque curavit. Obiit *Alphonſus* Rex Caſtellæ, à perduelli filio ſuo *Sanctio* Regno exturbatus, anno MCCLXXXIV. Regni ſui XXXII. Eo mortuo, *Sanctius* hujus nominis *IV.* illius filius, ſpoliati ejectiq; è Regno patris notâ ad poſteritatem infamis, Rex Caſtellæ ſalutatus eſt, & undecim annis Regnum tenuit, obiitque Toleti Kalendis Maji ann. MCCXCV. Princeps fuit, teſte *Mariana, magnis Principibus exæquatus fortitudinis, æquitatis, prudentiæque laudibus. ſed egregiè callidus, ſagax, neque uno loco crudelitatis impreſſa veſtigia ad poſteritatis invidiam relinquens.* Poſt obitum *Sanctii* Caſtellæ Regnum excepit *Ferdinandus IV.* ejus filius, quod annum agens ætatis nonum per matrem ſuam *Mariam* filiam *Alphonſi* Infantis *de Molina* geſſit. Undè *Ferdinandi* Regis ætas adoleſcentior, ejusque matris *Mariæ* cum *Sanctio* nuptiæ, quæ ob impedimentum propinquitatis (erat enim *Maria* neptis *Sanctii*) à *Martino IV.* Pontifice Maximo reſciſſæ fuerant, civilibus, externisq; bellis locum dedere. Una ex parte Aragoniæ, Navarræ, & Luſitaniæ Reges, ex altera *Alphonſus de la* Cer-

Cerda, *Joanneſque* patruus, quorum alter ſe Caſtellæ Regem, alter Legionis aſſerebat, junctis copiis & opibus in Ferdinandum IV. arma moverunt; prudentia tamen matris incolume filio *Ferdinando* Regnum ſervavit, ac pace inter Principes compoſitâ, octodecim circiter annis Caſtellæ Regum gubernavit *Ferdinandus IV*. obiitque VII. Idus Septembris anni MCCCXII. *Ferdinando* ſucceſſit ejus filius *Alphonſus* hujus nominis *XI*. adhuc puerulus, utpotè natus dumtaxat annum unum & dies ſex, quod in cauſa fuit, cur, Rege adhuc minore, inteſtinis diſſidiis fœdum in modum laceratum fuerit Caſtellæ Regnum. Anno ætatis ſuæ decimo quinto *Alphonſus* Regni adminiſtrationem capeſſivit. De Mauris inſignem victoriam reportavit ad Tariſſam anno MCCCXL. & ab iis ſæpiùs prælio victis plura recepit Oppida, rerumque annis triginta octo potitus, peſtis contagione correptus deceſſit in obſidione Caſtri *de Gilbratar* die XXVI. Martii anni MCCCL. Ex *Maria* Luſitaniæ Regis filia, juſtâ & legitimâ conjuge ſua, unicum reliquit filium, videlicet *Petrum*, Regni hæredem. At ex *Leonora Guſmania*, pellice ſua, quam in deliciis habebat, plures ſuſcepit, reliquitque liberos, *Henricum* ſcilicet, *Fredericum*, *Sanctium*, *Telium*, *Petrum*, & *Didacum*. Mortuo *Alphonſo* ſucceſſit ejus filius *Petrus* ex *Maria* legitimâ conjuge procreatus, qui *Crudelis* fuit appellatus, non ſolùm quia impudicis *Mariæ Padilliæ* amoribus irretitus, *Blancam*, Joannis Ducis Borbonii filiam, quam ſibi legitimo matrimonio copulaverat, injuſtè repudiavit, captivam omni ſolatio deſtitutam detinuit, ac tandem veneno extinxit; verùm etiam quia multos Viros Principes ferro peremit. Idem cru-

crudelitatis genus exercuit in tres fratres ſuos nothos, ſeu in *Fredericum, Petrum*, & *Didacum*, quorum etiam matrem *Leonoram Guſmaniam* Principatus ſui initio occidit. *Rubeum*, qui cum *Machometo* de Regno Granatæ contendebat, quique adverſæ factionis viribus impar ad eum confugerat, humano divinoque jure violato, jugulavit, inhians theſauris, quos advexiſſe ſecum putabatur. Cùm igitur, regnante *Petro Crudeli*, fœda eſſet Hiſpaniæ facies, & bellis civilibus externiſque deformata, ſicut *Mariana* lib. 17. aliique Hiſpanicæ gentis Hiſtorici deſcribunt, tres adhuc ſuperſtites *Petri Crudelis* fratres nothi, nimirùm *Henricus*, *Sanctius*, & *Telius*, mortem matris ſuæ *Leonoræ Guſmaniæ*, ac fratrum ſuorum ulturi, ad Aragonum Regem ſeſe receperunt, impetratoque auxilio, Caſtellæ fines adoriuntur, &, expulſo *Petro Crudeli*, regium nomen ſumpſit *Henricus* ejus frater nothus. Animum tamen non deſpondit *Petrus Crudelis*, ſed in Vaſconiam profectus, Anglos, qui hanc Provinciam tenebant, oſtentatâ præmiorum, prædæque ſpe pellexit, ut ei ſuppetias ferrent. Inito prælio adversùs *Henricum* victoriâ potitus eſt *Petrus Crudelis*, eumque finibus Hiſpaniæ exegit. Victus *Henricus* in Galliam venit, inſtauratoque bello Francorum Regis *Caroli V.* auxilio adjutus, commiſſo apud Oppidum *Montielem* prælio, *Petrum Crudelem* ſuperavit, captumque ac de fuga cogitantem ſtricto gladio confodit. Hæc *Petri Crudelis* mors contigit die XXIII. menſis Martii anni MCCCLXIX. anni verò Regni *Petri Crudelis* undevigeſimi. Sublato *Petro Crudeli*, Caſtellæ Regno, nemine reclamante, potitus eſt *Henricus* hujus nominis II. filius *Alphonſi XI.* & *Leo-*

& *Leonoræ Guſmaniæ*, illudque ſapienter rexit uſque ad annum MCCCLXXIX. quo è vivis exceſſit. Narrat *Mariana* lib. 17. *de Rebus Hiſpaniæ* cap. 2. *Henricum*, Caſtellæ Regem, præ ſingulari amore, quo Prædicatorum Ordinem, ob Beati *Dominici* ſui gentilis & agnati memoriam, complectebatur, voluiſſe pro pediem moriturum veſte Dominicani Ordinis indui, & eâ indutum ſepeliri. Addit etiam idem Scriptor, Hiſpaniæ Regibus ſolemne fuiſſe *ex eo numero & Ordine*, ſeu Fratrum Prædicatorum, *Sacerdotes deligere, quibus conſcientiæ vulnera detegerent*. Hinc Dominicani, ut obiter dicam, ab initio Ordinis ad audiendas Catholicorum Regum Confeſſiones admiſſi ſunt, eoque præclaro, ac perhonorifico munere continuâ ac perpetuâ temporum ſerie magno cum zelo & Eccleſiæ Regnique utilitate perfuncti ſunt uſque ad annum MDCC. quo, *Carolo II.* Hiſpaniæ Rege ex Auſtriacorum progenie abſque liberis defuncto, Rex Hiſpaniæ proclamatus eſt *Philippus V.* ex Borboniorum Sanguine oriundus, qui Sacerdotem è Societate Jeſu ſibi Confeſſarium adſcivit.

D. Abſolviſtine ſeriem Regum, qui Sæculis XIII. & XIV. Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ Regnum adminiſtrarunt.

M. Duo adhuc ſuperſunt Reges, qui Sæculo XIV. Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ Regni gubernacula tractarunt. Mortuo *Henrico* hujus nominis *II.* Caſtellæ Regi, quem in Dominicanum Ordinem optimè affectum fuiſſe diximus, ſucceſſit *Joannes* hujus nominis *I.* ejus filius anno MCCCLXXIX. Bellum geſſit cum Luſitanis, Angliſque difficillimum, quod tandem feliciter compoſuit. Totius Regni Comi-

tia habuit Caracæ anno MCCCXC. ad deliberandum de multis rebus Rempublicam, Eccleſiamque ſpectantibus, & ad perverſam, quæ inoleverat, extirpandam conſuetudinem, juxta quam Proceres Laici in jura Eccleſiarum involabant, & Patronorum occupato nomine, Sacerdotes, exiguo ſtipendio conſtituto, Eccleſiis præficere ſolebant, decimarum multò maximam partem pro ſe quiſque domum avertebant, Eccleſiarum jura impunè occupabant, dabant & auferebant Templis mercenarios Sacerdotes atque temporarios. Hunc graviſſimum ſerpentem id temporis in Hiſpania abuſum meritò deplorat *Joannes Mariana* cap. 13. lib. 18. *de Rebus Hiſpaniæ*, ubi etiam obſervat, præclaros *Joannis* Caſtellæ Regis ad æquitatem, & ad ſanciendam Eccleſiarum libertatem propenſi conatus fuiſſe impeditos Regulorum interceſſione, morem iſtum per multas ætates continuatum, majorum merita, & veterum Pontificum veniam excuſantium, quos ampliùs urgeri haud viſum Regi, nè novâ offenſione eorum animi irritarentur. Poſt hæc celebrata Comitia, *Joannes* Rex Complutum venit, cùmque ſeptimo Idus Octobris anni MCCCXC. ad quoddam Spectaculum Equitum Africanorum exiiſſet, atque ut ſe oblectaret, oſtentaretque peritiam, equum, quo vehebatur, calcaribus incitaſſet, ex equo præcipitatus momento temporis extinctus eſt anno ætatis ſuæ XXXIII. Regni XII. Reliquit Regni hæredem filium ſuum natum annos dumtaxat undecim, *Henricum* hujus nominis *III.* qui poſt obitum patris Rex ſalutatus eſt, ejus tamen ætati minori regendæ, donec adoleſceret, ac Regni adminiſtrationi procurandæ decreti ſunt ab Ordinibus

Tu-

Tutores, quorum æmulatione haud parùm res turbatæ ſunt; Regnumque periclitari cœpit tùm ab inteſtinis diſſenſionibus, tum etiam à Luſitanis res ſuas interim promovere ſatagentibus, donec poſt tertium annum, pactis cum Luſitanis in annos quindecim induciis, compoſitæ exteræ diſſenſiones, internæ verò per Legatum Pontificis in integrum reſtitutæ fuerunt. Quatuordecim annos natus Regni Caſtellæ adminiſtrationem ſuſcepit *Henricus*. Catharinam filiam Leceſtriæ Ducis ſibi matrimonio copulavit. Cum Luſitanis haud infeliciter pugnavit, & à *Tamerlane*, Tartarorum Imperatore, honorificam Legationem excepit, ad quem viciſſim Oratores miſit. Tandem, cùm uteretur ſæpiùs adversâ valetudine, & eam ob rem *Valetudinarius* vulgò appellaretur, obiit VIII. Kalendas Januarias anni MCCCCVII. ætatis XXVII. Regni XVII. Filium reliquit *Joannem* Regni Câſtellæ hæredem, cujus geſta referemus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi XV.

D. Colloquium noſtrum, ſi placet, abſolvamus, &, ne quid eorum, quæ ad notitiam ſtatus Eccleſiæ ſub Principibus Chriſtianis comparandam juvare poſſunt, in eo deſiderari videatur; totum illud concludamus brevi narratione geſtorum ac ſerie Regum, qui Sæculis XIII. & XIV. ſupremum in Anglia dominium obtinuerunt.

M. Regum Anglorum ſeriem perduximus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculi duodecimi uſque ad *Richardum*, qui anno poſtremo ejuſdem Sæculi duodecimi vitâ functus regnare deſiit in Anglia. *Richardo* Angliæ Regi defuncto ſucceſſit ejus frater, dictus *Joannes Sine terra*, quòd ei à pa-

tre nihil relictum eſſet. De jure ad Coronam Angliæ contendit cum *Arturo* Britanniæ Duce nepote ſuo, & filio *Gaufridi*, qui frater erat *Joannis* natu major. *Arturi* jura *Philippus II.* dictus *Auguſtus* Galliarum Rex protexit ac defendit. Sed *Joannes* captum *Arturum* nepotem ſuum & Rothomagum abductum in Arce Nova incluſit, ac paulò poſt trucidavit. Hæc mors *Arturo* injuſtè illata occaſionem dedit graviſſimis bellis, quæ *Philippus Auguſtus*, ejusque filius *Ludovicus VIII.* Galliarum Reges contra *Joannem* Anglorum Regem geſſerunt, de quibus bellis ſuperiùs ſermonem ſat ſuperque habuimus. Aliud acerrimum diſſidium habuit idem *Joannes* Anglorum Rex cum *Innocentio III.* Pontifice Maximo, qui in eum Excommunicationis ſententiam tulit, & ſacrorum juſtitium Angliæ indixit, quôd prædictus Rex *Stephani* Cantuarienſis Archiepiſcopi electioni obſtinato animo intercederet, & Eccleſiaſticos redditus ſacrilegâ temeritate invaderet. Verùm facti pœnitens *Joannes* Rex, ut pacem cum *Innocentio III.* iniret, Regna ſua Angliæ & Hiberniæ, Eccleſiæ Romanæ, ſeu *Innocentio III.* ejusque Succeſſoribus reſignavit ac contulit, ut videre eſt apud *Matthæum Pariſium* ad ann. MCCXIII. Obiit *Joannes* Rex in pervigilio *S. Lucæ* Evangeliſtæ anno MCCXVI. Hunc Regem parùm in fide Chriſtiana conſtantem fuiſſe ſcribit *Matthæus Pariſius*, aſſerens illum de Reſurrectione corporum ac de aliis Chriſtianæ fidei Capitibus malè ſenſiſſe, quædam impia ac blaſphema ſæpè evomuiſſe, eumque ad ejurandam Chriſtianam Religionem paratum Legatos miſiſſe ad *Miramolinum* Africæ & Marrochiæ, ut ei Regnum ſuum Angliæ tributarium redderet.

deret. Quæ omnia fabulæ ſimillima videntur. Poſt obitum *Joannis* Angliæ Regis proclamatus eſt filius ejus primogenitus *Henricus* hujus nominis *III.* qui, præſente *Galone* Sedis Apoſtolicæ Legato, *fecit homagium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Innocentio Papæ de Regno Angliæ & Hiberniæ; & juravit quòd mille marcas, quas Pater ejus Romanæ contulerat Eccleſiæ, fideliter perſolveret, quamdiù prædicta Regna teneret.* Sicut teſtatur *Matthæus Pariſius*. Bellum adversùs S. *Ludovicum* hujus nominis *IX.* Galliarum Regem infeliciter geſſit *Henricus III.* ad Talleburgum datus in fugam, ad Xantonas profligatus, obtentis demùm induciis in Angliam redire compulſus eſt anno MCCXLIII. Pietatem *Henrici III.* erga Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium plurimùm commendat *Walſinghamus*, aitque, eum ſolitum fuiſſe tres Miſſas ſolemnes quotidiè audire, pluribus etiam privatim celebrantibus adeſſe, atque Sacerdotis, Corpus Chriſti attollentis, dexteram deoſculari. Obiit *Henricus III.* Angliæ Rex anno æræ Chriſtianæ MCCLXXII. poſtquam regnaſſet annos quinquaginta ſex. Ei ſucceſſit filius primogenitus *Eduardus*, quem alii hujus nominis *I.* alii meliùs *IV.* appellant. Cum Scotis acerrimè pugnavit *Eduardus*, eosque profligavit inſigni prælio, in quo ſexaginta Scotorum millia ceciderunt. Quò factum eſt, ut Rex, Proceresque Scotorum ſeſe ac Regnum Scotiæ voluntati *Eduardi* Regis permiſerint. Sed hoc Regno, quamdiù vixit, novis identidem emergentibus bellis ac diſſenſionibus, potiri haud potuit. Quarè, ſub finem vitæ ſuæ juſſit filio ſuo *Eduardo* Regni hæredi, ut paternas injurias in Scotos honorificè ulciſceretur, ejusque oſſa in aliquo

vaſe recluſa ſecum deportaret, donec totam Scotiam pervagatus, hoſtes omnes ſuperaſſet. Hæc ſuprema mandata poſtquam filio ſuo dediſſet ſuperbus ille Rex, diſſenteriâ correptus è vita migravit, pridiè Nonas Junii anni MCCCVIII. cùm regnaſſet annos triginta quinque. Mortuo *Eduardo IV.* Angliæ Regi ſucceſſit ejus filius *Eduardus* hujus nominis *V.* quo regnante magnis motibus Anglia fuit agitata, ac bellis civilibus lacerata. In primis, anno MCCCXI. grave diſſidium habuit *Eduardus* Rex cum Proceribus ſupremi Senatus, quem *Parlamentum* vocant, quod licèt anno MCCCXIII. ſatagentibus Regni Epiſcopis, pace Regem inter & Proceres conciliatâ, ſopitum fuerit; acriùs tamen recruduit anno MCCCXXVII. Eo ſiquidem anno *Iſabella* Angliæ Regina, quam Regni inimicam Londini proclamari juſſerat *Eduardus* Rex ejus maritus, Comitis Hannoniæ, qui filiam ſuam *Philippam* juniori *Eduardo* Angliæ Regni hæredi deſponderat, necnon Anglicanorum Præſulum auxiliis adjuta, trajecit in Angliam, eique è veſtigio Proceres ac populus ſe adjunxerunt. Tum ipſe Rex *Eduardus* captus eſt. Duo *Hugones Spencerii*, pater ſcilicet & filius, quorum conſiliis ac miniſterio Rempublicam regebat *Eduardus*, atroci ſupplicio ſublati ſunt. Ad hæc, habita ſunt Regni Comitia, in quibus Procerum ſententiâ *Eduardus* Rex fuit Regno abdicatus, & *Eduardus junior*, ejus filius primogenitus, Rex ſalutatus. Huic ſententiæ acquievit *Eduardus* pater, filii electionem probavit, & Regiæ dignitatis Inſignia, miſſis Oratoribus, tradidit. Denique *Eduardus ſenior* in Caſtro de Berkley detentus, inaudito crudelitatis genere, à Cuſtodibus ſuis necatus eſt;

Veru

Veru ſcilicet candente per anum immiſſo confoſſus & corneâ fiſtulâ ad partem illam pudendam aptatâ, ne aduſtionis veſtigia conſpicerentur. Sic extinctus eſt *Eduardus ſenior*, cùm regnaſſet annos novemdecim. Ejus filius *Eduardus junior* bellum Scotis indixit, cum quibus poſteà pacem iniit, quam turpem Angli vocant, quâ videlicet Scotia declarata eſt immunis ab omni jure, quod Angli ſibi in eam uſurpaverant, & in vinculum ſancitæ concordiæ *Eduardus junior*, hujus nominis *VI.* Anglorum Rex, *Joannam* ſororem ſuam *Davidi*, filio *Roberti* Scotiæ Regis, matrimonio collocavit. Verùm, turpiorem maculam *Eduardo* Regi inuſſerunt obſcæni amores, quibus implicitus fuit cum *Alicia Pereſia*, pellice impudentiſſima, quam licèt, rogantibus Regni Proceribus, ab Aula recedere juſſiſſet, mox tamen ipſam revocavit, ad obitum uſque retinuit, & in ejus complexu, nullis Eccleſiæ munitus Sacramentis, immortuus eſt propudioſiſſimus ſenex. Hic ille eſt *Eduardus* hujus nominis *VI.* Anglorum Rex, qui, ut ſuperiùs dicebamus, magnis cladibus Gallos affecit, regnantibus *Philippo Valeſio*, & *Joanne*, quem poſtremum habuit captivum, ac primus Galliarum Regis ſibi nomen adſcripſit. Sed, cùm varius ſit eventus belli, adverſam fortunam ſub *Carolo V.* Galliarum Rege expertus eſt *Eduardus*, ac totam, exceptis Burdigalâ & Bajonâ, perdidit Aquitaniam, quæ ab ipſo defecit, ac Regi Chriſtianiſſimo ſe dedidit. Obiit *Eduardus* hujus nominis *VI.* Anglorum Rex die XXI. menſis Junii anni MCCCLXXVII. cùm regnaſſet annos LI. Defuncto *Eduardo* ſucceſſit ejus filius *Richardus* hujus nominis *II.* undecim duntaxat annos natus, cujus ætas

cùm ad Rempublicam regendam ſufficere haud poſſet, Regni procurationem ſuſcepêre Lancaſtriæ Dux, & *Edmundus* Cantabrigenſis Comes, *Richardi* Regis patrui. *Joannis* Wickleffi hæreſis, cui nimia *Eduardi ſenioris* Angliæ Regis negligentia initium dederat, latè in Anglia ſerpere cœpit ſub ejus ſucceſſore *Richardo*, cujus pueritia opportunum ſerendis erroribus tempus, & viam ad eos ſpargendos facillimam *Joanni Wickleffo* natione Anglo, & ingenii vehementis homini, ſuperbo & ambitioſo ſtravit, ſicut oſtendemus in ſequentibus Colloquiis. Regnum Angliæ peſſimè adminiſtravit *Richardus* hujus nominis *II.* tamque gravi tyrannide omnes Regni Ordines à ſe alienavit, ut Regno ſeſe abdicare coactus fuerit anno MCCCXCIX. Ejus renunciationem non ſolùm omnes Regni Ordines admiſerunt, ſed etiam ſententiam depoſitionis, quam refert *Walſinghamus* in Hiſtoria Anglicana ad annum MCCCXCIX. in ipſum tulerunt, quâ illum cùm ex propria confeſſione, tum ex tribus & triginta Capitibus contra eum probatis, in quibus Regalis Juramenti violati, & tyrannidis convictus erat, Regno omninò ineptum, ac ſubindè jure optimo exauctoratum declarabant. Confeſtim Angliæ Regnum ſibi vindicavit *Richardi* Regis depoſiti patruelis *Henricus*, qui filius erat *Joannis* Ducis Lancaſtriæ, Rexque ab Ordinibus ſalutatus eſt. Regno potitus *Henricus* hujus nominis *IV.* nefandiſſimum ſcelus perpetravit, quod omnes Hiſtorici, etiam Angli, deteſtantur. *Richardum* ſiquidem, quem Regno deponi curaverat, & in turri Londinenſi captivum detinebat, ſpecie cujuſdam conjurationis in ſe à nonnullis Regni Proceribus factæ, citò obtruncari

cari juſſit. Hunc deploratiſſimum exitum habuit execranda illa rebellio, quam, Auctore *Henrico*, contra *Richardum* legitimum Regem excitarunt in Anglia nonnulli perfidi homines, quos omni ſeveritate dignos, peſtes Regnorum, publicarum rerum ſubverſores, populorum deſtructores, hoſtes denique Dei & hominum jure merito appellat *Henricus Spondanus* in Continuatione *Baronii* ad an. MCCCXCIX. Sed de *Henrico IV.* Angliæ Rege, qui hujus rebellionis adversùs *Richardum* incentor ac promotor fuit, plura dicemus in Colloquio I. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi XV.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur Series Epiſcoporum, qui Illuſtriores Eccleſiæ Sedes Sæculis XIII. & XIV. tenuerunt.

DISCIPULUS. TOT inter procellas, quibus univerſus Orbis Chriſtianus Sęculis XIII. & XIV. fuit agitatus, potueruntne Romani Pontifices clavum Eccleſiæ feliciter gubernare, & non ſolùm ornandæ ac propagandæ Religioni, ſed etiam paci Sacerdotium inter & Imperium conciliandæ utilem navare operam?

MAGISTER. Summi Pontifices, qui Sæculis XIII. & XIV Sedem Romanam tenuerunt, in communem gloriam & utilitatem tàm univerſæ, cui præerant, Eccleſiæ, quàm ad procurandam Imperii & Regnorum pacem indefeſſo ſtudio incubuerunt. Eorum pietas publica fuit ad exemplum,

plum, conſtans ad diuturnitatem, fortis ad debellandam impietatem, & deſtruendam omnem altitudinem ſeſe extollentem adversùs ſcientiam Dei. Bellum Hæreſi, flagitiis, improbitati, lapſis in deteriora moribus perpetuò indixerunt, diſciplinam legum ſeveritate ſanxerunt, conſtituerunt veterem Eccleſiæ dignitatem, emendarunt ea, quæ obrepſerant temporum labe, vitia; & Imperatoribus Jura Eccleſiæ violare, aut ejus pacem, inductis Schiſmatibus, perturbare molientibus magnis animis reſtiterunt.

D. Macte itaque animo, mihi quidem gratum erit, ſeriem, geſtaque Pontificum, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiæ Romanæ præfuerunt, in præſenti noſtro Colloquio perluſtrare, ſummatimque delibare.

M. Anno MCXCVIII. mortuo *Cæleſtino III.* Pontifice Maximo, ſicut jam obſervavimus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam Sæculi duodecimi, non vacavit Sedes Pontificia, ſed eadem die, quâ ſepultus eſt *Cæleſtinus III.* ſeu IV. Idus Januarii anni milleſimi centeſimi nonageſimi octavi *Innocentius III.* electus fuit Pontifex Romanus, ut teſtatur Scriptor Anonymus à *Boſqueto,* poſtea Epiſcopo Monſpelienſi, editus, qui *Innocentii III.* adhùc viventis res geſtas deſcripſit. Verùm, quia *Innocentius III. tunc tantùm Diaconus erat, dilata eſt ejus Ordinatio in Presbyterum uſque ad Sabbatum quatuor temporum* IX. *Kalendas Martii*; *& ſequenti Dominica, in qua tunc occurrit feſtum Cathedræ Sancti Petri* (die nempè XXII. menſis Februarii) *fuit apud Sanctum Petrum in Epiſcopum conſecratus, & in ejuſdem Apoſtoli Cathedra conſtitutus*, uti referunt

idem

idem Anonymus, & *Rodulphus de Diceto* Scriptor Anglus in Hiſtoria, quam edidit, pag. 701.

D. Aſſeris, *Innocentium III.* fuiſſe dumtaxàt Presbyterum ordinatum IX. Kalendas Martii, ſeu die XXI. menſis Februarii anni milleſimi centeſimi nonageſimi octavi, & tamen, ut audivi à viris eruditis, extant etiamnùm antiqua quædam Breviaria Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, in quibus dicitur, Sanctum *Joannem de Matha*, ejuſdem Ordinis Inſtitutorem, unà cum Sancto *Felice Valeſio*, Romam anno MCXCVIII. veniſſe, & petiiſſe ab *Innocentio III.* recèns electo ſui Ordinis confirmationem, & Pontifici *in feſto Sanctæ Agnetis ſecundò*, ſcilicet die XXVIII. menſis Januarii, dùm in Eccleſia Lateranenſi Miſſam celebraret, ad Sacræ hoſtiæ elevationem, Angelum candidâ veſte, cruce bicolori, ſpecie redimentis captivos apparuiſſe; quo viſo, Pontificem hoc novum Inſtitutum approbaſſe. Quî igitur fieri poteſt, ut *Innocentius III.* fuerit dumtaxat, ut dicis, Presbyter Ordinatus die XXI. menſis Februarii anni MCXCVIII. cùm tamen die XXVIII. menſis Januarii ejuſdem anni eum jam Miſſam celebraſſe antiqua illa Breviaria apertè teſtentur?

M. Non parvam certè proponis difficultatem, ad quam ſolvendam *Bonaventura Baro* in annalibus Ordinis Trinitariorum à ſe Romę vulgatis aſſerit, verum non eſſe quod paſſim dicitur, *Innocentium III.* qui Diaconus tantùm erat, quando Summus Pontifex die VIII. Januarii creatus eſt, diſtuliſſe ordinationem ſuam in Presbyterum uſq; ad diem vigeſimam primam menſis Februarii, cùm viſio, quam inter celebrandum miſſam die vigeſimâ octavâ menſis Januarii habuit *Innocentius III.* certa

certa ſit, ideòque jam Presbiter eſſet ordinatus *Innocentius III.* die vigeſimâ octavâ menſis Januarii. Verùm, ipſe, etſi lubentiſſimè fatear, certam eſſe hanc viſionem, quam habuit *Innocentius III.* die XXVIII. menſis Januarii, exiſtimo tamen, eum hac die necdùm fuiſſe Presbyterum, ſed tantùm Diaconum, ut disertè teſtantur jam citati Scriptor coævus Anonimus, & *Rodulphus de Diceto*. Sed, ſi ita ſit, inquis, cur igitur in antiquis Trinitariorum Ordinis Breviariis legitur, *Innocentium III.* hanc habuiſſe apparitionem, dùm celebraret Miſſam die vigeſima octavâ Januarii? Profectò, ſi eâ die nondùm fuiſſet Presbyter, ſed tantum Diaconus, Miſſam celebrare haud potuiſſet *Innocentius III.* Non eo inficias, hanc difficultatem nonnullis inſuperabilem viſam eſſe, eam tamen, ſi conſulamus Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, apud quos *celebrare & audire Miſſam* aliquandò unum & idem eſt, facili negotio ſolvi poſſe exiſtimo. Unum, præ cæteris aliis, quæ apud illos Scriptores ſuppetunt, proferam exemplum petitum ex *S. Gregorio Turonenſi*, qui in libro *de Gloria Martyrum* cap. LI. referens miracula *Sancti Sigiſmundi* Burgundiæ Regis, ait: *Si qui nunc Frigoretici* (ideſt, *Febricitantes*, uti variis exemplis explicat *Du Cangius* in Gloſſario) *in ejus honore Miſſas devotè celebrent* (ideſt Miſſas audiant) *ejuſque pro requie offerant oblationem, ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtinæ reſtaurantur*. Cùm itaquè apud Scriptores mediæ & infimæ latinitatis *celebrare & audire Miſſam* aliquandò unum & idem ſit, & promiſcuè uſurpari poſſit, mirum videri haud debet, quòd in antiquis Trinitariorum Ordi-

Ordinis Breviariis legatur, *Innocentium III.* die vigeſimâ octavâ menſis Januarii anni milleſimi centeſimi nonageſimi octavi Miſſam *celebraſſe*, ideſt, *audiviſſe*, cùm eâ die non eſſet Presbyter, ſed tantùm Diaconus. Hoc pacto ſolvitur iſte nodus, & eadem operâ corrigitur Anachroniſmus, in quem lapſus eſt *Spondanus*, qui ad annum MCCIX. ait, Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis ab *Innocentio III.* fuiſſe confirmatum eo anno, & hanc Apparitionem, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, contigiſſe v. Kalendas Februarii ejuſdem anni milleſimi ducenteſimi noni, dum *Innocentius III.* rem divinam faceret. Hunc *Spondani*, & aliorum Authorum, qui eum ſecuti ſunt, Anachoroniſmum apertè refellunt ea, quæ mox adduximus diſerta probatæ fidei antiquorum Scriptorum teſtimonia.

D. Res magnas ac memoriâ dignas, quas in ſuo Pôntificatu geſſit *Innocentius III.* Pontifex Maximus, obſecro te, ut breviter deſcribas.

M. Cùm Res propemodum infinitas in ſuo Pontificatu *Innocentius III.* præclarè geſſerit, quas nec memoriâ complecti, nec obſervando hic notare poſſem; præcipuas dumtaxat, quas litteris prodiderunt celebriores Hiſtorici, compendiosè referam. *Innocentius III.* natione Campanus, patriâ Anagninus, filius *Thraſimundi* ex illuſtriſſima Comitum Signiæ familia, ante promotionem ſuam *Lotharius* dictus, à *Cæleſtino III.* Pontifice Maximo Cardinalium albo fuit adſcriptus, cùm annum dumtaxat vigeſimum nonum ætatis ſuæ attigiſſet, & poſt *Cæleſtinum III.* ad Pontificatum provectus eſt die VIII. Januarii anni MCXCVIII. Fuit Pontifex, teſte Trithemio, *in divinis ſcripturis eruditiſſi-*

tiſſimus, quippè qui à pueritia (in Academiis Pariſienſi & Bononienſi) *operam litteris impenderat, & in virum non minus probum, quàm doctum evaſerat.* Quo autem zelo, quantâve animi conſtantiâ Eccleſiam rexerit *Innocentius III.* facilè ex his, quæ jam in præcedentibus Colloquiis obſervavimus, colligere potes. Ille quippè eſt, qui *Philippum II.* Galliarum Regem cognomento *Auguſtum* monitis, obſecrationibus, Cenſuris, ad *Inſeburgim* repudiatam uxorem recipiendam, & *Mariam*, Ducis Moraviæ filiam, ſuperductam, compulit dimittendam. *Joannem*, dictum *ſine terra*, Angliæ Regem tyrannidem in Eccleſiam & Clericos exercentem anathemate percuſſit, ipſiuſque ſubditos à Sacramento fidelitatis abſolvit. *Ottoni* hujus nominis *IV.* de Imperio cum *Philippo* Sveviæ Duce decertanti conſtantèr favit, eumque, poſtquam Sacramentum præſtitiſſet de obedientia & reverentia Romanæ Eccleſiæ, de ſervanda Canonicarum electionum libertate, de Hæreticis delendis, de omnium poſſeſſionum Eccleſiæ reſtitutione facienda &c. Imperatorem coronavit, quem tamen poſteà inſigni perfidiâ præſtitum Sacramentum violantem, & caſtra plurima Eccleſiaſticæ ditionis, urbeſquè Apuliæ invadentem anathemate confixit, & ejus ſubditos ab ejus fidei Sacramento ſolvit, ut conſtat ex *Rigordo*, & ex variis *Innocentii III.* Epiſtolis, quas duobus Tomis collegit *Stephanus Baluzius*. Siciliam, fiduciarium Romanæ Eccleſiæ Regnum, ſummâ diligentiâ tuitus eſt *Innocentius III.* eoque *Conſtantiam* Imperatricem & *Fridericum* ejus filium inveſtivit, poſtquàm ipſi, ejuſque Succeſſoribus, fidelitatem juraſſet. *Marcualdum* Siciliæ Tyran-

rannum anathemate contrivit, & conſcripto exercitu armis fregit atque fugavit. Regem Aragonum propriis manibus coronavit *Petrum*, qui ſuum Aragoniæ Regnum Romanæ Eccleſiæ fiduciarium ac vectigale conſtituit. Bulgaros ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam revocavit, effecitque, ut *Joannitius*, ſeu *Calojohannes*, Bulgarorum Rex, humilem obedientiam Sedi Apoſtolicæ profeſſus, ſe ac Regnum ſuum illius Sacro Principatui ſubjecerit. Armenorum Catholicum, & *Leonem*, minoris Armeniæ Regem, devotionem ſuam ac obedientiam ergà Romanam Eccleſiam ſcriptis litteris profitentes paterno affectu excepit, & Armeniæ Eccleſiam cum Romana conjunxit. Nihil etiam intentatum reliquit, ut Eccleſiam Græcam cum Latina uniret, miſſis ad *Alexium Angelum* Orientis Imperatorem Legatis, qui Græcos ad Eccleſiæ unitatem revocare ſatagerent. Antiquam litem inter Eccleſiam Turonenſem & Dolenſem, de qua in præcedentibus noſtris Colloquiis ſermonem jam fecimus, finivit *Innocentius III.* ſanxitque ut Dolenſis Eccleſia tanquam ſuffraganea Eccleſiæ Turonenſi, ceu Metropoli, in perpetuum ſubjaceret. Ad exſcindendam ac penitùs extirpandam Albigenſium hæreſim, ſacram Expeditionem indixit, *Raymundum* Comitem Toloſanum eorum fautorem anathemate perculit, & Synodum Oecumenicam Lateranenſem quartam anno MCCXV. celebravit, in qua Albigenſium hæreſim, *Joachimi* Abbatis libellum, & *Almaricum* damnavit, ſicut in Colloquio quarto datâ operâ oſtendemus. Obiit *Innocentius III.* Peruſii XVI. vel XVII. Kalendas Auguſti an. MCCXVI. cùm annos duodeviginti, menſes ſex, & dies novem

Eccle-

Eccleſiam rexiſſet. Nonnulla ſcripſit Opera, ſed præſertim doctiſſimas Epiſtolas per annos ſingulos in Regeſto digeſtas, quas ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam illius temporis illuſtrandam, & ad Jus Canonicum excolendum plurimùm conferre poſſe, una eſt omnium eruditorum ſententia. Sed de Operibus & Epiſtolis *Innocentii III.* plura dicemus in Colloquio quinto, ubi de Viris Illuſtribus, qui Sæculis XIII. & XIV. floruerunt, diſſeremus. Geſta, ſeu Vitam *Innocentii III.* Romani Pontificis ab Auctore incognito; ſed coætaneo, deſcriptam *Stephanus Baluzius* præfixit fronti Tomi primi Editionis accuratiſſimæ, quam adornavit, Epiſtolarum *Innocentii III.* Poſt obitum *Innocentii III.* cùm Sedes Pontificia vacaſſet unum tantummodò diem, ſuffectus eſt ibidem Peruſii in locum ejus *Cencius Sabellus*, ex nobiliſſima Sabellorum familia oriundus, patriâ Romanus, vir doctrinâ & morum probitate conſpicuus, dictus *Honorius III.* quem *Cæleſtinus III.* Diaconum Cardinalem & Camerarium, & *Innocentius III.* Cardinalem Presbyterum antehàc creaverant. Hic deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, nihil tam curæ ac cordi habuit, quàm ut Sacram contra Saracenos Expeditionem promoveret, miſſis ad *Philippum* Galliarum Regem, aliosque Chriſtianos Principes, Legatis, qui illos ad eamdem ineundam expeditionem adhortarentur. In Syriam profectionem adornarunt Cruceſignati, tantumque ſuo adventu terrorem Saracenis injecerunt, ut multos ex illis trucidarint, caſtra divitiis refertiſſima actutùm occupaverint, & Peluſium, ſeu Damiatam, nobiliſſimam Ægypti urbem, obſederint, atque expugnaverint. At, orto Damiatæ inter

inter Chriſtianos diſſidio, eorum Claſſis à Saracenis combuſta eſt, & *Damiata* ad deditionem compulſa. His auditis, Pontifex *Honorius*, ne Saraceni fortunâ ſuâ uterentur, *Fridericum II.* Imperatorem ad Expeditionem Syriacam impulit, ſed fruſtra. Hic ſiquidem Imperator, qui de manu *Honorii III.* Inſignia ceperat Imperii, fidemque jurejurando obſtrinxerat Expeditionis adverſus Saracenos ſuſcipiendæ, innumeris uſus tergiverſationibus, moras conſultò nectebat, & poſtquam inanibus promiſſis, ſuis commodis unicè ſtudens, Romanum Pontificem diù deluſiſſet, in apertas adversùs ipſum ſimultates erupit, illius ditionem vexavit, Epiſcopos diverſos per Apuliam & Siciliam conſtituit, depulſis his, quos Summus Pontifex iiſdem præfecerat Eccleſiis. *Joannem* Hieroſolymorum Regem, Socerum ſuum (ejus quippè filiam *Jolem*, ſeu *Jolantam*, uxorem duxerat *Fridericus II.*) Regno exuit, ſicque inutiles omninò reddidit optimi illius Principis conatus, qui totum pene Occidentem peragrarat, ut ſacram expeditionem promoveret. Tuendæ adverſus Mauros Hiſpaniæ, & exſcindendæ Albigenſium graſſanti hæreſi, traducendiſque ad fidem Catholicam hæreticis *Honorius* Pontifex curam omnem adhibuit. *Henricum III.* Angliæ Regem poſt *Joannis* patris obitum in tutelam Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, nihilque non egit, ut hunc Angliæ Regem cum *Philippo Auguſto*, ejuſque filio *Ludovico*, qui ei negotium faceſſebant, conciliaret. Ordines Religioſos Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo confirmavit, ſicut fuſiùs exponemus in Colloquio ſexto, ubi de Mona-

ſtica Diſciplina Sęculorum XIII. & XIV. ſermonem habituri ſumus. Obiit *Honorius III.* Optimus Pontifex, xv. Kalend. Aprilis anni MCCXXVII. cùm annos decem, & menſes octo Eccleſiam rexiſſet.

D. *Innocentium III.* deceſſorem *Honorii III.* Sanctiſſimum fuiſſe Pontificem, ac multa ad utilitatem Eccleſiæ magno zelo præſtitiſſe obſervaſti, & tamen nudiustertiùs audivi à viris eruditis, eum poſt mortem ingenti flammâ cinctum viſibilitèr apparuiſſe *Ludgardi* Virgini Sanctiſſimæ, eique ſignificaſſe, ſe ob tres cauſas cruciari, quæ etiàm æternis ſuppliciis illum addixiſſent, niſi per interceſſionem piiſſimæ Matris Dei, cui Monaſterium condiderat, in extremis ipſum pœnituiſſet. Hanc de *Innocentii III.* poſt mortem apparitione Hiſtoriam, an fabulæ loco habere debeam? Dubius adhuc hæreo.

M. Hanc de *Innocentii III.* poſt mortem apparitione Hiſtoriam, quam graves referunt Scriptores, videlicet noſter *Thomas Cantipratenſis* in Vita, quam deſcripſit, *Ludgardis* Virginis, *Bellarminus* lib. 2. *de gemitu Columbæ* cap. 9. & *Spondanus* in Annalibus ad annum MCCXVI. falſi inſimulare non audeo, ſed potiùs cum *Bellarmino* crediderim, id ad timorem Prælatis, etiam piis, incutiendum, ſapientèr fuiſſe à Deo ordinatum. *Si enim*, inquit doctiſſimus ille Cardinalis, *tam laudabilis Pontifex* (ſeu *Innocentius III.*) *qui in oculis hominum non probus & prudens ſolùm, ſed etiàm Sanctus & imitatione digniſſimus habitus eſt, tam parùm fuit à gehenna, & uſque ad diem judicii purgatoriis incendiis atrociſſimis puniendus eſt, quis Prælatus non trepidet? quis non accuratiſſimè conſcientiæ ſuæ ſecreta rimetur? Ego enim*

enim facilè mihi perſuadeo, tantum Pontificem non potuiſſe Lethalia peccata committere, niſi ſub ſpecie boni deceptum ab adulatoribus & domeſticis, de quibus in Evangelio dicitur : inimici homines domeſtici ejus. *Itaque hoc tam magno exemplo diſcamus omnes ſollicitè ſcrutari conſcientiam noſtram, ne fortè erronea ſit, cùm nobis recta, & ſana eſſe videatur.*

D. Quem in Sede Pontificia Succeſſorem habuit *Honorius III.* qui, ut mox dicebas, obiit XV. Kalend. Aprilis anni MCCXXVII.

M. *Honorio III.* in Pontificatum ſucceſſit *Ugolinus*, patria Agnaninus, ex Illuſtriſſima Comitum Signiæ proſapia Oriundus, Oſtienſis Epiſcopus, & in Pontificatu dictus *Gregorius IX.* quem ſempiternâ laude, & immortali memoriâ digniſſimum eſſe, animi magnitudine, & vitæ ſanctitate clariſſimum, Divini humanique juris conſultiſſimum, authoritatis Eccleſiaſticæ aſſertorem conſtantiſſimum, teſtatur *Ciaconius* in Vitis Pontificum. Ut primùm Pontifex Maximus inauguratus fuit *Gregorius IX.* Imperatorem *Fridericum II.* vehementer adhortatus eſt, ut promiſſam jam olim in Palæſtinam contra Saracenos profectionem maturaret, eumque tergiverſantem ſacrorum communione interdixit. Eo fulmine territus *Fridericus*, in Syriam navigavit, ubi, nullo edito prælio, cùm turpe, & exitioſum Religioni Chriſtianæ fœdus iniiſſet cum Sultano, & in Italiam inglorius atque infamis regreſſus fuiſſet, iterùm ab eodem Summo Pontifice anathemate percuſſus eſt, ejuſque ſubditi Sacramenti, quo erant ei obſtricti, religione fuerunt abſoluti. Tunc audaciâ furens, & ſcelus anhelans *Fridericus* Imperator, totam Italiam odiis & factionibus replevit

Gibellinorum, qui ejus partes acerrimè ſuſtinebant, & *Guelphorum*, qui à Romano Pontifice ſtabant. Conſtituit etiam in Longobardia Ducem *Ecelinum* Gibellinæ partis & ſtirpis Teutonicæ Tyrannum perfidum & immanem, qui annis triginta quatuor Patavium, Veronam, Brixiam, Tridentum, Tarviſium, & alias urbes oppreſſas tenuit, tamque belluinam in Longobardos crudelitatem exercuit,ut nonnulli eum ex Dæmone genitum ſibi perſuaſerint. Nihil antiquiùs habuit *Gregorius IX.* Pontifex Maximus, quàm ut Principum ac Populorum pacem procuraret. Hinc inter Florentinos & Senenſes, inter Romanos varias in factiones diviſos, inter Longobardos & *Fridericum* Imperatorem,inter Angliæ & Scotiæ Reges pacem conciliare ſummoperè ſtuduit. Litterarum cùm eſſet amantiſſimus Summus ille Pontifex, Academiam Pariſienſem impensè coluit, ejus Leges ac Privilegia renovavit in Epiſtola XIII. lib. V. in qua eamdem Academiam appellat *Sapientiæ Officinam*, *& Scientiarum parentem*. Academiam etiam Toloſanam à *Raymundo juniore* Comite Toloſano inſtitutam approbavit. Redimendis Chriſtianis apud barbaras Nationes captivis, & proferendis Eccleſiæ finibus intentus *Gregorius IX.* Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum confirmavit, & ad Gentes in tenebris, & umbra mortis ſedentes ſpargendi Evangelii præcones miſit, præſertim Dominicanos, qui, velut nubes in aera ſublatæ, Infidelium regiones non ſolùm Divino Verbo, & Evangelii copioſo imbre, ſed etiam proprio ſanguine largiſſimè irrigarunt. Obiit *Gregorius IX.* propè centenarius anno Chriſti MCCXLI. poſtquàm annis

annis quatuordecim, & menſibus quinque Eccleſiam rexiſſet. Trigeſimo à *Gregorii IX.* obitu die, Pontifex electus eſt *Gaufridus Caſtilonæus*, morum integritate, eximiâ doctrinâ, in tractandis Eccleſiaſticis negotiis experientiâ diuturno rerum uſu comparatâ multùm commendatus, & ex Ordine Ciſtercienſi ad Cardinalitias Infulas à *Gregorio IX.* aſſumptus, qui in Pontificatu *Cæleſtinus IV.* fuit appellatus. Sed hunc Pontificem tantæ dignitati obeundæ parem, poſt ſeptemdecim ab inito Pontificatu dies, præmatura mors rapuit, ſicut teſtatur *Bernardus Guidonis* in Chronico Romanorum Pontificum. Mortuo *Cæleſtino IV.* vacavit Sedes Pontificia annum unum, menſes octo, & dies quindecim, eò quòd *Fridericus* Imperator aliquot Cardinales Amalphitano carcere detineret, qui poſteà, adnitentibus *S. Ludovico* Galliarum Rege, & *Balduino* Imperatore Conſtantinopolitano, remiſſi, elegerunt Anagniæ cum aliis Cardinalibus *Sinibaldum de Fliſco*, Genuenſem tituli *Sancti Laurentii in Lucina* Cardinalem, qui in Pontificatu *Innocentius IV.* dictus eſt, & propter eximiam, quâ pollebat, doctrinam, *Pater juris*, & *Pater veritatis* paſſim appellatus. In exordio Pontificatus ſui concordiam Sacerdotii & Imperii ſtatuere pro viribus ſtuduit Summus ille Pontifex, & in eam inclinare videbatur *Fridericus* Imperator, miſſis ad Pontificem Legatis, & propoſitis ineundæ pacis legibus, quas *Matthæus Pariſius* recenſet ad annum MCCXLIV. At *Fridericum*, ſuperbi, leviſque animi Principem, citò pænituit, quòd ſe ad parendum Summi Pontificis mandatis, præſtito per Oratores ſuos Sacramento, obſtrinxiſſet, propoſitis pacis conditionibus ſtare

noluit, Summo Pontifici paravit inſidias, ſeſeque apertum prodidit Eccleſiæ inimicum. Quapropter, *Innocentius IV.* ut evaderet inſidias, quas implacabili odio ei ſtruebat *Fridericus* Imperator, in Gallias, ſolitum Romanorum Pontificum Azilum, ſe recepit, ubi à *Ludovico*, Rege Sanctiſſimo, Summâ, quâ par erat, reverentiâ, ac magnifico apparatu exceptus, Oecumenicam Synodum Lugduni indixit anno MCCXLV. in qua in contumacem *Fridericum* Imperatorem excommunicationis & exauctorationis fulmina vibravit, ſicut latiùs expendemus in quarto Colloquio, in quo de Conciliis habitis Sæculis XIII. & XIV. operoſiùs diſſeremus. Mortuo *Friderico II.* Imperatore anno MCCL. *Innocentius IV.* Lugduno diſceſſit, & in Italiam reverſus eſt, ubi multos populos, qui *Friderici* Imperatoris partibus adhæſerant, ad officium revocavit, *Ecelinum* tyrannum, & Fridericianæ perſecutionis in Marchia Taruiſina incentorem & adminiſtrum, tanquam hæreticum prorsùs vitandum, & Fidelium armis petendum, palàm denuntiavit. *Conradum*, Imperatoris *Friderici* filium, hæredem paternæ tyrannidis, ut è Sicilia, quam occupabat, expelleret, Siciliæ Regnum *Carolo*, Andegaviæ & Provinciæ Comiti, Sancti Ludovici Galliarum Regis fratri, certis conditionibus in Diplomate expreſſis, in feudum poſſidendum obtulit *Innocentius IV.* qui tamen ſuſceptum conſilium, ob abſentiam *Sancti Ludovici* Regis cùm perficere haud potuiſſet, Siciliæ ac Apuliæ Regnum *Henrico* Angliæ Regi in feudum obtulit pro *Eadmundo*, minore ipſius filio, ut teſtatur *Matthæus Pariſius* ad annum MCCLIV. Maximo fidei apud gentes barbaras propagan-

gandæ ſtudio flagravit *Innocentius IV.* In Pruſſiam ſiquidem, Norwegiam, Græciam, Bulgariam, Æthyopiam, Indiam, ad Jacobitas, Neſtorianos, Tartaros, Saracenos, nec non ad Turcarum Sultanum miſit Viros religioſos, præſertim Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Fidei Catholicæ doctrinam eis prædicarent atque inſtillarent. Quos verò fructus in iſtis Miſſionibus tulerint Religioſi illi Viri, opportuniùs oſtendemus in Colloquio ſexto, ubi de Monaſtica Diſciplina nobis ſermo erit. Hìc dumtaxàt brevitèr obſervabo *Innocentium IV.* ad reprimendos Hæreticos, qui in Lombardia, Romandiola, Marchia Anconitana, & Taruiſina id ætatis graſſabantur, Sacræ Inquiſitionis munus Fratribus Prædicatoribus demandaſſe. Obiit Optimus ille Pontifex Neapoli anno MCCLIV. die VII. vel, ut ſcribit *Ciaconius*, die XIII. Decembris, cùm annos IX. menſes V. & dies XIV. ſediſſet. Noſter *Thomas Cantipratenſis* lib. 2. *De Apibus* c. X. num. XXI. aſſerit, hunc Summum Pontificem, ob reſciſſa Fratrum Mendicantium Privilegia à ſuis Deceſſoribus conceſſa, divinitùs percuſſum fuiſſe paralyſi, ac vocis officium ad mortem uſque amiſiſſe. Duplicem cauſam mortis *Innocentii IV.* aſſignat *Matthæus Pariſius*. Prima eſt, quòd ægerrimè tulerit Summus ille Pontifex, exercitum ſuum à *Conrado*, Rege Siciliæ, adverſario ſuo, victum ac diſſipatum fuiſſe. Altera eſt, quòd *Robertus* Lincolnenſis in Anglia Epiſcopus (quem oderat *Innocentius IV.* & cujus oſſa è tumulo eruere, & inſepulta relinquere decreverat, niſi obſtitiſſent Cardinales) in viſione nocturna cuſpide Baculi ſui Paſtoralis ipſum in latere iratus pupugerit, ex quo

ictu ait, cæpiſſe *Innocentium IV.* laborare pleureſi, quâ tandem extinctus eſt. Sed hæc omnia, quæ de obitu *Innocentii IV.* referũt *Thomas Cantipratenſis*, & *Matthæus Pariſius*, ſomnia ſunt ac mera commenta, quę non ſolum accurati Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores explodunt, & ad aniles fabulas rejiciunt, ſed etiam falſi apertè convincuntur ex Epitaphio ejuſdem *Innocentii IV.* quod legitur in Eccleſia Cathedrali Neapolitana, & his verſibus conceptum eſt.

Hìc Superis dignus requieſcit Papa benignus,
Lætus de Fliſco, ſepultus tempore priſco.
Vir ſacer & rectus ſancto velamine tectus.
Vt jam collapſo Mundo temeraria paſſo
Sancta miniſtrari, Vrbs poſſet quoque rectificari,
Concilium fecit, veteraque jura refecit.
Hæreſis illiſa, tunc extitit atque reciſa.
Mœnia direxit, rectè ſibi credita rexit.
Stravit inimicum Chriſti Colubrum Fridericum.
Janua de nato gaudet ſic clarificato,
Laudibus immenſis Vrbs tu quoq; Parthenopenſis,
Pulchra decore ſatis dedit hic tibi plurima gratis.
Hoc titulavit ita Vmbertus Metropolita.

Ordinem *Servorum B. Mariæ* approbavit *Innocentius IV.* & in Sanctorum album ſolemni ritu retulit *Edmundum* Cantuarienſem Archiepiſcopum; *Guillelmum* Briocenſem Epiſcopum in minori Britannia; *Stanislaum*, Cracovienſem Epiſcopum ac Martyrem, & S. *Petrum* Martyrem Ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus vitam, à *Thoma Lentino* ejuſdem Ordinis coætaneo Scriptore editam, *Henſchenius* & *Papebrochius* inter Acta Sanctorum menſis Aprilis tomo 3. ad diem 29. repoſuerunt.

D. Eò mihi charior ſemper erit *Innocen-*

tii

tii IV. Pontificis Maximi memoria, quòd nuper legerim apud S. *Thomam* in IV. Sententiarum, Diſtinct.xx. quæſt. I. artic. IV. quæſtiunculâ III. Summum illum Pontificem omnibus & ſingulis pro Galliarum Rege orantibus decem dierum Indulgentiam conceſſiſſe, quam poſteà ad centum dies *Clementem VII.* & ad unum annum *Leonem X.* extendiſſe teſtatur *Durantus* cap.33. lib.2. *De Ritibus Eccleſiæ*. Sed perge, ſi placet, alios memorare Pontifices, qui Sæculis XIII. & XIV. Romanam gubernarunt Eccleſiam.

M. Paucis poſt *Innocentii IV.* obitum diebus, *Raynaldus*, ſeu *Reginaldus* è ſtirpe Comitum Signiæ, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Pontifex electus eſt, Vir jugi orandi ſtudio, abſtinentiæ laude, & manſuetudine ſingulari ſpectatiſſimus, dictus in Pontificatu *Alexander IV.* Exſcindendis Albigenſium Hæreticorum reliquiis, & promovendæ Eccleſiæ Græcæ cum Latina unioni maximam ſollicitudinem adhibuit Romanus ille Pontifex. *Alphonſum*, Caſtellæ Regem, ſacram Expeditionem in Mauros adornantem, & *Othocarum*, Bohemiæ Regem, contra Lituanos, aliosque Paganos in Poloniam irrumpentes, egregiè adjuvit, & contra omnes illos Catholicæ Fidei hoſtes Crucis vexillum explicari, & ſacræ militiæ Claſſicum perſonare juſſit. Librum *Willelmi de Sancto Amore* adversùs Religioſos Mendicantes editum, *De Periculis Noviſſimorum Temporum* inſcriptum, damnavit *Alexander IV.* Ortas contra Fratres Prædicatores ac Minores turbas in Academia Pariſienſi, cujus partem maximam *Willelmus à Sancto Amore* ſibi conciliaverat, compeſcuit, eoſque, quorum pietatem ac doctrinam probè noverat,

rat, Magiſtrorum Collegio, è quo fuerant ejecti, reſtituit; reſciſſis omninò durioribus eorumdem Magiſtrorum Sæcularium contra prædictos Religioſos Statutis. Cauſam harumce turbarum, quæ contra Fratres Prædicatores ac Minores in Academia Pariſienſi excitatæ ſunt, aperiam in ſequenti Colloquio. Hìc tamen breviter obſervabo, *Egaſſium Bulæum*, qui tomo 3. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* hanc invidioſam litem repetere, & obligata jampridem vulnera de induſtria refricare voluit, non eâ, quâ par eſt, reverentiâ loqui de *Alexandro IV.* eo ſolo nomine, quòd Summus ille Pontifex Dominicanos, & Minoritas contra eorum in Academia Pariſienſi æmulos Apoſtolicâ authoritate defenderit. Hæc quippè ſunt prædicti Scriptoris verba ſtomachi & querimoniarum plena, quæ leguntur pag.355. *Quis non fremat*, inquit, *cùm audit tot Bullas, tam ob levem cauſam datas? tot fulmina manu Apoſtolica emiſſa? Quis non miretur, Summum Pontificem, alioqui virum optimum, ita ab inimicis Univerſitatis induci potuiſſe, ut tam vehementer perſequeretur Academiam Pariſienſem, quòd nollet alterius Ordinis, & Inſtituti homines in ſuum conſortium admittere? Tunc enim Academici damnatum fuiſſe Guillelmi à Sancto Amore libellum minùs impatientèr ferebant: ſed violari ab iſtis hominibus*, ſeu Mendicantibus, *ſua Privilegia, libertates imminui, Statuta infringi, cum inimicis & ab inimicis cogi, converſari, omnia habere cum acerrimis perſecutoribus communia, uno verbo cum percuſſoribus ſocietatem inire compelli, hoc verò, ſupra quàm dici poteſt, indignantèr ferebant.* Et pag.363. hæc habet: *Anno MCCLXI. octavo Kal. Junii Alexander IV. moritur: quo mortuo pacatiores fue-*

fuerunt Muſæ Pariſienſes, quas toto ſui Pontificatus tempore duriſſimè tractavit & perſecutus eſt ob Willelmum de Sancto Amore Mendicantium malleum, quos ille tuebatur. Itanè *Alexander IV.* toto ſui Pontificatus tempore Academiam Pariſienſem perſecutus eſt, quia *Willelmi à Sancto Amore* Doctoris Pariſienſis libellum contra Religioſos Mendicantes temerè ſcriptum, & erroribus ſcatentem proſcripſit, & Dominicanos ac Minoritas injuſtè vexatos, præcipuè *Albertum Magnum*, *Thomam Aquinatem*, & *Bonaventuram*, fulgentia ſuorum Ordinum, ac totius Eccleſiæ Lumina ſtrenuè tutatus eſt, Sanctosq; illos Doctores, qui non ſanctimoniæ ſolùm, ſed & doctrinæ ſplendore toti Orbi prælucebant, Magiſtrorum Pariſienſium Collegio, è quo expulſi fuerant, auctoritate Apoſtolicâ reſtituit? Itane, inquam, *Alexander IV.* Academiam Pariſienſem perſecutus eſt, qui in ſuis ad eam ſcriptis Epiſtolis, quæ legi poſſunt apud *Spondanum* ad annum MCCLV. multis encomiis illuſtribus illam celebrat, eamque appellat *Lignum vitæ in Paradiſo Dei: Lucernam fulgoris in domo Domini, fœcundam eruditionis parentem: fulgidum Solem doctrinæ, qui per totum Orbem claræ intelligentiæ lumen fundens, depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abſtergit caliginem, aufert imperitiæ nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit ſerenum, & lucidum ſcientiæ monſtrat diem, rigat documentorum ſuorum fluentis paradiſi omnem terram, & bonorum influentia dogmatum inſtruit & imbuit univerſum, copioſis, & dulcibus ſapientiæ fructibus reficiens Eccleſiam, Mundum paſcens; quia de Pariſiis, velut de parentis ſinu partus ſcientiarum plurimi prodeunt, de ipſa rectæ ac perfectæ diſciplinæ ſoboles*

boles gignuntur. Hinc procedit inclyta Doctorum proſapia, hinc alta progenies provenit peritorum, quibus Chriſtianus illuſtratur populus & Fides Catholica roboratur. Profectò, quicumque tot encomia, quibus *Alexander IV.* Pontifex Maximus Academiam Pariſienſem proſequitur, ſemoto omnium partium ſtudio, & abdicatis omnibus præjudiciis expendere haud gravabitur, confeſtim nullo negotio fatebitur, Summum illum Pontificem impensè Academiam Pariſienſem coluiſſe, & de eâ optimè meritum fuiſſe, dum Fratrum Prædicatorum ac Minorum, qui ex ipſius gremio fuerant excluſi, patrocinium ſuſcepit, eoſque reſtitui juſſit. Mortuus eſt *Alexander IV.* octavo Kalendas Junii anni MCCLXI. cùm annos ſex, menſes quinque, & dies totidem Eccleſiam Romanam gubernaſſet.

Poſt *Alexandri IV.* obitum Sedes Apoſtolica duobus menſibus & totidem hebdomadibus cùm vacaſſet, inauguratus eſt die IV. menſis Septembris anni milleſimi duceuteſimi ſexageſimi primi Pontifex Maximus *Urbanus* hujus nominis *IV.* dictus ante Pontificatum *Jacobus Pantaleon*, natione Gallus in Trecenſi Urbe humili loco natus, utpotè Sutoris veteramentarii filius, ſed virtutibus & doctrinâ per inferiores dignitatum gradus ad Apoſtolicam Sedem elatus. Primùm ſiquidem fuit Canonicus Tricaſſinus, dein Laudunenſis Archidiaconus, poſtea Virdunenſis Epiſcopus, *Alexandri IV.* in Pomeriana, Pruſſia, univerſaque Germania Legatus; mox Patriarcha Hieroſolymitanus, ac tandem Summus Pontifex. Sub illius Pontificatus initium *Michaël Palæologus* Imperium Conſtantinopolitanum Latinis eripuit, & ad Græcos revocavit. Quod ægrè

ægrè ferens Romanus Pontifex, ſacram Expeditionem indixit, quam ut averteret *Michaël Palæologus* Græcorum Imperator, Eccleſiæ Græcæ cum Latina conjunctionem ſe vehementer optare, miſſisque Oratoribus, quos ſummâ lætitiâ & humanitate excepit *Urbanus IV.* ſacræ illud unionis negotium procurare, totisque viribus promovere ſe velle ſignificavit. *Manfredum* Siciliæ Tyrannum anathemate perculit *Urbanus IV.* Eum in Campaniam cum Saracenorum auxiliaribus copiis irrumpentem, contracto Cruceſignatorum exercitu fugavit, Regnoque abdicavit, quod in *Carolum* Andegavorum Comitem, S. *Ludovici* fratrem, de Cardinalium conſilio tranſtulit anno MCCLXIII. Feſtum Corporis Chriſti quotannis in univerſa Eccleſia, ritu ſolemni celebrandum inſtituit idem Summus Pontifex. S. *Richardum* Epiſcopum Ciceſtrienſem in Anglia in Sanctorum album retulit, cujus Sancti Epiſcopi vitam duplicem edidere *Henſchenius* & *Papebrochius* inter Acta Sanctorum menſis Aprilis, unam ex *Joanne Capgravio* acceptam & deſcriptam ab Auctore Anonymo, alteram à Fr. *Radupho* Ordinis Prædicatorum concinnatam. Monialibus Ordinis S. *Claræ* Regulam tradidit *Urbanus IV.* mitiorem, & teneri ſexus infirmitati accommodatiorem eâ, quam eis dederat S. *Franciſcus*. Hinc Sanctimoniales illius Ordinis, quæ hanc *Urbani* Pontificis Maximi Regulam profitentur, *Urbaniſtæ* propterea nuncupantur. Obiit *Urbanus IV.* ſexto Nonas Octobris anni MCCLXIV. poſtquam annos tres, menſem unum & dies quatuor Eccleſiam Romanam rexiſſet, Vir ſanè magni animi, eximiæ pietatis, & dignus diuturniori Pontificatu. Poſt Interpontificium

cium quinque menſium ab obitu *Urbani IV.* electus eſt Pontifex Maximus *Guido*, Epiſcopus Sabinenſis, dictus in Pontificatu *Clemens IV.* Hic fuit natione Gallus, qui poſt mortem uxoris, quam duxerat, & ex qua duas filias ſuſceperat, Sacris Ordinibus initiatus eſt, ac primùm Podienſis, ſive Anicienſis Archidiaconus, indèque ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, ac paulò poſt Archiepiſcopus Narbonenſis, & ab *Urbano IV.* Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis creatus fuit, demùmque ob vitæ integritatem, & in rebus agendis ſolertiam, omnium Cardinalium ſuffragiis electus eſt Romanus Pontifex, dum abſens eſſet, & à Legatione Anglicana, ad quam ab *Urbano IV.* miſſus fuerat, rediret. Hoc nuncio in itinere accepto, Viterbium pervenit, & die XXII. menſis Februarii Cathedræ S. Petri Sacrâ anni MCCLXV. coronatus eſt. Primo ſtatim Pontificatus ingreſſu rerum contemptus Mundi, & incredibilis erga propinquos ſuos moderationis præbuit exemplum. Scripſit ſiquidem integerrimus ille Pontifex Epiſtolam ad *Petrum Groſſum* nepotem ſuum, quâ ei ſignificat, ſe nullo pacto velle, ut aliquis ex ſuis agnatis obtentu ipſius ſublimationis infletur, ſibiq; non licere, quod ſuum non eſſet, dare propinquis. Promittit tamen ſe daturum ſorori *Petri Groſſi*, ad quem ſcribebat, trecentas libras Turonenſes, ſi ipſa filio ſimplicis militis, hoc eſt, nobilis, deſponſaretur; ſi verò altiores nuptias ambiret, nec unicum denarium largiturum. Hujus propoſiti adeò tenax fuit Sanctiſſimus ille Pontifex, ut non ſolùm duas filias, quas, ut diximus, ante Pontificatum ſuſceperat, innuptas reliquerit, ſed etiam filio fratris ſui Clerico, & tres Canonicatus poſſidenti juſſerit, ut,

ut, duobus dimiſſis, quem maximè optaret, unicum retineret. Hujus Summi Pontificis, qui carni & ſanguini nunquam acquievit, Epiſtolam ad *Petrum Groſſum de Sancto Ægidio* nepotem ſuum edidit in ſuis Annalibus *Odoricus Raynaldus*, eamque Collectores Conciliorum inſeruerunt tomo 11. pag. 830. Verùm, qui in propinquos ſuos beneficia ſic temperabat *Clemens IV.* Pontifex Maximus, in proximum & pauperes ſummæ liberalitatis erat, & in emergentibus temporum difficultatibus Eccleſiaſticas opes pro Eccleſiæ utilitate profundebat. Siciliæ Regnum *Carolo* Andegavenſi, S. *Ludovici* Galliarum Regis fratri, Apoſtolico jure donavit, & reportatam ab eodem *Carolo*, novo Siciliæ Rege, inſignem victoriam, in qua deleti ſunt Gibellini, *Manfredus* Siciliæ Tyrannus cæſus, ejus uxor, filii, ac præcipui Duces capti, gratulatus eſt idem Summus Pontifex, & *Conradinum* Siciliæ Regnum affectantem anathemate perculit. Accepto de calamitoſo Chriſtianorum in Syria ſtatu, & Soldani Babylonii progreſſibus nuncio, omnes Principes Chriſtianos, ſed præſertim S. *Ludovicum* Galliarum Regem ad ſuccurrendum, bellumque Sacrum in Syria inſtaurandum vehementèr adhortatus eſt, & negotium habitum ſub deceſſore ſuo *Urbano IV.* de Unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, miſſis ad *Michaëlem Palæologum* Græcorum Imperatorem Viris Religioſis ex Prædicatorum Ordine Apocriſariis, promovere ac perficere in votis habuit. Ita Juris Diſciplinam exactè didicerat *Clemens IV.* Pontifex Maximus, ut *Durandus* eum *Lumen juris*, Platina *Juriſconſultum totius Galliæ ſine contentione primarium*, & Onuphrius *Jureconſultorum peritiſſimum* ap-

appellent. Viros doctos impenſè coluit, & Sancto Thomæ Aquinati Neapolitanum Archiepiſcopatum obtulit,quem Sanctiſſimus ille Doctor eximiâ, ſed ſibi congenitâ humilitate, conſtantèr recuſavit. Denique, omnes Sanctiſſimi Pontificis numeros poſtquàm expleviſſet *Clemens IV.* obiit Viterbii in Vigilia S. *Andreæ* anni MCCLXVIII. & in ea urbe in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ſepultus eſt. Rexit Eccleſiam tribus annis, menſibus novem, diebus viginti quinque. Poſt mortem *Clementis IV.* Sedes Apoſtolica, ob varia, contrariaque Cardinalium ſtudia vacavit annos duos, menſes novem & dies duos. Tandem ſex Cardinales, in quos cæteri alii ejuſdem Collegii omnem ſuam novi eligendi Pontificis auctoritatem, edito Compromiſſo, refuderant; elegerunt *Thealdum*, ſeu *Theobaldum*, Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, qui tum temporis cum Chriſtiano exercitu in Syria degebat. Huic electioni factæ Kalendis Septembris anni MCCLXXI. omnes Cardinales lubentiſſimè uno ore, unâ mente, communibusque ſuffragiis conſenſerunt, ac *Thealdum* Romam è Syria reverſum VI. Kalendas Aprilis anni MCCLXXII. in Baſilica S.Petri Romanum Pontificem, dictum *Gregorium X.* inaugurarunt. In res Palæſtinæ plurimùm intentus fuit Summus ille Pontifex, & ſicut, è Syria antequam diſcederet, promiſerat his verbis: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea*, omnem adhibuit ſollicitudinem, ut ſubſidia nova Chriſtianis in Oriente militantibus ſuppeditarentur,& ut Græci,quibus *Michaël Palæologus* imperabat,deturbato è Solio Cõſtantinopolitano *Balduino*, ultimo ex Latinis Conſtantinopolitano Imperatore,

tore,ad fidei,& Communionis Apoſtolicę Sedis unitatem revocarentur. Metuebat quippè, ut jam obſervavimus, *Michaël Palæologus*, novus Græcorum Imperator, Principum Latinorum adversùs ſe conſpirationem, quam ut à ſe diſpellere ſtuderet, *Gregorium X.* Romanum Pontificem novâ fidei profeſſione, & Eccleſiæ Græcæ cum Latina unione ſibi conciliavit. Eam ob rem, *Gregorius X.* Concilium Oecumenicum Lugdunenſe II. celebravit anno MCCLXXIV. in quo Græci Spiritus Sancti à Patre Filioque proceſſionem feſtis vocibus agnoverunt, Terræ Sanctæ decreta ſunt auxilia, & ſancita ſaluberrimis Statutis Eccleſiæ Diſciplina. Sed de hoc Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo uberiùs in quarto Colloquio diſſeremus. *Rodulphi* Imperatoris electionem confirmavit *Gregorius X.* & *Alphonſo* Caſtellæ Regi ſuaſit, ut Imperii juribus cederet, ſicut in ſuperiori Colloquio obſervavimus. Italiæ Provinciis ac Civitatibus pacandis, & Gibellinorum, Guelforumque factionibus, quibus tota Italia perſtrepebat, extinguendis, totum ſe dedidit Summus ille Pontifex, & in id præſertim incubuit, ut Chriſtianorum Principum arma ſtringerentur in fidei hoſtes, maximè Saracenos,ad quos profligandos ſcripſit ad *Philippum III.* Galliarum Regem, ut ſubſidiarias copias in Syriam mitteret, eidem Regi poſteà gratulatus eſt, quòd ſumptis Crucis Inſignibus, Sacram Expeditionem in Syriam mitteret, eique Gallicani Cleri decimas conceſſit, ad conficiendum contra Saracenos bellum neceſſarias. Mortuus eſt *Gregorius X.* Aretii in Tuſcia die x. Januarii anni MCCLXXVI. cùm ſediſſet annos ab electione quatuor, menſes quatuor, & dies decem; à Conſe-

cratione verò tres annos, novem menſes, & dies quindecim. Eum miraculis poſt mortem claruiſſe, teſtantur *Ptolomæus Lucenſis*, & S. *Antoninus*. Idem etiam legitur in Monumentis Aretinæ Eccleſiæ, & in Vaticano Codice à noſtro *Bzovio* in Annalibus Eccleſiaſticis laudato.

D. Fuitne diuturnior Pontificatus Succeſſoris *Gregorii X.*?

M. *Innocentius V. Hadrianus V.* & *Joannes XX.* qui poſt *Gregorium X.* Sedem Romanam tenuerunt, breviſſimum Pontificatum geſſerunt. At enim, poſt Juſta *Gregorio X.* à Cardinalibus, ut moris eſt, perſoluta, *Petrus de Tarentaſia*, Epiſcopus Oſtienſis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptus, vitæ integritate & præcellenti eruditione præditus, electus fuit Romanus Pontifex, dictusq; *Innocentius V.* quem acerba mors ſexto menſe Pontificatus per unum alterumque diem inchoato rapuit, & ſpes ingentes ab Eccleſia de illius regimine conceptas præcîdit die XXII. Junii anni MCCLXXVI. Præter ſingularem eruditionem, librorum, quæ adhuc ſuperſunt monumentis, conteſtatam, paremque morum ſanctitatem, formam & pulchritudinem dignam Imperio, quâ ſui Sæculi hominibus præſtabat *Innocentius V.* Pontifex Maximus, multis aliis præclariſſimis dotibus, ex quibus quamplurima in Rempublicam Chriſtianam bona derivarunt, in Eccleſia præfulſit, eaque in Pontificatu prudentèr felicitèrq; peregit, quæ multorum annorum æquare & implere ſpatia poſſent. *Innocentio V.* ſuffectus eſt *Ottobonus* Patriâ Genuenſis, Diaconus Cardinalis Tituli Sancti *Hadriani*, ob idque dictus *Hadrianus V.* cujus Pontificatus breviſſimus fuit. Obiit ſiquidem Viter-

terbii altero ab electione ſua menſe necdùm expleto, die videlicet XVIII. menſis Auguſti an. MCCLXXVI. *Hadrianum V.* in Pontificatu excepit *Petrus Juliani* natione Luſitanus, Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, dictus *Joannes XX.* Fuit hic Pontifex eximiæ eruditionis vir,& in Phyſicis præſertim,ac in Medicinæ Diſciplina verſatiſſimus. Ad pacem inter Principes Chriſtianos conciliandam,ad debellandos Fidei Chriſtianæ hoſtes,& ad promovendum S.Unionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina negotium omnes ſuas curas convertit. Hinc *Philippum* Galliarum Regem ad Syriacam Expeditionem,quam voverat, perficiendam, miſſis Legatis, vehementer adhortatus eſt. *Petro* Aragonum Regi decimas ad propulſandos Mauros, qui in ejus Regnum irruperant, conceſſit, ſicut & *Guidoni* Flandriæ Comiti, qui Syriæ defenſioni arma conſecrarat. Miſit etiam idem Summus Pontifex Legatos Apoſtolicos *Jacobum* ac *Salvium* Ordinis Fratrũ Prædicatorum ad *Michaëlem Palæologum* Græcorum Imperatorem, & ab eo obtinuit, ut juratam à ſuis Oratoribus in Concilio Generali Lugdunenſi II. utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ unionem coram Legatis Apoſtolicis confirmaret, ut liquet ex Litteris ejuſdem Imperatoris ab *Odorico Raynaldo* relatis ad annum MCCLXXVII. Num. XXI. Viros litteratos, teſte noſtro *Ptolomæo Lucenſi*, ſingulari affectu complectebatur, fovebat, beneficiis cumulabat *Joannes XX.* quem alii appellant *Joannem XXI.* quique tam infelici, quàm inopinatâ & præmaturâ morte extinctus eſt. Solutâ ſiquidem Cameræ ſuæ contignatione, eâque ſubindè corruente, inter ligna & lapides colliſus ac oppreſſus eſt, indèque ægrè retractus, ſex duntaxat

dies poſt caſum vixit, obiitque Viterbii menſe Majo anni MCCLXXVII.

D. Ex tam deplorando Pontificis caſu probè intelligo, quàm fluxæ & inſtabiles ſint res humanæ, quàmque lubrica & anceps ſit earum conditio. Sed, ne hujus funeſti & acerbi interitus intempeſtivo luctu diutiùs te detineam, perge quæſo, aliorum Pontificum, qui decimo tertio Sæculo Eccleſiam Romanam gubernarunt, texere Catalogum.

M. Protractâ poſt *Joannis XX.* obitum ad ſex menſes Romani Pontificis electione, tandèm electus eſt *Joannes Cajetanus*, patriâ Romanus, ex Illuſtriſſimâ Urſinâ Proſapiâ oriundus, cui adhuc puero Sanctus *Franciſcus* ſupremam Pontificatus dignitatem fuerat auguratus, atque Ordinem commendarat ſuum. Diaconus erat Cardinalis S. *Nicolai in Carcere Tulliano*, à quo ſibi in Pontificatu nomen ſumpſit, dictusque eſt *Nicolaus III.* Tanta fuit hujus Summi Pontificis morum æquabilitas, & in rebus gerendis ſingularis prudentia, ut vulgò *Compoſitus* appellaretur. Electus eſt die S. *Catharinæ* Martyri Sacrâ anni MCCLXXVII. & die S. *Stephani* Protomartyris ejuſdem anni conſecratus. *Alphonſum* Hiſpaniæ, & *Philippum* Galliarum Reges inter ſe acerrimè diſſidentes, miſſis ad utrumque Legatis, conciliare pro viribus ſtuduit, quod tamen exitu caruit. Florentinorum diſſenſiones ſedavit Summus ille Pontifex, &, extinctis Guelphorum, Gibellinorumque factionibus, pacem, cujus erat ſtudioſiſſimus, in Italiam feliciter revocavit. *Ladiſlaum* Ungariæ Regem, Cumanis Paganis faventem, injectis Cenſurarum minis ad officium reducere curavit. Ut Eccleſiæ Græcæ cum Latina conjunctio

in

in Concilio Lugdunenſi facta, firmaretur; ſtrenuam navavit operam, datis pluribus ad *Michaëlem Palæologum* Græcorum Imperatorem, ad *Andronicum* ejus filium, ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, cæterosque Præſules Græcos Litteris. De Judæorum, & Hæreticorum converſione multùm ſollicitus verbum Dei Judæis prædicandi Fratribus Prædicatoribus Provinciam demandavit, variaque pœnarum genera in Catharos, aliosque Hæreticos promulgavit. Regulam *Fratrum Minorum* explicuit idem Summus Pontifex celebri illa Conſtitutione, quæ incipit: *Exiit qui ſeminat*, quâ rerum omnium, quæ Ordini *Minorum* concederentur, uſu dumtaxàt Fratribus permiſſo, dominium Sedi Apoſtolicæ reſervavit. Quod dominium *Joannes XXI.* quem alii dicunt *XXII.* in Extravag. *ad Conditorem*, ut Commentitium & nullius utilitatis abdicavit. Obiit *Nicolaus III.* in Caſtro Suriano Apoplexiâ ictus in Octava Aſſumptionis Deiparæ Virg. ann. MCCLXXX. cùm annis duobus & menſibus novem, minùs duobus diebus, Romanam Eccleſiam rexiſſet. Ejus Corpus Romam delatum in Baſilicam S. Petri in Sacello, quod in honorem S. *Nicolai* excitaverat, conditum eſt. Sub Pontificatu hujus Papæ *Nicolai III.* hoc eſt, anno MCCLXXIX. piâ *Caroli II.* Salernitani Principis, & Siciliæ Regis filii diligentiâ Sacrum B. Mariæ Magdalenæ Corpus in Gallo-Provincia, ſeu in Sancti *Maximini* Villa fuiſſe inventum teſtantur *Bernardus Guido*, *Jordanus*, & *Ptolomæus Lucenſis*, quibus ipſe etſi lubentiſſimè ſubſcribam, & præpoſteram eâ de re *Joannis Launoii* (cui, ob nimiam vetuſtiſſimos quosque Sanctos è Cœlo detrudendi pruriginem, *Sanctorum everſoris* cognomen adhæ-

ſit) dubitationem explodi meritò debere cenſeam; non poſſum attamen, ut liberè dicam, quin ceù fi-ctitium repudiem miraculum, quod *Sylveſter Prieras*, & *Bzovius* ad annum MCCLXXXIII. referunt, liberationis *Caroli II.* Salernitani Principis è carcere Barcinonenſi, in quo ab *Alphonſo* Aragonum Rege detinebatur, ejusque Narbonam uſque mirabilis translationis, nullâ ope humanâ factæ, ſed ſolâ virtute *B. Mariæ Magdalenæ*, quæ ei indicavit, quo loco ejus reliquiæ deliteſcerent, utque inventas honorificentiùs collocaret, ac ibi Cœnobium Fratribus Prædicatoribus extrueret, dotaretq; præcepit. Hoc, inquam, miraculum *Caroli II.* Salernitani Principis è carcere Barcinonenſi liberationis virtute B. Mariæ Magdalenæ factæ, loco fabulæ haberi debere, ex eo maximè evincitur, quòd inventio Corporis B. Mariæ Magdalenæ, ejusque in loco honoratiori, juſſu laudati Principis Salernitani *Caroli II.* collocatio facta fuerit, ut convenit inter omnes Hiſtoricos, anno MCCLXXIX. Liberatio verò *Caroli II.* Principis Salernitani contigerit dumtaxat anno MCCLXXXVIII. ſub Pontificatu *Nicolai IV.* ſicut disertè teſtantur Scriptores coævi, & probatiſſimæ fidei *Guillelmus Nangius*, ad ann. MCCLXXXVIII. *Paulus Æmilius* in *Philippo Pulchro*, *Joannes Villanus* lib. 7. cap. 114. *Ptolomæus Lucenſis* cap. 24. Hiſtoriæ, *S. Antoninus*, *Platina* in *Nicolao IV. Mariana* lib. 14. cap. 14. & *Walſinghamus* ad ann. MCCLXXXIX. Addo etiam, liberationem *Caroli II.* Principis Salernitani è carcere Barcinonenſi contigiſſe ſub Pontificatu *Nicolai IV.* Summi Pontificis, hoc eſt, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo, apertè conſtare ex Epiſtola ejuſdem Papæ *Nicolai IV.* ad

Phi-

Philippum Pulchrum Galliarum Regem, cujus fragmenta Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXXXVIII. Num.XVI.

D. Famam *Nicolai III.* Pontificis Maximi duplici potiſſimùm ex capite proſcindebat nuperrimè moroſus quidam ac ſuperciliosſus Cenſor. Ei ſiquidem vitio vertebat, quòd conſcius fuiſſet conjurationis adversùs *Carolum* Siciliæ Regem à *Joanne Prochita*, viro ſceleratiſſimo, initæ cum *Petro* Rege Aragonum, & *Michaële Palæologo* Græcorum Imperatore, de invadenda Sicilia. Quam Conjurationem nefariè ſuſceptam, cæſis poſteà omnibus ad unum in tota Sicilia Francis per immanitatem poſt hominum memoriam maximam executi ſunt. Præterea, dictitabat idem Cenſor, *Nicolaum III.* in ſua Conſtitutione, *Exiit qui ſeminat*, quæ legitur in Sexto, Tit. *De Verborum ſignificatione*, definiiſſe, abdicationem omnium rerum tam in ſpeciali, quàm in communi, verbo & exemplo Chriſtum Dominum docuiſſe, quod tamen erroneum & hæreticum eſſe *Joannes XXI.* quem alii dicunt *XXII.* in ſua Conſtitutione, quæ incipit his verbis: *Cùm inter nonnullos*, decretorio judicio declaravit. Ab his duobus accuſationis Capitibus *Nicolaum III.* vindicandi tibi onus in præſentia incumbit.

M. Proclive eſt hæc duo accuſationis Capita amoliri à *Nicolao III.* Pontifice Maximo, ejuſque famæ, quam maledico dente carpere auſus eſt aſperrimus ille Cenſor, integritatem demonſtrare. Quòd enim primum Caput ſpectat, nefarium videlicet de Gallorum in Sicilia cæde conſilium cum *Nicolao III.* communicatum, oppidò falſum eſt, ſicut colligitur ex locupletiſſimo *Ægidii* Cardinalis Vi-

terbienſis teſtimonio: *Cædes Gallorum*, inquit, *in Sicilia facta (Veſperas Siculas dicunt) turbari in Italia omnia, Nicolao extincto cuſtode pacis*. Non potuiſſet autem *Ægidius* Cardinalis appellare *Nicolaum III.* Cuſtodem pacis, ſi reverâ Summus ille Pontifex prædictæ conjurationis,& tragicæ proditionis conſcius fuiſſet. Non me latet Scriptores Italos, *Ricordanum, Villanium, S. Antoninum,Blondum, Fazellum, Summontium* aſſerere, *Nicolaum III.* ſollicitatum à *Joanne Prochita* huic conjurationi manus dediſſe, eò quòd infenſus eſſet *Carolo* Siciliæ Regi ob repulſam, quam paſſus fuerat cum quibuſdam verborum aculeis, dum ab ipſo poſtulaſſet, ut neptem ſuam *Urſino* nepoti uxorem traderet. At illos Scriptores Italos falſis rumoribus temerè & mendaci famâ in vulgus ſparſis plus æquo crediḍiſſe exiſtimo, quia veroſimile non eſt, *Nicolaum III.* qui ab ipſo Pontificatus ſui exordio pacem & concordiam inter *Carolum* Siciliæ Regem, & *Michaëlem Palæologum* Imperatorem Græcorum ſtabilire pro viribus ſategit, quique probè norat, deceſſores ſuos *Urbanum IV.* & *Clementem IV.* excommunicato *Manfredo*, & omni jure Regni Siciliæ exuto, Regnum Siciliæ detuliſſe *Carolo* Comiti Andegavenſi, S. *Ludovici* Galliarum Regis fratri, Francosque nihil minùs cogitantes enixis precibus ad illud Regnum ſuſcipiendum ſollicitaſſe, non eſt, inquam, veroſimile, *Nicolaum III.* tam facilè mutaſſe ſententiam, & non ſolùm *Carolum* Siciliæ Regno, quo à Romanis Pontificibus donatus fuerat, privare, verùm etiam iniquæ contra omnes Gallos in Siciliæ Regno degentes conjurationi aſſenſum præbere voluiſſe. Sed laudatos Scriptores Italos deceptos fuiſſe, dum

nar-

narrant *Nicolaum III.* conſcium fuiſſe conjurationis adversùs *Carolum* Siciliæ Regem, ex eo maximè ſuaderi poteſt, quòd iidem Scriptores ſimilitèr referunt, *Martinum II.* vulgò *IV.* appellatum, *Nicolai III.* ſucceſſorem, conſenſiſſe privato certamini, Burdegalæ, centum Equitibus utrinque concurrentibus, committendo, ad quod *Petrus* Aragonum Rex, qui Siciliam invaſerat, provocavit *Carolum* Siciliæ Regem. Quod tamen falſum eſſe (inquit *Spondanus* ad annum MCCLXXXII.) apertè probant litteræ ab eodem *Martino* Romano Pontifice ad *Carolum*, quibus acerrimè eum redarguit, quòd adeò temerariè conſenſerit hujuſmodi damnabili & damnato certamini, eique ſub debito ipſi Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ fidei & homagii omninò injunxit, ut ab eo ſub pœna excommunicationis abſtineret, & omnes, qui ei auxilio, conſilio, vel favore aſſiſterent, etiamſi Regiâ vel Imperiali dignitate fulgerent, eadem cenſurâ irretitos declaravit. Sicut ergo audiri haud debent Scriptores Itali, dum aſſerunt *Martinum* Romanum Pontificem pacto Reges inter Aragoniæ & Siciliæ ſingulari certamini conſenſiſſe, ita nobis ſubleſta eorumdem Scriptorum fides eſſe debet, dum ſcribunt, *Nicolaum III.* conjurationis adversùs *Carolum* Sicilię Regem, & iniquiſſimę Gallorum cędis conſcium fuiſſe.

Nec minus à vero aberrarunt hi, qui putarunt *Nicolaum III.* definiiſſe in ſua Conſtitutione, quæ incipit. *Exiit qui ſeminat*, Chriſtum rerum aliquarum, earum præſertim quibus utebatur, vel quas ad ſuos & ſuorum Diſcipulorum uſus accipiebat, nullum dominium habuiſſe. Id certè in prædicta Conſtitutione non decernit *Nicolaus III.* ſed ſolùm

aſſe-

aſſerit, Chriſtum abdicationem abſolutiſſimam dominii rerum temporalium tam immobilium, quàm mobilium, in communi & in ſpeciali, verbo & exemplo docuiſſe, quod ſanè veriſſimum eſt. Subdit tamen idem Summus Pontifex, Chriſtum, præter hoc vitæ genus, aliud, dùm viveret, ſuo commendaſſe exemplo, ſi quidem Loculos cum Apoſtolis poſſidebat, ex quibus emi jubebat neceſſaria ad communem vitæ ſuſtentationem, & pauperibus etiam eleemoſynam erogari. Sic enim ait Summus ille Pontifex: *Infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in Loculis, & infirmorum imperfectionibus condeſcendit*. Hoc eſt, Chriſtus Dominus dignatus ſeſe accommodare imbecillitati & imperfectioni naturæ noſtræ multis neceſſariò ſuſtentandæ ſubſidiis, quæ non niſi pecuniis comparari poſſunt, Loculos humano more, ſeu cum vero dominio, habere voluit. Non negat igitur *Nicolaus III.* Chriſtum habuiſſe aliquandò rerum aliquarum, earum maximè quibus utebatur, dominium, ac ſubindè nulla eſt pugna inter hunc Romanum Pontificem, & *Joannem XXI.* quem alii dicunt X*XII.* quia *Joannes XXI.* in ſua Conſtitutione *cùm inter nonnullos*, definivit dumtaxat Hæreticum eſſe negare, Chriſtum & Apoſtolos aliquid habuiſſe in communi, ſicut tum temporis pervicaciter docebant quidam Minoritæ, qui de ſua paupertate ambitioſiùs, quàm religioſiùs diſceptantes, magno animorum æſtu Chriſtum & Apoſtolos nunquam aliquid in communi poſſediſſe pertendebant, & omne à ſe bonorum dominium amoliebantur, atque in Sanctam Sedem rejiciebant, uſum ſibi tantùm reſervantes, ſicut opportuniùs in ſequentibus Colloquiis expendemus.

Va-

D. Vacavitne Sedes Pontificia poſt *Nicolai III.* obitum, qui, uti annotaſti, contigit anno MCCLXXX.

M. Sunt quidam Dominicani Scriptores, qui poſt *Bzovium* ejuſdem Ordinis, Annalium *Baronii* continuatorem, aſſerunt, *Joannem Vercellenſem* Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum, mortuo *Nicolao III.* Pontifice Maximo, electum fuiſſe in Romanum Pontificem; Sed, cùm abſens electus fuiſſet, antequam ſuæ promotionis nuncium accepiſſet, vitâ functum eſſe. Nolim quidem ipſe Familiæ Dominicanæ, cui nomen dediſſe eximiæ fælicitatis, & ſummo ſemper honoris loco ducam, gloriam deprimere, quam potiùs, quamdiù ſuppetent vires, promovere curæ ac cordi jugitèr habebo; ad Hiſtoriæ tamen Eccleſiaſticæ elucidationem ingenuè hìc fatebor, hanc creationem *Joannis Vercellenſis* in Romanum Pontificem poſt mortem *Nicolai III.* meram eſſe fabulam, quæ non solùm *Ptolomæi Lucenſis*, & *Sancti Antonini* ſilentio aliorumve graviſſimorum Auctorum, qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt, aut Eccleſiaſticam Hiſtoriam concinnarunt, auctoritate convincitur, ſed etiam cum ratione temporum cohærere minimè poteſt. At enim, *Nicolaus III.* ut jam diximus, mortuus eſt anno MCCLXXX. & *Joannes Vercellenſis* obiit anno MCCLXXXIII. ut videre eſt in Chronicis Ordinis Prædicatorum, & in Scriptoribus ejuſdem Ordinis. Si ergò *Joannes Vercellenſis* immediatè poſt obitum *Nicolai III.* in Romanum Pontificem fuiſſet electus, omni procul dubio, ſuæ electionis nuncium accepiſſet, cùm è vita dumtaxat migrarit anno MCCLXXXIII. quo anno nulla fieri potuit Pontificis Romani electio, Sedente jam *Martino*

tino II. qui vulgò *IV.* appellatur. Hac itaque miſsâ fabulâ, quâ non eget Familia Dominicana veris & innumeris, ut oſtendam in ſexto Colloquio, cumulata honoribus, certum & indubitatum eſt apud omnes Hiſtoricos, poſt *Nicolai III.* obitum Sedem Apoſtolicam, ob tumultus occaſione Hannibaldenſium & Urſinorum æmulationis exortos, per ſex menſes vacaſſe, & tandèm communibus ſuffragiis electum eſſe in Romanum Pontificem VIII. Kalend. Martii, ſeu die Cathedræ *Sancti Petri* ſacrâ, anni MCCLXXXI. *Simonem de Bria*, natione Gallum, Tituli *Sanctæ Cæciliæ* Presbyterum Cardinalem, qui in Eccleſia *Sancti Martini* Turonenſis cùm olim Canonicus fuiſſet, & ſacri ærarii Præfectus, *Martinus* appellari voluit. *Martinus II.* juxtà ordinem Romanorum Pontificum, qui eo nomine donati ſunt, nuncupari deberet, ſicut eum vocat *Henricus Stero* in Annalibus, uſus tamen obtinuit, ut dicatur *Martinus IV. moribus generoſus & magnanimus, & à cupiditate pro ſe vel ſuis alienus, Eccleſiaſticique Juris zelator,* ut ait *S. Antonius*, qui etiam teſtatur, Summum illum Pontificem fratri ſuo, qui ſtatìm ac audierat creationis ipſius nuncium, ex Gallia ad ipſum gratulabundus advolaverat, modica tantùm munera, & itineris expenſas tribuiſſe, dicendo: *Bona eſſe Eccleſiæ, non ſua, quæ in Conſanguineos profundere non liceret.* O ſententiam auream, cedro dignam, ac marmori inſculpendam! Pontificiam dignitatem, quam modeſtè de ſe ſentiens, variis adhibitis excuſationibus, declinare conatus fuerat, intrepidâ conſtantiâ ſuſtinuit. *Michaëlem Palæologum*, Græcorum Imperatorem, ab unione cum Eccleſia Latina in Concilio Lugdunen-

ſi

ſi per Oratores ſuos juratâ, & proprio deinde Sacramento coram Legatis Apoſtolicis confirmatâ græca levitate recedentem anathemate perculit. Siculorum proditionem, & immanitatem à ſæculis inauditam, quâ in ipſa Paſchatis ſolemnitate, dum Campanæ ad Veſpertinum Officium pulſarentur, (unde *Sicularum Veſperarum* nomen) omnes ad unum Gallos cujuslibet ſexus, ætatis, conditionis & ordinis, indiſcriminatim confoderunt, execratus eſt *Martinus* Papa. *Petrum* Aragoniæ Regem nefariæ iſtius conjurationis participem, & Regni Siciliæ invaſorem, diris ſolemni Eccleſiæ ritu devovit, eumque, Eccleſiaſticas Cenſuras contemnentem, Regno Aragoniæ, & Cataloniæ ac Valentiæ Principatibus privatum edixit, & ejus ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit: Aragoniæ verò Regnum, aliaſque *Petri* Ditiones, *Philippo*, Galliarum Regi, adjudicavit, ut *Carolo Valeſio*, filio ſuo minori, ex ipſius *Petri* ſorore ſuſcepto, eas armis vindicaret, ſub clientela tamen Sedis Apoſtolicæ, certis conditionibus poſſidendas. Anathematis ſententiam tulit in Panormitanos, & in eos, qui Regnum Siciliæ *Carolo* Regi fiduciario jure ab Eccleſia traditum invaderent, vel conjuratis opem ferrent: Pugnaturis verò pro *Carolo*, legitimo Siciliæ Rege, ſi in prælio caderent, eamdem conceſſit Indulgentiam, quam Cruceſignatis pro Terræ Sanctæ recuperatione, aut defenſione, ſui Deceſſores largiti fuerant. Felix *Carolus*, ſi Optimi illius Pontificis conſiliis ac mandatis morem geſſiſſet! Sed ejus mandata negligens, deluſus eſt à *Petro* Aragoniæ Rege, qui dolo rem agens, eum ad ſingulare certamen provocavit, eâ lege ut victoris præmium eſſet

eſſet Siciliæ Regnum, infamia pugnam detrectantis. Dolum non ſubodoratus generoſior *Carolus*, Burdegalam, aſſignatum certamini locum, ſe contulit, ubi ſe deluſum tandem agnovit, non comparente *Petro* Aragoniæ Rege. Sic dolus virtuti præ. valuit. Perdidit Siciliam *Carolus* fortitudine, eâ potitus eſt *Petrus* Aragoniæ Rex, minùs de fama ſua, cujus jam jacturam fecerat, quàm de Siciliæ Regno, quod invaſerat, injuſtè retinendo ſollicitus. Obiit *Martinus IV.* Peruſii, IV. Kalend. Aprilis anni MCCLXXXV. eumque poſt obitum multis claruiſſe miraculis teſtantur *Martini Poloni* Continuator, *Guillelmus Nangius*, & Auctor Vitæ MS. *Martino IV.* conſentientibus ſuffragiis ſubrogatus eſt in Sede Apoſtolica *Jacobus Sabellus*, nobilis Romanus, *Sanctæ Mariæ in Coſmedin* Diaconus Cardinalis, IV. Nonas Aprilis ejuſdē an. MCCLXXXV. dictus in Pontificatu *Honorius IV.* qui Deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, *Jacobum*, filium *Petri* Aragoniæ Regis, paternæ tyrannidis hæredem, qui Siciliæ ſceptra arripuerat, ejuſque matrem *Conſtantiam*, filiam *Manfredi* Siciliæ Tyranni, anathemate confixit. *Ladislaum* Ungariæ Regem, qui, repudiatâ legitima uxore, cum pellicibus polluebatur, ſuoque familiari conſortio Infideles Cumanos, Tartaros, Neugerios, & Saracenos dignabatur, acerrimè redarguit, & in eum, ni Reginam reciperet, & maritali complecteretur affectu, atque Infideles à ſua ſocietate ablegaret, Anathematis minas intentavit. Plures Epiſtolas ſcripſit Summus ille Pontifex, quæ referuntur ab *Odorico Raynaldo*, *Bzovio*, & *Wadingho*. Extat etiam in Bullario Romano ejuſdem Pontificis diploma, quod incipit: *Olim Feli-*

Felicis, anno MCCLXXXVI. datum, quo novam Mendicantium Sectam, ſub nomine Ordinis Apoſtolorum, à neſcio quibus inſtitutam damnavit. Sedit duobus annis, & uno die, atque è vita migravit Romæ die Cænę Domini, quæ incidit in diem III. Aprilis anni MCCLXXXVII. Poſt illius obitum vacavit Sedes Romana menſibus decem, & octodecim diebus, hoc eſt, uſque ad diem XXII. menſis Februarii feſto Cathedræ Sancti Petri Sacram anni MCCLXXXVIII. quâ die Romanus Pontifex electus eſt *Hieronymus Aſculanus*, tituli *Sanctæ Pudentianæ* Cardinalis, ex Ordine Fratrum Minorum aſſumptus, non verò ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ſicut per errorem, aut memoriæ lapſum obrepſit *Dupino* tom. 10. *Bibliothecæ Scriptorum Eccleſiaſticorum* pag.57. Primus fuit ex Ordine *S. Franciſci* Romanus Pontifex, dictuſque eſt *Nicolaus IV.* qui, ſuſceptâ Eccleſiæ adminiſtratione, ſtatim ad componendas res Siculas animum applicuit. Siculis juſſit ut ad obſequium Eccleſiæ redirent, & ad *Alphonſum* Aragoniæ Regem Legatos miſit pro *Caroli*, cognominati *Claudi*, Principis Salernitani & Siciliæ Regis, quem in carcere Barcinonenſi captivum detinebat, liberatione. E carcere dimiſſus quidem eſt *Carolus*, ſed aſperrimis conditionibus ei in Conventu Oleronenſi impoſitis, quas *Nicolaus IV.* reſcidit, & *Carolum* Siciliæ & Apuliæ Regem coronavit. Inde tamen acriùs recruduit bellum inter prædictum *Carolum* Siciliæ Regem, & *Jacobum* ejuſdem Regni invaſorem, *Alphonſi* Aragonum Regis fratrem. De Religione Chriſtiana apud barbaras nationes propaganda multùm fuit ſollicitus *Nicolaus IV.* miſitque Religioſos tam ex Ordine

Fra-

Fratrum Prædicatorum, quàm ex Ordine Fratrum Minorum, quibus Verbi Divini nationibus à fide Chriſtiana alienis prædicandi provinciam demandavit, quorum Apoſtolicis laboribus apud Tartaros Chriſtiana Religio ita effloruit, ut *Argon* Rex, ejuſque coniux Chriſto nomen dederint, quorum converſioni gratulatus eſt *Nicolaus IV.* Epiſtolis decimâ libri primi, & duodecimâ ad *Argonem* Regem. Cauſam etiam Chriſtianorum in Syria, quorum res inclinata erat, apud Principes Chriſtianos, præſertim apud Reges Galliæ, & Angliæ, vehementèr ſollicitavit. Quin & ad tuendam Urbem Ptolomaidem multos milites ipſe proprio ære tranſmiſit. Hunc Summum Pontificem egregiè doctum fuiſſe, & ex omni ferè Religione viros optimos & doctos Cardinales creaſſe, ac Romam pulcherrimis ædificiis exornaſſe teſtatur *Joannes Stella* Venetus in ſuo Commentario *de Vita & Moribus Romanorum Pontificum*. Obiit *Nicolaus IV.* die Sacrâ Paraſceves, ſeu die IV. Aprilis anni MCCXCII. annum agens Pontificatus quintum. Poſt mortem *Nicolai IV.* Sedes Pontificia, ob Cardinalium diſſenſionem, vacavit annis duobus, menſibus tribus & die unâ, cùm tandèm die V. menſis Julii anni MCCXCIV. Summo omnium conſenſu electus eſt Summus Pontifex *Petrus de Murrone*, Sanctus Anachoreta, & novæ Congregationis Religioſæ, quæ *Cæleſtinorum* poſteà dicta eſt, Auctor. In aſpera ac remota Apuliæ ſolitudine rerum divinarum contemplationi, & corpori macerando intentus erat vir ille ſanctitate illuſtris, dùm de ſua electione nuncium accepit, ac ſtatim, ut erat verè pius & humilis, fugam arripere cogitavit, ſed à populo deten-

detentus, in urbe Aprutii *Aquila*, volens nolens, inauguratus eſt, dictuſque *Cæleſtinus V.* qui tamen paulò poſt ſe ad hanc dignitatem minus aptum agnoſcens, tantoq; oneri ferendo imparem ſentiens, oneri & honori cedere ſtatuit, adductus potiſſimùm conſiliis Cardinalis *Benedicti Cajetani*, viri ſagacis, callidi, & rerum gerendarum gnari, qui ipſum divini judicii metu, ut ſe Pontificatu abdicaret, deterruit; non verò, ut quidam ineptè fabulantur, voce per tubum fictâ, & quaſi cælitùs dimiſsâ, ei, ut Pontificatum deponeret, perſuaſit. Tandem, poſt quinque menſes & dies octo Pontificatus, *Cæleſtinus V.* ornamenta Pontificis in Conſiſtorio exuit menſe Decembri, & die *Sanctæ Luciæ* ſacrâ anni MCCXCIV. editâque Conſtitutione, quâ ceſſionem hujuſmodi fieri poſſe pronunciavit, ſtupendum humilitatis exemplum, & magnum ſpretæ humanæ felicitatis reliquit argumentum, quod omnis ætas mirabitur, nulla deinceps fortaſſis imitabitur. Obiit *Cæleſtinus V.* anno MCCXCVI. in Arce Fumonis, ubi *Bonifacius VIII.* ejus ſucceſſor illum recluſerat, metuens ne ipſius ſimplicitate aliqui ad Schiſma in Eccleſia conflandum abuterentur. Eum poſt mortem miraculis clarum *Clemens V.* Pontifex Maximus ſolemni ritu in Sanctorum album retulit. *Cæleſtinum V.* in carcerem à *Bonifacio VIII.* ejus ſucceſſore, conjectum, hæc de eo pronunciaſſe fertur: *Intravit ut Vulpes, regnabit ut Leo, morietur ut canis*. Sed id *falsò & temerè uſurpatum à Malevolis, & Principum aſſentatoribus, plerique exiſtimant, quoniam Platina, valdè alioqui pronus ad notandas Pontificum maculas, nihil tale retulit, ſed nec alii, qui eorum vitas deſcripſerunt*, inquit *Genebrardus* Aquen-

ſis

ſis Epiſcopus in Chronico ad annum MCCCIII.

D. Eſtne hic *Bonifacius* ille Papa, qui, ſicut in ſuperiori Colloquio dicebas, grave ac diuturnum cum *Philippo Pulchro* Galliarum Rege habuit diſſidium?

M. Is ille ipſiſſimus eſt, qui, patriâ Anagninus, ante Pontificatum dicebatur *Benedictus Cajetanus*, Presbyter Cardinalis tituli *SS. Silveſtri*, & *Martini*; vacante verò Sede per *Cæleſtini V.* abdicationem, à Cardinalibus ipſo Natalis Domini pervigilio anni MCCXCIV. Romanus Pontifex electus eſt, dictuſque *Bonifacius VIII.* In ipſo ſui Pontificatus exordio, pacis inter Principes Chriſtianos ſtabiliendæ curam ſuſcepit, ac bellum acerrimum, *Jacobum* Aragonium Regem inter & *Carolum* de Regno Siciliæ contendentes eâ lege compoſuit, ut *Jacobus* Aragonius omni jure in Siciliam cederet. At ſiculi Gallicæ dominationis jugum omninò excutere volentes, *Carolum*, legitimum licèt Siciliæ Regem, agnoſcere detrectarunt, & *Fridericum*, fratrem *Jacobi* Regis Aragoniæ, crearunt Siciliæ Regem, eorumque contumaciam nullis beneficiis, nullis minis, & Eccleſiaſticarum Cenſurarum fulminibus frangere potuit Summus Pontifex, donec tandem pace ſub certis quibuſdam conditionibus, quæ legi poſſunt apud *Spondanum* ad annum MCCCII., *Fridericum* inter &, *Carolum*, dictum *Claudum* initâ, contumaces Siculos ad officium revocaverit, & Cenſuris Eccleſiaſticis, quibus erant devincti, ſolverit, ut videre eſt in illius Summi Pontificis Diplomate, quod *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Eccleſiaſticis deſcripſit ad annum MCCCIII. num. XXIV. Verùm, dùm paci inter Principes conciliandæ totus incumberet

beret *Bonifacius VIII.* incidit, proh dolor ! in grave ac infauſtum cum *Philippo Pulchro* Galliarum Rege diſſidium , cujus memoriam æternis deflendam lachrymis nõ refricarem,niſi Hiſtorię leges ad id me compellerent . Huic exitiali Eccleſiæ diſſidio,quod *Bonifacium VIII.* inter & *Philippum Pulchrum* Regem Chriſtianiſſimum exarſit , tria potiſſimùm capita occaſionem dederunt . Primum illius diſſidii incentivum fuit Regaliæ Jus , quod Rex in Eccleſiis Galliarum Regni exercebat,quod tamen vehementèr improbabat *Bonifacius VIII.* Secundò , hoc ferale diſſidium , velut unguis in ulcere , auxit ſuſcepta à Rege *Philippo Pulchro* protectio duorum Cardinalium Columnenſium , quos Gibellinorum factioni addictos , ſibique clam inſidiantes , *Bonifacius VIII.* habito Romæ Epiſcoporum Conventu purpurâ exutos , omnibus bonis , muneribus , Beneficiis , & jure ad quaſcumque dignitates deinceps conſequendas ſpoliatos anathemati ſubjecerat . Poſtremò,illud diſſidium acriùs recruduit per Legationem *Bernardi Saiſſeti* Appamiẽſis Epiſcopi, quem *Bonifacius VIII.* ad Regem miſerat , ut ejus Majeſtatem ad Syriacam Expeditionem impelleret, indictas ad hoc Sacrum Bellum Eccleſiarum Decimas in alios uſus convertere prohiberet , vacantium Eccleſiarum fructus retinere, earumque titulos abſque conſenſu Romani Pontificis conferre Regi inhiberet . *Bernardus Saiſſettus* (quem *rixarum & deſſenſionum virum* appellat *Spondanus* ad annum MCCXCVI. quemque recenti beneficio Pontifex obſtrinxerat , cùm Appamiarum Epiſcopatum in ejus gratiam anno MCCXCVI. erexerat, eique, invito Rege, primas Infulas tradiderat) ſibi deman-

datâ Legatione functus, durioribus verbis ac intempeſtivis minis exaſperavit animum Regis, qui illum Narbonenſi Archiepiſcopo in cuſtodiam tradidit, ut ab eo unà cum Epiſcopis Provinciæ canonicè judicaretur. Multorum criminum accuſatus fuit *Bernardus Saiſſetus* Appamienſis Epiſcopus, quæ legi poſſunt apud *Spondanum* ad annum MCCCI. De his omnibus, quæ in *Bernardum Saiſſettum* Appamienſem Epiſcopum in Galliis geſta erant, certior factus *Bonifacius VIII.* ſcripſit ad *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem litteras, quibus hunc Epiſcopum è carcere eximi juſſit, additis etiam Anathematis ac depoſitionis minis, quæ jam nutantem & iratum *Philippum* Regem in furorem impulerunt. Hinc, exacerbatis vehementèr animis, aſperiores utrimque ſcriptæ Epiſtolæ. Hinc *Philippus* Rex tam Legatum Apoſtolicum, quâm Appamienſem Epiſcopum libertate donatum Regno abire juſſit, ac ſolemni Edicto prohibuit, ne quis è Clero Gallicano Romam peteret, aut è Regno aurum vel argentum Romam inferret. Hinc publicata Gallorum ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Concilium Generale provocatio. Hinc immania accuſationum, ſeu potius calumniarum capita, quæ *Pleſſiacus*, vir nobilis, in Conventu Præſulum, Doctorum, & Procerum Pariſiis habito, propoſuit contra *Bonifacium VIII.* Hinc ſententia excommunicationis, quam in *Philippum Pulchrum* tulit *Bonifacius VIII.* totumque Galliarum Regnum ſacris interdixit, Academias docere vetuit, & Gallos Sacramento fidei exoluit. Hinc denique perditiſſima illa conjuratio *Sciarræ Columnæ*, & *Nogareti*, Equitis Galli, qui ſecretò militari conductâ manu au-

dax

dax & execrabile facinus aggreſſi ſunt in Summum Pontificem *Bonifacium VIII.* quem captivum apud Anagniam fecerunt, eique Colaphum armatâ manu *Sciarram Columnam* inflixiſſe fertur. Elapſis autem tribus ab ejus captivitate diebus, intra quos theſaurus Eccleſiæ direptus eſt, Cives Anagnini, reſumptis animis, quæ ſui officii erant, præſtiterunt, ac Summum Pontificem in libertatem aſſertum Romam perduxerunt, ubi tandem paucos poſt dies, eorum, quæ ſibi uſquè adeò indignè obtigerant, acerrimo dolore confectus migravit ex hac vita anno MCCCIII. cùm annos octo, menſes novem, & dies duodeviginti Eccleſiam rexiſſet. Ipſum muro caput concuſſiſſe, digitos corroſiſſe, & deſperato ac furenti ſimilem mortuum eſſe aſſerunt quidem Scriptores, inter quos eſt *Spondanus* ad annum MCCCIII. At hoc indigniſſimum commentum eſt, quod non ſolùm falſi cõvincit magnanimitas *Bonifaci VIII.* quem *Magnanimum & imperterritum* appellat *S. Antoninus*, ſed etiam exploditur ejuſdem *Sancti Antonini, Platinæ, Pauli Æmilii*, aliorumque illius temporis Scriptorum ſilentio. *Bonifacium VIII.* Virum fuiſſe doctiſſimum, magni animi, in amicos liberalem, jurium Eccleſiæ acerrimum defenſorem, integerrimæ fidei Pontificem, purumque criminum, quæ ei *Columnenſes*, & *Philippi Pulchri* Galliarum Regis Miniſtri, fervente diſſidio, affinxerunt, fatentur Hiſtorici, qui à ſtudio partium ſunt alieni. Negare tamen haud poſſum, eſſe aliquos Scriptores, quos inter cenſetur *S. Antoninus*, qui huic Summo Pontifici nonnulla vitia, præſertim nimium conſanguineorum amorem, vitio vertunt. Jubilæum anno quolibet centeſimo recur-

rente primus inſtituit *Bonifacius VIII.* illudque Romæ promulgavit anno MCCC. quò immenſa hominum multitudo religionis ergò confluxit.

D. Fuitne *Bonifacii VIII.* ſucceſſor in Galliarum Regnum, & *Philippum Pulchrum* Regem propenſior?

M. Mortuo *Bonifacio VIII.* Pontifice Maximo, Summo Purpuratorum conſenſu ſubſtitutus eſt *Nicolaus Bocaſinus*, Tarviſinus, Cardinalis Epiſc. Oſtienſis; ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, dictus in Pontificatu *Benedictus XI.* quamvis juxta Ordinem iſtius nominis Pontificum eſſet dumtaxat *X.* appellandus. Is ille eſt, qui ex humillimis natalibus ortus, cùm Sedem Apoſtolicam conſcendiſſet, matrem pretioſis ornatam veſtibus, quæ magis novæ filii dignitati, quàm priori abjectæ fortunæ convenirent, ſe adeuntem repulit, & negavit ſe matrem agniturum, niſi depoſitis his adſcititiis ornamentis, accederet vilibus, ut ſolita erat, induta veſtibus. Quod cùm præſtitiſſet mater, eam honorificè ſuſcepit, & magno cum gaudio amplexatus eſt. Pacis ſtudioſiſſimus fuit Summus ille Pontifex, quam pro viribus promovit non ſolùm in Sicilia, quam, ſublato Interdicto, communioni reſtituit, & in diverſis Italiæ Provincils, quæ Guelphorum & Gibellinorum, Alborum & Nigrorum diris factionibus miſerum in modum erant laceratæ; verùm etiam in Galliarũ Regno, in quo graviſſimas, diſſidiis *Bonifacii VIII.* & *Philippi Pulchri* Francorum Regis, ortas tempeſtates compeſcuit, atque revocatis ac reſciſſis, quas *Philippo Pulchro* Regi ejus deceſſor intentaverat, pænis & cenſuris, antiquam Regum Galliæ & Summorum Pontificum

con-

concordiam graviſſimè læſam feliciter inſtauravit. Plura his ſimilia dùm meditaretur Sanctiſſimus ille Pontifex, obiit Peruſii cum graviſſimo Orbis Chriſtiani damno die IV. Julii anni MCCCIV. cùm ſediſſet menſes octo & dies XVII. Apud Fratres Prædicatores Peruſii ſepultus eſt, miraculis etiam poſt obitum clarus. *Benedicto XI.* ad vitam immortalem translato, duas in partes ſciſſi ſunt Cardinales, aliis optantibus amicum *Bonifacii VIII.* aliis ex adverſo Gallum, vel ſaltem Regi Chriſtianiſſimo addictum eligere in animo habentibus. Quò factum eſt, ut, perſtante illa pertinaci Cardinalium diviſione, Sedes Pontificia undecim menſibus vacaverit. Tandem operâ præſertim & conſiliis *Nicolai Pratenſis* Oſtienſis Epiſcopi Cardinalis Ord. Prædicatorum, inclinati ſunt Cardinaliū animi in electionem *Bertrandi de Agutis*, ſeu *de Gotto* Archiepiſcopi Burdigalenſis, qui *Philippo Pulchro* Galliarum Regi ſubinfenſus erat. De eo Cardinalium propoſito idem Cardinalis Pratenſis Chriſtianiſſimum Regem, in quem propenſum gerebat animum, per litteras certiorem fecit, eumque monuit, ut *Bertrandum* ſibi devinciret, & in gratiam cum ipſo rediret. Rex, acceptis à Cardinali Pratenſi litteris, confeſtim *Bertrandum* Burdigalenſem Archiepiſcopum ad *S. Joannis Angeli* oppidum in Sanctonibus, accitum ad ſecretum Colloquium ita demulſit, & injectâ ſpe Pontificatus ſibi tam arctè obſtrinxit, ut *Bertrandus*, quem *avidum honoris & gloriæ* fuiſſe teſtatur *S. Antoninus*, omnia in Regis gratiam ſeſe facturum ſpoponderit, ſi ejus operâ & favore Summus Pontifex crearetur. Rex ſuis, Regnique commodis conſulere volens, quinque ei conditiones

propoſuit, & ſextam ſuo tempore declarandam, quas omnes cùm Archipræſul ſe accuratè impleturum juramento promiſiſſet, Rex Nuncium ad Cardinalem Pratenſem miſit, ut electionis ipſius negotium promoveret. Electus itaque eſt Peruſii Nonis menſis Junii anni MCCCV. Romanus Pontifex *Bernardus de Agutis*, ſeu *de Gotto*, Archiepiſcopus Burdigalenſis, dictuſque in Pontificatu *Clemens V.* & coronatus Lugduni die XIV. Novembris ejuſdem anni. At, dum in ſuæ coronationis celebritate per urbem ſolemni pompâ veheretur, *Joannes* Dux Britanniæ, & *Gaillardus de Gotto* frater Pontificis, aliique nobiles cum promiſcua plebe ruinâ cadentis muri oppreſſi ac colliſi interierunt, *Carolus* verò *Valeſius* frater Regis graviter læſus eſt. Pontificiam Sedem in Gallias tranſtulit *Clemens V.* modò Lugduni, modò Burdegalis, ſed potiſſimùm Avenione commoratus. In teſſeram grati animi, conditiones, quas *Philippo Pulchro* Galliarum Regi antè inaugurationem promiſerat, ſtatim implere cæpit. Regi pleniſſimam veniam indulſit læſæ in *Bonifacio VIII.* Pontificiæ Mejeſtatis, & hæc fuit prima conditio. Conſcios ac fautores ejuſdem criminis veniâ itidem donavit, & hæc altera conditio. Decimas in quinquennium Regi conceſſit, & hæc tertia conditio. Conſtitutiones *Bonifacii VIII.* quatenus Regi, Galliæque Regno officere poterant, revocavit, & hæc quarta conditio. Nunquam tamen adduci potuit Pontifex, à Rege licèt vehementer ſollicitatus, ut memoriam ſui Deceſſoris *Bonifacii VIII.* damnaret. Columnenſibus ad petitionem Regis pepercit idem Summus Pontifex, eiſque Infulas reſtituit, & hæc quinta fuit conditio. Denique

nique, ſextæ conditioni, quam ſuo tempore exponendam ſibi reſervarat *Philippus Pulcher* Galliarum Rex, ſatisfecit *Clemens V.* Pontifex Maximus in Concilio Generali Viennæ in Galliis celebrato, in quo *Templariorum* Ordinem extinxit, ſicut opportuniùs oſtendemus in Colloquio IV. ubi de Conciliis Sæculo XIII. habitis diſſeremus. In *Andronicum* Græcorum Imperatorem Schiſmatis fautorem anathema vibravit Clemens quintus,& propagandæ fidei ſtudioſus *Joannem de Monte Corvino* Ordinis Sancti Franciſci in Oriente Legatum conſtituit, ut fides apud Tartaros, Indos, Æthyopes, aliaſque Orientis regiones, in quibus vir ille religioſus pietate inſignis magno cum fructu Evangelium jam prædicaverat, magis ac magis promoveri poſſet. *Roberti* Siciliæ Regis defenſionem contra *Henricum VII.* Imperatorem ſuſcepit ille Pontifex, abrogavitque exauctorationis & capitis pœnam, quam in eumdem *Robertum*, velut Majeſtatis reum, & Imperii proditorem tulerat hic Imperator. Obiit *Clemens V.* apud *Rupem Mauram* ſupra Rhodanum XII. Kalend. Maii anni MCCCXIV. poſtquàm ſediſſet annos octo, menſes decem, dies quindecim. Confictas in odium illius Pontificis calumnias, ob Sedis in Gallias translationem, & Templariorum Ordinis abolitionem, vulgarunt quidam Itali Scriptores, quæ fabulas olent, & figmenta malevolorum quorundam hominum, præſertim *Dantis* exulis Florentini, viri maledicentiſſimi, cui tantum fidei tribui debet, quantum calumniatori profeſſo dari ſolet. Poſt obitum *Clementis V.* diſſidentibus Cardinalibus, vacavit Apoſtolica Sedes annos duos, menſes tres, dies ſeptemdecim, ac tandem

dem

dem Cardinales, urgente *Ludovico X.* dicto *Hutino*, Galliarum Rege, & à *Philippo* Pictavienſi Comite, ejuſdem Regis fratre, Lugduni apud Fratres Prædicatores in Conclavi recluſi elegerunt Pontificem Romanum *Jacobum de Oſſa*, Cardinalem Epiſcopum Portuenſem, natione Gallum, patriâ Cadurcenſem, & ignobili patre ſutore veteramentario natum. Cardinales Compromiſſum de illo eligendo Romano Pontifice feciſſe, quem Cardinalis *Jacobus de Oſſa* nominaſſet, ipſumque, Neapoleone *Urſino* ſuadente, ſe ipſum nominaſſe, aſſerunt quidam Scriptores Itali. Sed hoc purum figmentum eſt, quod falſi convincitur, tum quia Cardinalis *de Oſſa* Supremum Pontificatum adeptus, dictuſq; *Joannes XXII.* (dicendus tamen, juxtà ordinem hujus nominis Pontificum, *Joannes XXI.*) in ſuis litteris Encyclicis de electione ſua disertè teſtatur, ſe à Cardinalibus *concorditèr*, nemine diſcrepante, in Summum Pontificem *electum*, *timore ac tremore concuſſum vehementèr hæſitaſſe*; tùm quia etiam, ſi Cardinalis *de Oſſa* impotenti ambitione abreptus ſe ipſum Romanum Pontificem elegiſſet, omni procul dubio *Ludovicus Bavarus*, ejus infenſiſſimus hoſtis, aliique, qui ab illius Imperatoris partibus ſtabant, hanc immoderatæ ambitionis labem in acerbiſſimis adversùs hunc Pontificem invectivis ei objeciſſent; quam tamen ab illis nunquam ei fuiſſe objectam certiſſimè conſtat. Tria præſertim graviſſima negotia *Joannem XXI.* vel, ut vulgò alii dicunt, *XXII.* diù multùmque exercuerunt, quorum primum adversùs eum excitarunt enatæ in Ordine Fratrum Minorum factiones occaſione controverſiæ de ſenſu & obſervantia Regulæ *Sancti Franciſci*, quoad

quoad Evangelicam paupertatem. Sed de hocce negotio, cui initium dedit quorumdam Fratrum Minorum non minùs importuna, quàm moleſta Controverſia, commodiùs agemus in proximo Colloquio. Alterum negotium, quod Pontifici *Joanni XXI.* ſeu *XXII.* maximam faceſſivit moleſtiam, fuit acerrimum illud diſſidium, quod habuit cum *Ludovico Bavaro*, veteratore ac fraudulento Imperatore, de quo diſſidio cùm plura in præcedenti Colloquio à nobis dicta ſint, pauca hìc de Schiſmate à *Ludovico Bavaro* in Eccleſia conflato addere abundè ſufficiet. *Petrum Raynalducii de Corbaria* conſtituit *Ludovicus Bavarus* Pſeudo-Pontificem, qui antehàc, invitâ ac reclamante uxore ſua, teſte *Wadingho* in Annalibus Fratrum Minorum, Ordinem Fratrum Minorum profeſſus fuerat, factus verò Pſeudo-Pontifex, ob novam, quâ ſplendebat, dignitatem, à propria uxore tanquam maritus, juridicè repetitus, omnibus ludibrio fuit. Aliquandiu tamen ſeſe ſcenicum Pontificem geſſit, & quamvis à legitimo Pontifice *Joanne XXI.* ſeu *XXII.* cum omnibus Schiſmatis ipſius fautoribus fuiſſet confixus, Cardinales creavit, Legatos in Orientem miſit, & Catholicos omnes ejus Schiſmati adhærere nolentes diris devovit. At *Ludovico Bavaro*, cujus inſtrumentū erat, in Germaniam reverſo, rebuſq; ipſius in Italia profligatis, *Petrus Corbarius* ad ſe tandèm reverſus, Inſignia Pontificatus depoſuit, Schiſma & errores ejuravit, & veniam à *Joanne XXI.* ſeu *XXII.* ad cujus pedes ſeſe, laqueo collo injecto, abjecerat, obtinuit, incluſus tamen, ne quis ejus Pſeudo-Pontificatū abuteretur, in Palatio Pontificis, ubi poſt triennium Avenione obiit, ut videre
eſt

eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCXXX. num.XI. & ſequentibus. Eo in Schiſmate, & graviſſimo diſſidio, quod *Ludovicus Bavarus* habuit cum *Joanne XXI.* ſeu *XXII.* Religioſi Dominicani infracto ſteterunt animo pro Sede Apoſtolica, & contra Imperatoris impetus & Pſeudo-Pontificis conſilia, cauſam Eccleſiæ, etiam cum vitæ rerumque ſuarum diſpendio, ſtrenuè geſſerunt. Hinc *Ludovici Bavari* Imperatoris in Dominicanos implacabile odium. Hinc florentiſſimorum Cænobiorum Dominicanorum Ordinis, quæ in *Ludovici Bavari* Ditione poſita erant, ruina & expulſio è tota Bavaria Dominicanorum, qui nec extincto ſchiſmate, nec noſtris etiam temporibus fuerunt poſtliminio reſtituti. Ultimum negotium, quod haud parùm exercuit *Joannem XXI.* ſeu *XXII.* originem habuit ex privata opinione, in quam, ut Doctor particularis, plus æquò propendere viſus eſt, de dilatione Beatitudinis Sanctorum uſque ad Supremi Judicii diem. In hanc quippè ſingularem opinionem (quam tamen, ut oſtendemus in ſexto Colloquio, nunquàm Summus ille Pontifex credendam propoſuit, ſed potiùs ante mortem revocavit) benè multi viri docti inſurrexerunt, præſertim Dominicani; quos licèt Summus Pontifex demeruiſſet innumeris beneficiis, relato videlicet in Sanctorum album Sancto *Thoma Aquinate*, aſſumptis ad purpuram tribus Dominicanis, & toti Ordini his duobus verbis: *Lucere & ardere*, in Inſigne datis, eos tamen nunquàm adducere potuit, ut in ejus privatam abirent ſententiam. Qua in re *Ludovicus Bavarus* Imperator, acerrimus Dominicanorum hoſtis, qui ante ſuſpicatus fuerat, Dominicanos ſibi infen-

inſenſos eſſe,& ſpe præmiorum Sedi Apoſtolicæ addictos, ubi audivit, illos in peculiarem *Joánis XXI.* ſeu *XXII.* de his licèt optimè meriti,opinionem deſcendere nolle; De Prædicatorum Ordine exclamaſſe fertur : *Hic Ordo, eſt Ordo veritatis*, cui uni ſeſe devovit. Obiit Avenione nonagenarius *Joannes XXI.* ſeu *XXII.* die IV. Decembr. an. MCCCXXXIV. cùm ſediſſet annos undeviginti. Fuit Pontifex verè Maximus rerum geſtarum magnitudine, ſummâ in Regna omnia Chriſtiana providentiâ, exquiſitâ doctrinâ, & propenſiſſimo in omnes viros eruditos animo,quibus rectum diſcendi ac docendi modum præſcripſit in Epiſtola, quam direxit ad Doctores Academiæ Pariſienſis, quamque ex parte refert ex Vaticano Codice *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXVIII. *Quidam etiam Theologi*, ait in ea Epiſtola Summus ille Pontifex, *poſtpoſitis vel neglectis neceſſariis, utilibus, & ædificativis doctrinis, curioſis, inutilibus, & ſupervacuis Philoſophiæ quæſtionibus, & ſubtilitatibus ſe immiſcent; ex quibus ipſius ſtudii diſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offunditur, & Studentium utilitas impeditur &c.* Præter *S. Thomam Aquinatem*, quem ann.MCCCXXIII. Sanctorum Faſtis adſcripſit, eumdem honorem detulit Sanctiſſimus ille Pontifex *B. Ludovico* Epiſcopo Toloſano Ordinis Fratrum Minorum anno MCCCXVII. & *Thomæ* Herfordienſi Antiſtiti anno MCCCXX. Inſtituit etiam Sanctiſſimæ Trinitatis Feſtum. Poſt decem dies ab obitu *Joannis XXI.* ſeu *XXII.* Cardinales in Conventu Avenionenſi Fratrum Prædicatorum incluſi *Jacobum Furnerium*, ſeu *de Furno* appellatum,natione Gallum, humili loco, patre ſcilicèt *Guillelmo* Molitore natum, Ordinis Ciſter-

Ciſterciensis olim Monachum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem Theologum, & Cardinalem tituli *Sanctæ Priſcæ* elegerunt Pontificem Romanum die XIII. Kalend. Januarii anni MCCCXXXIV. qui in Pontificatu dictus eſt *Benedictus XII.* quamvis, juxtà ſeriem hujus nominis Pontificum, dicendus eſt *Benedictus XI.* Seſe à Pontificatus exordio oſtendit pium, conſtantem, liberalem, profuſis Sanctè pecuniis pro converſione Infidelium, maximè Tartarorum, ad quam promovendam Religioſos & Apoſtolicos viros miſit. Ad dignitates Eccleſiaſticas neminem è ſuis promovit, niſi nepotem, quem alioqui digniſſimum, & orantibus Cardinalibus, Eccleſiæ Arelatenſi præfecit, nunquàm tamen adduci potuit, ut eum in Purpuratorum Patrum Senatum referret, & alios nepotes vel agnatos ſuos bonis Eccleſiæ ditaret, aſſerens, Pontificem parentes & affines non habere, ſæpiuſque iſtud Davidicum uſurpans: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Nihil antiquius habuit idem Pontifex, quàm ut pacem inter Principes Chriſtianos ſanciret, foveretque, ut communes vires contra Saracenos verterent. Ad exterminandos Mauros Hiſpaniam devaſtantes ſacram indixit expeditionem, quam fœderati Reges Chriſtiani felicitèr ac gloriosè confecerunt. Mediolanenſes, alioſque Inſubres, videlicèt Bergomenſes, Papienſes, Novarienſes, Cremonenſes, Vercellenſes, Comenſes &c. Cenſuris Eccleſiaſticis, ob *Ludovici Bavari*, & Antipapæ *Petri Corbarii* Schiſma, irretitos, in gratiam Eccleſiæ recepit, & communione Eccleſiaſticâ donavit, nunquàm tamen *Ludovici Bavari* contumaciam, Litteris licèt ac Nunciis ad eum

miſ-

miſſis, frangere potuit. Controverſiæ ſub ſuo Deceſſore enatæ de Sanctarum animarum beatitudine finem tandem impoſuit, & Beatorum animas, ſtatim ac ſolutæ ſunt corporibus (ſi tamen nihil illis ſuperſit piacularibus Purgatorii flammis eluendum) ad Viſionem Dei admitti definivit, Diplomate, quod incipit: *Benedictus Deus*. Teſtatur *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXVI. extare etiamnùm in Bibliotheca Vaticana aliquot Tractatus MSS. *de ſtatu animarum ante Generale Judicium*, quos ante Pontificatum lucubraverat *Benedictus XI.* ſeu *XII.* Ad reſtaurandam collapſam diſciplinam, ad libertatem juraque Eccleſiæ vindicanda, ad emendandos abuſus, qui id ætatis in Beneficiorum collationem irrepſerant, ad reformandos Ordines Religioſos curas Apoſtolicas adhibuit, ac paternam ſollicitudinem impendit Pontifex ille maximus, tantæque in regimine Eccleſiæ conſtantiæ & integritatis fuit, ut nec vi, nec precibus, aut promiſſis à recto dimoveri unquam potuerit. Neptem ſuam unicam Toloſano Mercatori, modicâ dote conſtitutâ, uxorem dedit, rejectis nobilibus procis, qui ejus nuptias ambibant. Obiit Sanctiſſimus ille Pontifex Avenione die XXV. Aprilis an. MCCCXLII. cùm rexiſſet Eccleſiam annis ſeptem, menſibus quatuor, & diebus ſex. Celebratur in Martyrologio Gallicano ut Pontifex *Sanctæ memoriæ*, eumque etiam miraculis effulſiſſe teſtatur coævus ipſius vitæ Anonymus Author.

D. Mortuo *Benedicto XI.* ſeu *XII.* Sedes Pontificia, quam *Clemens V.* in Gallias tranſtulerat, fuitne in Urbem Romam revocata?

M. Præter illos tres, quos memoravi, Pontifices

tifices Maximos natione Gallos, *Clementem V. Joannem XXI.* ſeu *XXII.* & *Benedictú XI.* ſeu *XII.* quatuor alii Summi Pontifices, natione itidem Galli, Sedem Pontificiam in Galliis, ſeu Avenione fixerunt, videlicèt *Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V.* & *Gregorius XI.* qui poſtremus, ut mox referemus, relictâ tandèm Avenione, Romam petiit; & in eam Urbem, poſt diuturnum exilium ab Italis tot querelis, verbiſque defletum, Sedem Pontificiam retulit. *Benedicto itaque XI.* ſeu *XII.* ſucceſſit in Sede Pontificia *Clemens VI.* ante promotionem *Petrus Rogerius* dictus, natione Gallus, patriâ Lemovix, in territorio Caſtelli Malimontii natus ex nobili genere. Fratrem habuit *Guillelmum Rogerium* Comitem *Bellifortis*, qui fuit pater *Gregorii XI.* Pontificis. Apud Arvernos Monaſterio *Caſæ-Dei*, Ordinis Benedictini, nomen dedit *Petrus Rogerius* antequàm pubertatis annos exceſſiſſet. Dehinc, Lutetiam miſſus, in Philoſophicis, Theologiciſque diſciplinis excelluit, ac Lauream Doctoralem in Academia Pariſienſi promeritus eſt. Abbas Fiſcanenſis primùm fuit, deindè Atrebatenſis Epiſcopus, hinc Senonenſis Archipræſul, tum Rotomagenſis, poſteà à *Benedicto XI.* ſeu *XII.* creatus Cardinalis XV. Kalend. Januarii anni MCCCXXXVII. tituli *SS. Nerei*, & *Achillei*, poſtremò, electus eſt Pontifex Maximus in Conclavi apud Fratres Prædicatores Avenionenſes die VII. Maji an. MCCCXLII. & die Sacrâ Pentecoſtes, quæ fuit XVI. ejuſdem menſis, coronatus eſt, & appellatus, ut mox diximus, *Clemens VI.* Hunc *Petrarcha litteratiſſimum Pontificem* appellat, tàm felicis & invictæ memoriæ, ut quod ſemel legiſſet, oblivìſci nullatenùs poſ-

poſſet, *& quod mirabilius eſt,* inquit, *hæc memoria magno quodam capitis ictu, cujus ingens ſuprema vertice cicatrix remanſerat,ei provenerat.* Clementi VI. ſummis precibus, miſsâque honorificâ Legatione, Romani ſupplicarunt, ut in Urbem rediret. Sed eorum votis obſecundare haud potuit Summus Pontifex, quòd *Ludovicus Bavarus,* Imperator Eccleſiæ perduellis, Romam, totamque Italiam turbaret, quem proindè Pontifex anathemate perculit, eumque omni Jure ad Imperium exuit, ut videre eſt in ejus Decreto, & in Epiſtolis ad Principes Electores directis, quas in Eccleſiaſticis Annalibus inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad an.MCCCXLVI. *Joannam* Siciliæ Reginam, ac Provinciæ Comitiſſam, Regno ſuo pulſam à *Ludovico* Ungariæ Rege, pænas de nece *Andreæ* Regis fratris ſui, ejuſdemque *Joannæ* mariti, cujus illa ſuſpicione laborabat, repetente, Avenione honorificè ſuſcepit, inſontem declaravit, eique diſpenſationem indulſit matrimonium ineundi cum *Ludovico* Tarentino Principe. Ab eadem Regina *Joanna,* cui pecuniæ opus erant, ut in ſuum Regnum, quod Ungarorum Rex reliquerat, cum marito ſuo redire poſſet, Avenionem cum omnibus Juribus emit idem Pontifex,ut videre eſt apud noſtrum *Bzovium* ad an.MCCCXLVII. ubi Inſtrumentum ea de re confectum, ſeu Contractum venditionis ex Archivis Vaticanis,& Molis Hadriani exhibet. Piè obiit *Clemens VI.* die VI. menſis Decembris anni MCCCLII. cùm ſediſſet annos XI. Fuit Pontifex verè Maximus, clementiæ ac manſuetudinis laude inſignis. Flagellantium Sectam damnavit anno MCCCXLIX. Jubilæum ab anno centenario ad quinquageſimum reduxit. Pacem inter Princi-

pes Chriſtianos conciliare maximoperè ſtuduit. Sacram Expeditionem contra Turcas, communes fidei hoſtes, indixit. Proferendis Eccleſiæ finibus, & extinguendo Græcorum Schiſmati, miſſis ad *Joannem Palæologum*, eorum Imperatorem, litteris ac Nunciis, animum adjecit, multùmque fuit ſollicitus de Armenorum ſalute, ut liquet ex ea Epiſtola, quam Summus ille Pontifex ſcripſit ad *Conſolatorem* Armeniæ Catholicum, & univerſum Clerum, in qua quatuordecim Capita circa authoritatem Eccleſiæ Romanæ, & Summi Pontificis credenda Armenis proponit, quam Epiſtolam recitat *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXLVI. num. 68.

Clementi VI. Pontifici Maximo ſucceſſit in Cathedra S. Petri *Innocentius VI.* anteà dictus *Stephanus Alberti*, natione Gallus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, electus Avenione Summus Pontifex die XVIII. menſis Decembris anni MCCCLII. Ab exordio Pontificatus ſui conſtituit, ut omnes Prælati, aliique Beneficiarii ad Eccleſias ſuas ſub anathematis pœnâ proficiſcerentur, & in iis, juxtà ſacros Canones, reſiderent. Sanxit etiam, ut Eccleſiaſtica Beneficia, nullâ habitâ ratione nobilitatis, ſeu generis claritatis, conferrentur tantùm viris doctrinâ & pietate probatiſſimis, & quibus Chriſti & Apoſtolorum vita cordi eſſet, ſicut refert *Ægidius* Cardinalis Viterbienſis. Sacram contra Turcas Expeditionem à ſuo Deceſſore indictam promovere, & ad optatum exitum perducere, in votis maximè habuit. Cum Græcorum Imperatoribus *Cantacuzeno* primùm, deindè *Joanne Palæologo* de conjunctione Eccleſiæ Græcæ cum Romana per Legatos

tos egit. Beguardos hæreticos in Germania exterminari juſſit, & naſcentem in Anglia hæreſim, quæ Originale peccatum, & merita bonorum operum negabat, in ipſo ortu extirpavit. In quoſdam Fratres Minoritas, qui contra definitionem *Joannis XXI.* ſeu *XXII.* pertinacitèr diſputabant, & ſpiritu potiùs Pithonico, quàm Prophetico, nonnulla vaticinia temerè in vulgus ſpargebant, ſeverè animadvertit *Innocentius VI.* Pacis inter Principes Chriſtianos conciliandæ, & potiſſimùm inter *Eduardum* Anglorum, & *Joannem* Francorum Reges procurandæ ſtudioſiſſimus fuit. *Caroli* hujus nominis *IV.* Imperatoris inaugurandi provinciam *Petro Bertrandi* juniori, Oſtienſi Epiſcopo, & *Ægidio Albornotio* Cardinalibus demandavit. *Ludovicum* Marchionem Brandeburgenſem, *Ludovici Bavari* Imp. filium, Cenſuris Eccleſiaſticis ob Schiſma paternum irretitum, veniam enixè poſtulantem, in communionem Eccleſiæ recepit, poſt emiſſam ab eo profeſſionis Formulam, quam ex Tabulariis Arcis S.Angeli, & Bibliothecæ Vaticanæ exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLIX. Ordinibus Religioſorum Mendicantium, in ea, quam habuerunt cum *Richardo* Armachano Epiſcopo graviſſimâ controverſiâ, impensè favit idem Summus Pontifex, prohibuitque Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ, ne Fratres Mendicantes in Confeſſionibus excipiendis, Prædicationibus, Sepulturis, ac Eleemoſynis impedirent, ac per ſuos ſubditos impediri permitterent. Obiit Avenione *Innocentius VI.* die XII. menſis Septembris anni MCCCLXII. Pontificatus anno X. & in Carthuſia Villænovæ ſepultus. Hunc Pontificem multis encomiis celebrat vitæ ipſius Author, qui

tamen teſtatur, eum carni & ſanguini plus æquo indulſiſſe, & in nepotes ac propinquos profuſiorem fuiſſe, quàm Pontificia dignitas poſtulabat.

Innocentium VI. in Sede Pontificia excepit *Urbanus* hujus nominis *V.* dictus antea *Guillelmus Grimoaldus* natione Gallus, Griſaco in Diœceſi Mimatenſi oriundus, Ordinis Benedictini Monachus, Cœnobii S. *Victoris* apud Maſſiliam Abbas, Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ & Neapolis Legatus, & tandem,præter ſuam & omnium expectationem, Deo inſpirante, Summus Pontifex, abſens licèt, electus eſt Avenione die XXIII.menſis Septembris anni MCCCLXII. & die VI. menſis Novembris ejuſdem anni fuit in eadem Civitate coronatus atque conſecratus. Sub initia Pontificatus ſui Tyrannos Italiæ domuit ac in ordinem redegit *Urbanus V.* Sacram Expeditionem contra Aſiaticos Saracenos indixit, quæ tamen optato exitu caruit. Romam anno MCCCLXVII. iter ſuſcepit, & huic Urbi Sedem reſtituit, in qua fuerat à S. *Petro* collocata. Excepit in eadem Urbe *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem, qui ſubſidii contra Turcas à Latinis impetrandi ſpe inductus, Romam acceſſit anno MCCCLXIX. ubi Schiſma ejuravit, & Eccleſiæ Romanæ fidem profeſſus eſt, juxtà præſcriptam ab eodem Summo Pontifice formulam, quam refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXIX. Rebus in Italia ex animi ſententia compoſitis, Avenionem anno MCCCLXX. repetiit *Urbanus V.* quamvis eum, ſi in Gallias rediret, confeſtim moriturum S. *Brigitta* à Deo edocta ipſi prænunciaſſet. Verùm, graviſſimis cauſis ac rationibus, quas inter præcipua fuit Regum Galliæ & Angliæ conciliatio, pernic-

motus Summus ille Pontifex, Româ profectus Avenionem pervenit die XXIV. menſis Septembris, ubi paulò poſt morbo correptus, piè obiit die IX. menſis Decembris ejuſdem an. MCCCLXX. Pontificatus IX. *Petrarcha* Epiſtola I. libri 7. *Rerum Senilium*, hunc Pontificem Maximum laudat, quòd Academias, Collegia, ac Viros litteratos ſuo patrocinio foverit, quòd Diſciplinam Eccleſiaſticam inſtauraverit, mores reformarit, Beneficiorum pluralitatem damnaverit, Reſidentiam in ſuis Eccleſiis ac Beneficiis Prælatis, aliiſque Beneficiariis diſtrictè injunxerit, quòd denique immoderatum veſtium reſecuerit luxum, quem idem Scriptor, facundiâ, & arte poëticâ ſui Sæculi facilè Princeps, ibidem eleganter deſcribit. Adeò à voluntate propinquos ſuos ditandi, aut promovendi alienus fuit *Urbanus V.* ut nepotem ſuum, non Principem, aut primariæ nobilitatis fœminam, ſed filiam Mercatoris Montiſpeſſulani ducere voluerit. *Jeſuatorum* Ordinem à B. *Joanne Columbano* inſtitutum, & Ordinem *Salvatoris* à Sancta *Brigitta* conditum approbavit idem Summus Pontifex, ſibique æternùm devinxit Ordinem Fratrum Prædicatorum, dum ei conceſſit Corpus S. *Thomæ Aquinatis*, quod in Monaſterio Foſſæ Novæ Ciſtercienſis Ordinis ſepultum erat, illudque in Toloſanum noſtri Ordinis Conventum deferri juſſit. Brachium verò dextrum ejuſdem Sancti Thomæ Aquinatis Pariſios tranſmitti voluit, eoque inæſtimabili theſauro, nobiſq; chariſſimo, ditavit Conventum ac Collegium noſtrum *Sancti Jacobi*, quod Viris illuſtribus ſemper abundavit.

Mortuo *Urbano V.* & ſepulto in Cœnobio

S. *Victoris* Maſſilienſi, ubi, teſte laudato *Petrarcha* Epiſtolâ 13. libri 13. miraculis poſt obitum claruit, electus eſt, conſentientibus Cardinalium ſuffragiis, Pontifex Maximus *Petrus Rogerii*, natione Gallus, patriâ Lemovicenſis, *Clementis VI.* ex fratre *Guillelmo* Comite *Belfortio* nepos, S. *Mariæ Novæ* Diaconus Cardinalis, ac die v. menſis Januarii anni MCCCLXXI. conſecratus & coronatus eſt, dictusq; *Gregorius XI.* Tantam ſibi omnium conciliaverat benevolentiam, ut teſte *Spondano* ad ann. MCCCLXX. *abſque ulla mora, aut diſcordia renunciatus fuerit omnium Cardinalium conſenſu Pontifex, ſolo ipſo diu renitente, & onus averſante; cui demùm, ne videretur divinæ voluntati reſiſtere, humeros ſuppoſuit nondùm quadragenarius, ſtatura autem parvus, debilis atque imbecillæ valetudinis.* Statim ac ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit *Gregorius XI.* de acceptis à ſe Catholicæ Eccleſiæ gubernaculis totius Orbis Chriſtiani Præſules ac Principes certiores fecit, in primis *Carolum V.* Galliarum Regem, quem hortatus eſt, ut, ſuorum Progenitorum more, Eccleſiam meritis obſequiis proſequeretur, ac viciſſim ſtudia Apoſtolica atque benevolentiam ſe lubentiſſimè in ipſum expliciturum ſpopondit. Ad conciliandam pacem inter Galliæ & Angliæ Reges Legationem miſit, quæ tamen, propter pertinaces duorum horumce Regum ſimultates, felici exitu caruit. Sacræ contra Turcas in Oriente promovendæ Expeditionis percupidus, Legatos ad *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem miſit, ut Orientales Occidentalesque Chriſtianos arctiori fœdere ad compeſcendam Turcarum feritatem devinciret. Propagandæ etiam Catholicæ Fidei ſtudio

dio accenſus, ſelectos ex Ordine præſertim Fratrum Prædicatorum Religioſos Viros ſpiritu Apoſtolico actos, & zelo flagrantes ſalutis animarum, in varias Orientis regiones ad Infidelium converſionem direxit. Pro aſſerenda Eccleſiaſtica libertate, & vindicandis Eccleſiæ juribus ſtrenuè allaboravit *Gregorius XI.* Hinc Florentinos in libertatem Eccleſiæ injurios perſtrinxit graviſſimâ excommunicationis ſententiâ, quam noſter *Bzovius* ex Vaticano Codice deſcripſit ad annum MCCCLXXV. Numero XV. Eo fulmine perterriti Florentini, S. *Catharinam Senenſem* Ordinis S. *Dominici* Virginem Sacram, quam ſincera in Deum pietas, illibata vitæ caſtimonia, flagrans in pauperes charitas, in Eccleſiam zelus, & beatiſſima cœleſtium donorum copia ſupra fœminæ conditionem evexerant, obnixè rogarunt, ut pro ipſorum reconciliatione Legatione ad Summum Pontificem perfungeretur. Eorum votis annuens Virgo Sancta Avenionem profecta eſt, & ad pedes Summi Pontificis *Gregorii XI.* effuſa, hæc verba ab eo audire meruit: *Ut omnibus pateat, quia pacem cum eis,* ſeu Florentinis, *volo, ecce pacem ipſam pono in manibus tuis, cariſſima Filia; tu tantùm recommendatum habeas honorem Eccleſiæ Sanctæ.* Pontificem Maximum Florentinis iratum omni procul dubio placaſſet Catharina Senenſis, niſi ejus conſiliis, & *Gregorii XI.* pietati interceſſiſſet Florentinorum contumacia. Non inutilis tamen fuit hæc Sanctæ Catharinæ Senenſis Legatio. Nacta ſiquidem Sancta illa Virgo opportunam occaſionem ſæpiùs colloquendi cum *Gregorio XI.* Pontifice Maximo, quem crebris antehac litteris Spiritus Sancti unctione perfuſis de reditu ad Ur-

bem Romam tandem ſuſcipiendo ſollicitaverat, tam egregiè miſerum Italiæ jampridem armorum ſtrepitu funeſtatæ ſtatum depinxit, tantâque ſermonis efficaciâ ei ob oculos poſuit neceſſitatem Sedem Pontificiam in Urbem Romam poſtliminio referendi; ut Summus Pontifex precibus, conſiliis, & vehementibus Sanctæ hujus Virginis adhortationibus permotus, relictâ Avenione Romam acceſſerit, eòque appulerit die XXVII. menſis Januarii anni MCCCLXXVII. ingenti pompâ à Romanis ſe ſuaque ei ſubjicientibus ſuſceptus, ibidemque anno ſequenti die XVII. menſis Martii, Sacramentis Eccleſiæ magnâ pietate perceptis, mortuus eſt. Scribit *Gerſonius*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius, lib. *De Examine Doctrinarum* Par. 2. Conſideratione 3. hunc Summum Pontificem, paulò antequam moreretur, habentem in manibus Sacrum Chriſti Corpus, doluiſſe, ſe faciliùs, quàm par fuiſſet, viſionibus ac revelationibus adhibuiſſe fidem, & dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ea præſtitiſſe, quæ illum & Eccleſiam in diſcrimen Schiſmatis imminentis infelicitèr traxerant. Iis autem verbis ſuaſiones S. *Brigittæ*, & S. *Catharinæ Senenſis* de Urbe repetenda Summum hunc Pontificem indicare voluiſſe nonnulli poſt *Gerſonium* Scriptores exiſtimant. Sed id loco fabulæ jure merito haberi debet. Primò, quia de hac proteſtatione *Gregorii XI.* propedièm morituri ne minimum quidem verbulum facit Author coævus, qui hujus Pontificis Vitam ac Geſta deſcripſit. *Gerſonii* autem hac in re fides ſubleſta omninò eſſe debet, quippè qui longè poſt obitum *Gregorii XI.* ſcripſerit. Secundò, *Gregorius XI.* ſanctitatem Catharinæ Senenſis

probè

probè compertam habebat, ejus Legatione, etiam poſt ſuum in Italiam reditum, pro componendo Florentinorum diſſidio, uſus fuerat; quin & ejus ſpiritum probaverat, eamque Prophetiæ dono eſſe illuſtratam cognoverat, cùm *Illi votum ſuum de petenda urbe in occulto factum, & ſibi ſoli ac Deo notum, ſeſe divinitùs cognoviſſe monſtrauit*, ut *Pius II.* Pontifex Maximus in Bulla Canonizationis ipſius teſtatur. Quî igitur credibile eſt, hunc Summum Pontificem *Gregorium XI.* de ſanctitate, & cœleſtibus Catharinæ Senenſis donis optimè inſtructum, voluiſſe, paulò ante mortem coram omnibus proteſtari, ſe ſuaſionibus & viſionibus ejuſdem Sanctæ Virginis plus æquo crediciſſe, maximè cùm ipſe ſciret, ſe non tam hiſce ſuaſionibus, quàm graviſſimis adductum rationibus Romam profectum fuiſſe, videlicèt ut Sedem ſuam, ſicut tenebatur, repeteret, &, Civitatibus Eccleſiæ Romanæ perduellibus ad obedientiam redactis, pacem univerſæ Italiæ redderet. Si plura ſcire aveas de Summis Pontificibus, qui Avenione Sedem ſuam habuerunt, ſcilicet de *Clemente V. Joanne XXI.* ſeu *XXII. Benedicto XI.* ſeu *XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V.* & *Gregorio XI.* Legeſis *Franciſcum Boſquetum*, qui Hiſtoriam, Geſtaque horumce Pontificum, qui è Gallia oriundi Avenione conſederunt, ex coævis Scriptoribus accuratè deſcripſit, ac perdoctis Annotationibus illuſtravit.

D. Funeſto Schiſmate, poſt *Gregorii XI.* obitum, Eccleſiam fuiſſe exagitatam, ac in ſummum diſcrimen adductam ſæpiùs audivi à viris eruditis, qui etiam aſſerebant, hoc Schiſma omnium, quæ unquam in Occidente fuerunt, ſine controverſia

cala-

calamitoſiſſimum, teterrimum & pernicioſiſſimum fuiſſe, illudque quinquaginta fermè annis inexplicabili Eccleſiæ, & Chriſtianæ Religionis damno perduraſſe. Hujus itaque exitialis Schiſmatis, quod diu divexavit Eccleſiam, originem aperire, & mala, quæ inde orta ſunt, brevitèr referre juvat.

M. Poſt obitum *Gregorii XI.* Pontificis Maximi cùm Cardinales, ut moris eſt, Conclave ingreſſi, de novo ſufficiendo Pontifice deliberarent, Populus Romanus metuens, ne, creato ab iiſdem Pontifice Gallo, Sedes Pontificia Româ in Gallias denuò transferretur, effractis Conclavis foribus, in illud tumultuans ac furens irrupit, & Cardinalibus præſentaneam mortem comminatus eſt, niſi, abjectâ omni cunctatione, in Romani, vel ſaltem Itali Pontificis electionem conſentirent. Eâ vi adacti Cardinales, ut periclitanti vitæ ſuæ conſulerent, Populi Romani votis morem geſſerunt, elegeruntque Pontificem *Bartholomæum Prignanum*, patriâ Neapolitanum & Archiepiſcopum Barenſem, qui poſteà, ſedato populi tumultu, præſentibus & conſentientibus Cardinalibus, coronatus eſt, dictusque *Urbanus VI.* Hoc pacto tumultus in electione *Urbani VI.* excitati in optatam tranquillitatem converſi videbantur, cùm ecce ſubitò atrocior cœpit ſævire tempeſtas. *Urbanus* quippè Pontifex paulò poſt ſuam coronationem, Cardinalium mores duris ac intempeſtivis increpationibus redarguendo, ſibi illos ità infenſos reddidit, ùt ipſi, conjuratione adversùs eum factâ, Anagniam, ſub ſpecioſo obtentu caloris æſtivi vitandi causâ, ſeceſſerint numero tredecim, natione Galli, excepto *Petro de Luna*, Aragonio, ubi coram *Petro de Craſo*, Ar-

Archiepiſcopo Arelatenſi, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, ac Judice Ordinario, proteſtati ſunt de vi ſibi illata, & de electione *Urbani VI.* metu extortâ. Dein, *Urbano VI.* diem dixerunt, in eum ſententiam tulerunt, ac litteras ad univerſos Fideles ſcripſerunt, quibus declarabant *Bartholomæum Barenſem* eſſe intruſum. Promulgatâ ſententiâ, Fundos, Regni Neapolitani Urbem, ſeſe receperunt, & tribus Cardinalibus Italis tractis in partes, ſolo Cardinali Sancti *Petri* cum *Urbano VI.* remanente, *Robertum Gebennenſem*, Tituli Sanctorum duodecim Apoſtolorum, annos dumtaxat XXXVI. natum, Pontificem elegerunt die XXI. Septembris anni MCCCLXXVIII. qui *Clemens VII.* appellatus eſt. Sic, proh dolor! conflatum eſt Schiſma, quod diù luctuoſam reddidit Eccleſiæ faciem, cùm duo Summi Pontifices, quorum unus Romæ, alter Avenione ſedebat, Petri Sedem eodem ſibi tempore vendicarent. Suos uterque habebat auctores, patronoſque maximos ac ſanctiſſimos; hinc inde Provinciæ, Regna, Reges, Doctores, Juriſconſulti, Præſules, Concilia, jura ſtabant; verbo dicam, adeò difficile erat judicare, quam in partem veritas & juſtitia vergerent, ut Eminentiſſimus Cardinalis *Baronius* Annalium Eccleſiaſticorum parens, non dubitaverit ſcribere ad amicum ſuum *Sirmondum* Societatis Jeſu, ſe nihil æquè reformidare, quàm pervenire ad hujuſce Schiſmatis tempus, de quo quid ſtatuendum, non eſſet liberè pronunciaturus: *Fuiſſe tamen videtur*, inquit *Spondanus* in continuatione *Baronii* ad ann. MCCCLXXVIII. *Eccleſiæ Catholicæ ſenſus, Urbanum, ejuſque Succeſſores Italiam colentes, extitiſſe veros ac legitimos Pontifices.*

Quod

Quod verò magis parti Clementis incommodavit, fuit, quòd tam ipſe Clemens, quàm cæteri Cardinales ejus fautores ſuis litteris & geſtis per aliquot menſium ſpatium univerſo Orbi perſuaſum voluiſſent Urbanum ritè electum eſſe, & ex eorum ſententia omnes ubique populi ſic opinati fuiſſent. Hinc eſt, quòd in pervulgatis Tabulis Chronologicis Romanorum Pontificum locum obtineant *Urbanus VI.* ejuſque ſucceſſores, nulla verò in iis mentio fiat *Clementis VII.* & *Benedicti XII.*ſeu *XIII.* qui Avenione nomen Summi Pontificis ſibi arrogarunt. Graviſſima mala, quibus tempore Schiſmatis afflicta eſt Eccleſia elegantèr *Spondanus*, loco mox à me laudato, deſcribit his verbis: *Pontifices autem*, quorum unus Romæ, alter Avenione ſedebat, *ſibi invicem inſidiantes, & mutuis dirarum & anathematum fulminibus tam inter ſeſe, quàm ſequaces ferientes; necnon & armis ferreis, etiamque cum prædicatione Crucis, velut in Infideles, perſequebantur. Quòd unus ligabat, alter ſolvebat: quod unus concedebat, alter reſcindebat. Fiebant ex utraque parte proceſſus, privationes, execrationes, ſequebantur lites, rapinæ, cædes cum ingenti ſcandalo, ruina, & ſubſannatione; præter aliorum morum corruptiones, depreſſiones bonorum, exaltationes reproborum, rerum ſacrarum turpia commercia, contemptum legum, Diſciplinæ abolitionem, hæreſum atque errorum ſuccretionem, & omnis denique fidei, pietatis, ac religionis extinctionem, de quibus ſunt frequentiſſimæ Auctorum illius, & ſubſequentium temporum atque graviſſimæ querimoniæ, & lugubres lamentationes.* Poſt mortem *Urbani VI.* quæ accidit Romæ Idibus Octobris anni MCCCLXXXIX. cùm ſediſſet annos XII. non extinctum eſt Schiſma, ſummo ſiquidem conſenſu

ſenſu Cardinales *Urbani VI.* obedientiæ in ejus locum elegerunt *Petrum Thomacellum* Cardinalem, Neapolitanum annos natum dumtaxat quadraginta quinque, dictum *Bonifacium IX.* quem morum integritate ac gravitate conſpicuum fuiſſe teſtatur *Theodoricus Niemus*, Scriptor coævus. Obiit *Bonifacius IX.* Romæ Kalendis Octobris anni MCCCCIV. poſtquàm ſediſſet annos quindecim ex morbo calculi, quem jacturâ caſtitatis pravo Medicorum conſilio ſanare vel levare noluit, & mori quàm fœdari maluit, ſicut refert S. *Antoninus* 3. part. Chronici Tit. 22. cap. 3. Interim Cardinales obedientiæ *Clementis VII.* qui Avenione nomen Summi Pontificis retinebat, in fovendo Schiſmate perſeverarunt. Mortuo ſiquidem Avenione ex Apoplexia *Clemente VII.* die XVI. Octobris anni MCCCXCIV. contemptis precibus Galliarum Regis, qui eos rogaverat, ut non eligerent Pontificem, ſed vias potiùs extinguendi Schiſmatis ſollicitè quærerent, mox delegerunt *Petrum de Luna*, Cardinalem Aragonium, *Benedictum XII.* ſeu *XIII.* nuncupatum; addito juramento de abolendo Schiſmate, ſed fictè & verbo tenus dumtaxat, cùm ejuſmodi juramentum, quamdiù vixit, nunquàm implere voluerit, ſæpè licèt ſacris Eccleſiæ fulminibus ictus, ſicut opportuniùs oſtendemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam XV. Eccleſiæ Sæculi. Hic obiter obſervaſſe ſufficiat, in abolendo diro illo Schiſmate, præ cæteris aliis, Academiæ Pariſienſis prudentiam ſingularem, eximiamque fidem tunc temporis maximè enituiſſe. Ea quippè celeberrima Academia extinguendi Schiſmatis tres propoſuit vias; ceſſionis, compromiſſionis, & Concilii Generalis. At

Petrus

Petrus de Luna, dictus *Benedictus* XII. ſeu XIII. cogi poſſe negabat, ac ſe Francorum, & Aragonum opibus ſuſtentans, bellum atrox & inteſtinum fovebat. Ruebant interim in his tenebris homines ambitione, odio, invidiâ, partium ſtudio concitati, quaſi offuſa ſempiterna Chriſtianæ Reipublicæ nox eſſet. Inſtabat in rem Eccleſiæ Imperator *Sigiſmundus*, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Italiam circumcurſabat, ut diſſidentes & convulſas Orbis partes componeret: nihil promovebat. Antiſtites, qui Piſas convenerant, nihil profecerant aliud, niſi ut ad duos Pontifices Maximos tertius adderetur. Tandem pacem & concordiam fruſtrà quæſitam à Regibus, Imperatoribus, Juriſconſultis ac Doctoribus, Orbi Chriſtiano jactato, & extrema omnia metuenti dedit *Carolus VI.* Galliarum Rex, qui celeberrimæ Academiæ Pariſienſis ſecutus conſilium, ab obedientia *Petri de Luna*, quem *Benedictum XIII.* appellant, receſſit. Quò factum eſt, ut deſtitutus à Gallia *Benedictus* conciderit, ac ſubrogato brevi poſteà in Concilio Generali Conſtantienſi *Martino V.* vetus illud ac fatale Schiſma poſt annos ferè quinquaginta ſublatum ſit. Sed hæc, quæ ſpectant progreſſum ac finem iſtius Schiſmatis à nobis hìc brevitèr perſtricta, latiùs expendemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam XV. Eccleſiæ Sæculi.

D. Deſieruntne Græci, poſt captam à Francis cum Venetis fœderatis urbem Conſtantinopolim, anno, ut in ſuperiori Colloquio obſervaſti, MCCIV. ſuos habere Patriarchas Conſtantinopolitanos?

M. Etſi Franci cum Venetis fœderati, poſt captam urbem Conſtantinopolim, Latinum elegerint

rint Patriarcham Conſtantinopolitanum *Thomam Maurocenum*, natione Venetum, ſecundùm Pacta ante urbis expugnationem conventa, ut ſcilicet ex illa gente, quæ Imperatorem Conſtantinopolitanum non haberet, Patriarcha deſignaretur; ſuos tamen Græci Schiſmatici ſemper habuerunt Patriarchas Conſtantinopolitanos, quorum ſeriem exhibent *Joannes Leunclavius* lib. 4. Juris Græco-Romani, *Panvinus Onuphrius* in Chronico Eccleſiaſtico, & *Philippus Cyprius* in Chronico Eccleſiæ Græcæ, quod *Nicolaus Blancardus* è manuſcripto Byzantino primus vulgavit, & Latinè reddidit. Sed quia iſti Scriptores variant in annis Græcorum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, ſequar ipſe horumce Patriarcharum Chronotaxin, quam in ſuo Chronico Eccleſiaſtico texuit *Panvinus Onuphrius*, quæque mihi longè accuratior videtur. Mortuo anno milleſimo ducenteſimo *Georgio Xiphilino* Patriarcha Græco Conſtantinopolitano, ſicut diximus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam duodecimi Sæculi, ſucceſſit in Sede Conſtantinopolitana *Joannes Camaterus*, qui obiit in Didymothico, civitate Thraciæ, anno MCCV. Extat lib. 4. Juris Græco-Romani Synodale Decretum iſtius *Joannis Camateri* Patriarchæ Græci Conſtantinopolitani, quo prohibetur, ne Vir unus Sobrinas duas uxores ducat. Poſt obitum *Joannis Camateri* vacavit Sedes Conſtantinopolitana apud Græcos per annum unum & menſes decem, undè anno MCCVII. *Michaël IV. Autorianus* fuit deſignatus Patriarcha Conſtantinopolitanus à *Theodoro Laſcari* Græcorum Imperatore, ſuamque Sedem tenuit Nicææ, & vita functus eſt anno MCCXIII.

poſt

poſtquam ſediſſet annos quinque & menſes ſex. In *Michaëlis* defuncti locum ſuffectus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus *Theodorus* hujus nominis *III.* qui, poſtquam ſediſſet duobus annis, è vivis exceſſit anno MCCXV. eique ſucceſſit *Maximus* hujus nominis *II.* Monachus, qui tantùm ſeptem menſibus ſedit. In *Maximi* locum ſubſtitutus eſt *Manuel Charitopulus* Monachus, qui obiit anno MCCXXI. cùm ſediſſet annos IV. & menſes ſeptem. Poſt *Manuelem Charitopulum* electus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus *Germanus* hujus nominis *II.* qui ſedit annos XVII. & menſes ſex, ſuâque Sede fuit expulſus anno MCCXXXIX. Hic Patriarcha Græcus Conſtantinopolitanus unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina promovere pro viribus ſtuduit, ſed eam ad optatum exitum perducere haud potuit, ſicut jam obſervavimus in ſuperiori Colloquio. Dejecto ſua Sede *Germano* ſubrogatus eſt *Methodius* hujus nominis *II.* qui ſedit tantùm menſes tres, eoque mortuo Thronum Conſtantinopolitanum conſcendit *Manuel* hujus nominis *II.* qui ſedit annos quatuordecim, & obiit anno MCCLIV. Poſt illius mortem *Germanus II.* qui, ut mox diximus, è Sede Conſtantinopolitana deturbatus fuerat, in eam reſtitutus eſt, ac per annum integrum tenuit, hoc eſt, uſque ad annum MCCLV. Poſt mortem *Germani II.* Patriarchæ Conſtantinopolitani, de electione ſucceſſoris, à quo coronaretur novus Græcorum Imperator, filius *Joannis Ducæ*, dictus ab avo materno *Theodorus Laſcaris*, deliberatum eſt. Omnium penè ſuffragia,& ipſius in primis Imperatoris,propendebant in *Nicephorum Blemmydam*, Virum id ætatis magnâ pietate, & ſacræ prophanæque eruditionis

famâ

famâ percelebrem, qui & Orationes duas de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio contra Græcos Schiſmaticos conſcripſit. Sed hanc dignitatem pertinaci modeſtiâ recuſavit. Hic eſt ille *Nicephorus Blemmyda* Abbas Monaſterii, quod ſuis extruxerat ſumptibus, cujus ad templum cùm ſe aliquando *Marceſina*, pellex *Joannis Ducæ* Græcorum Imperatoris, & ab eo efflictim adamata, magno cum faſtu ac ſatellitio contuliſſet, intrepidâ conſtantiâ ei fores occludi juſſit, ob publicam ejus impudicitiam, quam crebris ſermonibus & calamo fortiter inſectabatur. Id ægrè admodum tulit ſuperba mulier, & Imperatorem, qui eam deperibat, ad ultionem omnibus adhibitis artibus, atque juvante aſſentatorum turba, incitare conata eſt. At *Joannes Ducas*, Imperator licèt Schiſmaticus, dolens quòd hactenùs impuris *Marceſinæ* amoribus illaqueatus fuiſſet, obortis lachrymis & voce ſuſpiriis interruptâ, ſic *Marceſinam* pellicem ſuam, & Aulicos, qui ejus animum in *Nicephorum Blemmydam* commovere ſatagebant, affatus eſt: *Quid me ad Virum juſtum puniendum impellitis? nam ſi ego ſine probro & ignominia vivere voluiſſem, Imperii Majeſtatem inviolatam conſervaſſem. Nunc cùm ipſe meæ, atque adeò ipſius Imperii contumeliæ cauſam præbuerim, meritis meis gratia refertur, ut malæ ſementis malam meſſem percipiam*. Ita refert *Nicephorus Gregoras* lib. 2. Hiſtoriæ. Idem etiam conſtat ex ipſiuſmet Abbatis *Nicephori Blemmydæ* Epiſtolâ ad multos eâ de re ſcriptâ, quam apud *Leonem Allatium* lib. 2. de perpetuo conſenſu cap. 14. & apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCLV. Num. LXXV. legere eſt. Huic igitur Abbati *Nicephoro Blemmydæ* præcla-

ris virtutibus exornato, Patriarchatum Coſtantinopolitanum obtulit *Theodorus Laſcaris* Græcorum Imperator, filius *Joannis Ducæ*, eum tamen ſublimem illam dignitatem modeſtè ſuſcipere detrectantem impenſiùs urgere noluit, quia licet eum ob religionem & ſapientiam plurimi faceret, ob morum tamen integritatem ac ſeveritatem haud parum metuebat. Eam ob rem *Theodorus Laſcaris* Græcorum Imperator, Patriarcham Conſtantinopolitanum deſignavit *Arſenium*, Monachum ſimplicem, illiteratum, Sacris Ordinibus necdùm initiatum, quem ab Epiſcopis conſecrari juſſit. Hi verò Imperatoris mandatis actutum mores gerentes, infrà eamdem hebdomadam *Arſenium* Diaconum, Presbyterum, & Patriarcham inaugurarunt. Hic eſt ille *Arſenius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui, ut in ſuperiori Colloquio dicebamus, *Theodorum Laſcarim* Græcorum Imperatorem ſolemni ritu coronavit, ſed poſt mortem illius Imperatoris Sede ſua deturbatus eſt à *Michaële Palæologo* Græcorum Imperatore, & in ejus locum ſuffectus eſt *Nicephorus II.* Metropolita Epheſinus. Anno tamen MCCLXI. quo *Michaël Palæologus* Conſtantinopolim urbem Græcorum ſubjecit Imperio, & Latinos fugavit, in ſuam Sedem Conſtantinopolitanam à *Michaële Palæologo* reſtitutus eſt *Arſenius*, è qua rurſus dejectus, & in exilium miſſus eſt ab eodem *Michaële Palæologo* Græcorum Imperatore, quem excommunicaverat *Arſenius*, eo potiſſimùm nomine, quòd *Michaël Palæologus*, ut Imperium ſibi ſuiſque per fas & nefas confirmare poſſet, *Joannem*, filium *Theodori Laſcaris*, Imperii hæredem legitimum, qui tunc annum ætatis decimum agebat, igni-

igniti crepitaculi objectu excæcaſſet. In locum itaque *Arſenii* Patriarchæ Conſtantinopolitani in exilium ultra Proconneſum ablegati *Michaël Palæologus* Græcorum Imperator electione Cleri ſubſtitui curavit *Germanum* hujus nominis *III.* qui erat Metropolita Hadrianopolitanus. At *Germanus* in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus, cùm injuriis ac contumeliis à vulgo proſcinderetur, quòd *Arſenii* adhuc viventis Sedem occuparet, ſeſe eâ dignitate abdicare coactus eſt, inque ejus locum ordinatus eſt Patriarcha Cõſtantinopolitanus *Joſephus* Monachus, qui ſedit annos XIII. & anno MCCLXXIV. à *Michaële Palæologo* è ſolio Patriarchali dejectus, atque in ordinem redactus eſt, eò quòd concordiæ Græcos inter & Latinos initæ in Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo celebrato eodem anno MCCLXXIV. conſenſum pertinaciter denegaret. Depoſito *Joſepho* anno MCCLXXIV. conſecratus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus *Joannes* hujus nominis *X.* dictus *Beccus*, ſeu *Veccus*, eximiæ vir integritatis, & eruditionis, qui, coactâ frequenti Epiſcoporum Græcorum Synodo, ea, quæ in Concilio Generali Lugdunenſi II. pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina geſta fuerant, confirmavit, Epiſtolamque Synodicam miſit ad *Joannem XX.* Papam, in qua Latinorum dogmata pereruditè & eleganter enunciabantur. Hujus Patriarchæ Græci Conſtantinopolitani egregias laudes *Nicephorus Gregoras* his verbis contexit: *His temporibus Magnæ Eccleſiæ Chartophylax erat Joannes Beccus, vir excellentis ingenii, & doctrinarum ſtudiis ab ineunte ætate inſtitutus; prætereà, tantis naturæ donis ornatus erat, quantis*

quiſquam alter illius ævi. Nam & proceritate corporis, & majeſtate vultus, & facundia atque acumine ingenii ad omnes res idonei, aliiſque dotibus præſtabat, qui cùm Imperatoris decreto (de pace cum Latinis ineunda) *acritèr adverſaretur, Imperator nihil non tentavit, tam per ſe, quàm per alios eruditione conſpicuos, ut legitimis rationibus eum adduceret ad aſſentiendum .... Ea ſpe fruſtratus Imperator, eum, omneque fermè genus in teterrimos carceres conjecit. Tum Nicephori Blemmydæ Scripta ad Beccum miſit; quibus ille perlectis, Sanctorum libros, è quibus Blemmydas ſua collegerat, ultrò poſtulavit. Itaque brevi tempore teſtimoniorum acervum collegit, quæ integra volumina implere poſſent, & qui dudum Latinis adverſatus erat, mutata ſententia, victoriam aliò tranſtulit. Quamobrem Patriarchica Sede conſcenſa, Imperatoris unus fuit omnia, & lingua, & manus, & velocis Scribæ calamus, docendo, ſcribendo, & dogmata finiendo, &c.* Concordiam Eccleſiæ Græcæ cum Latina ſemper fovit ac defendit J*oannes Beccus*, ſeu *Veccus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus. At, mortuo Imperatore *Michaële Palæologo*, Sede ſuâ an. MCCLXXXIV. pulſus eſt ab *Andronico* Græcorum Imperatore, & *Michaëlis Palæologi* filio, qui, ut jam obſervavimus, à Latinis adeò alienum gerebat animum, ut patrem ſuum *Michaëlem Palæologum*, in odium concordiæ cum Eccleſia Romana, quam, dum in vivis eſſet, totis viribus promoverat, ne plebejâ quidem ſepulturâ, teſte *Nicephoro Gregora*, Græco Schiſmatico, dignari voluerit. Quod etiam ipſemet *Andronicus* Imperator apud *Pachymerem*, Scriptorem itidem Græcum Schiſmaticum, lib. 12. Hiſtoriæ teſtatur his verbis: *Etenim ſententia illa* (de unione Ec-

Eccleſiæ Græcæ cum Latina) *heri aut nudiustertius nondùm benè radicata, avulſa eſt noſtra ſollicitudine.* *Et qui illa egerat, licèt pater eſſet, licèt de nobis optimè meritus, licèt amiciſſimus, & quidquid aliud dixeris, ſive conſanguinitatis, ſive beneficii nomen, nullis, quod ad nos fuit, nec iis etiam, quæ quilibet Chriſtianus conſecutus fuiſſet, juſtis perſolutis, inglorius jacet, Vir & Imperator hoſtibus formidandus, & ſingulariter mihi omni amore dignus. Nihilominùs id viſum & actum eſt.* Hic itaque *Andronicus* Græcorum Imperator, cùm in Latinos peſſimè eſſet affectus, *Joannem Beccum*, ſeu *Veccum*, de Eccleſiarum Græcæ & Latinæ unione aſſiduè ſollicitum, Sede Conſtantinopolitanâ an. MCCLXXXIV. dejecit, & in eam intruſit *Gregorium*, ſeu *Georgium Cyprium*, Schiſmaticum, qui, ut obſervat doctiſſimus Pater *Michaël Lequien* in Diſſertatione I. Damaſcenica *De proceſſione Spiritus Sancti*, Palamitarum hæreſim, de qua in ſequenti Colloquio ſermonem habituri ſumus, præformavit, multaque ſcripſit contra Latinos, ſed præcipuè contra *Beccum*, ſeu *Veccum*, quem cum Latinis conſentientem *Andronicus Senior*, Græcorum Imperator, Sede Conſtantinopolitanâ, ut mox diximus, exturbavit. At *Veccus* graviori rationum pondere, utpotè pro veritate pugnans, *Georgium Cyprium* confutavit, & quamvis Patriarchatu eſſet ejectus, nec exiliis, nec carceribus, nec aliis cruciatibus ac pœnis deterreri potuit, quin ad extremum uſque ſpiritum invictâ conſtantiâ Eccleſiæ Latinæ dogmata propugnaret, eaque à Græcorum Schiſmaticorum calumniis ſtrenuè vindicaret. *Georgius Cyprius* Sedem Conſtantinopolitanam tenuit ſex annis, hoc eſt uſque ad annum MCCXC. quo

Patriarchatu ceſſit. Eodem anno Sedem Conſtantinopolitanam occupavit *Athanaſius*, ſeu *Anaſtaſius*, qui poſtquam ſediſſet annos quatuor, dejectus eſt, ejuſque loco ſubrogatus eſt *Joannes XI.* dictus *Sozopolites*, Monachus, anno MCCXCIV. qui Patriarchatu potitus eſt annos ſex, & obiit anno MCCC. Poſt illius mortem *Athanaſius* ſeu *Anaſtaſius* in Thronum Conſtantinopolitanum reſtitutus eſt anno MCCCI. & poſtquàm ſediſſet annos octo, ſeſe abdicavit, vacavitque Sedes Conſtantinopolitana annos duos. *Nipho*, Metropolita Cyzicenus, electus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno MCCCX. ſedit annos tres, menſes decem. Patriarchali dignitate ſe exuit, ac poſt ejus ceſſionem vacavit Sedes Conſtantinopolitana annum unum. Poſt breve illud Interpontificium, Sedem Conſtantinopolitanam obtinuit *Joannes XII.* dictus *Glycis* Logotheta anno MCCCXVI. ſeditque annos quatuor, & obiit anno MCCCXX. Ei ſucceſſit *Geraſinus* Monachus Monaſterii Montis Manganii, qui ſedit annum unum & menſes aliquot. Poſt obitum *Geraſini* in Throno Conſtantinopolitano collocatus eſt *Eſaias* Monachus anno MCCCXXII. ſeditque annos XVIII. & menſes aliquot, ideſt, uſque ad annum MCCCXLI. quo anno vitâ functus eſt, ac ſucceſſorem habuit *Joannem XIII.* Aprinum, qui ſedit annos XIX. Ei in Patriarchatu Conſtantinopolitano ſucceſſit *Calliſtus*, Monachus, qui, poſtquam ſediſſet annis quatuor, migravit è vita anno MCCCLXIV. Poſt *Calliſtum*, Eccleſiam Conſtantinopolitanam *Philotheus*, ſeu *Philetus* rexit annos tredecim, menſes ſex & dies aliquot, ad annum uſque MCCCLXXVIII. eique ſucceſſit *Nilus*, qui ſedit annis XX. & diem ultimum clauſit

anno

anno MCCCXCVIII. Denique, in ſerie Patriarcharum Græcorum, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiam Conſtantinopolitanam gubernarunt, ultimus recenſetur *Antonius* Monachus, qui ſedit annis V. hoc eſt, ab anno MCCCXCVIII. uſque ad an. MCCCCIII. Habes nunc Chronotaxin Græcorum Patriarcharum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad initium uſque Sæculi decimi quinti, quam obſcuram per ſe licèt, ac multis tenebris obſitam, accuratiori calculo hic digerere, & in meliorem ordinem diſponere pro modulo noſtro tentavimus.

D. Oſtendiſti, ut benè memini, in Colloquio II. in Hiſtoriam duodecimi Sæculi, Latinos Cruceſignatos ſub finem undecimi Sæculi in Palæſtinam venientes, devictis Saracenis, & captâ Hieroſolymâ, Latinos Patriarchas Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfeciſſe, quorum Catalogum ibidem texuiſti uſque ad Patriarcham dictum *Monachum*, qui in Diœceſi Florentina natus præfuit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ab anno MCXCIV. uſque ad annum MCCIX. Nunc igitur ſcire velim, an poſt illum Patriarcham Latinum, dictum *Monachum*, alii fuerint Patriarchæ Latini, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernarint?

M. Seriem Patriarcharum Latinorum, qui ſub finem XI. ſæculi, poſt captam à Cruceſignato Latinorum Exercitu Hieroſolymorum urbem, Eccleſiam Hieroſolymitanam rexerunt, vel ejuſdem Eccleſiæ Patriarchæ Titulares fuerunt, poſtquàm ſub finem XII. Sæculi, hoc eſt, anno MCLXXXVIII. Turcæ urbem Hieroſolymitanam armis depugnarunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt; fusè deſcripſit *Papebrochius* in Hiſtoria Chronologica Pa-

triarcharum Hieroſolymitanorum, quam tom. 3. de Actis Sanctorum menſis Maji præfixit, ex quo hæc pauca, quæ in præſentia dicturus ſum, deflorare haud pigebit. Anno MCCIV. quo Hieroſolymitanus Patriarcha Latinus, dictus *Monachus* obiit, *Albertus*, ex Regulari Canonico Vercellenſis Epiſcopus, poſtulatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, qui tamen in Orientem dumtaxat pervenit anno MCCVI. & Patriarchatum tenuit uſque ad annum MCCXIV. quo in ſolemni ſupplicatione à Saracenis occiſus eſt. Hic eſt ille *Albertus* hujus nominis *II.* Patriarcha Hieroſolymitanus, qui Montis Carmeli Eremitis Regulam dedit breviſſimam, præſcribentem divini Officii & Orationis quotidianæ penſum, conſtructionemque Oratorii in medio Cellularum, ubi manè per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia convenirent; perpetuam ab eſu carnium abſtinentiam, Jejunium à Feſto Sanctæ Crucis ad Paſcha, ſolitudinem, ſilentium, fugam otii, Prioris electionem, &c. de hac Regula ab *Alberto* Patriarcha Hieroſolymitano editâ,& ab *Honorio III.* Põtifice Maximo approbatâ an.MCCXVI. latè differit *Papebrochius* loco mox à me laudato, ubi tamen antiquitatem Carmelitani Ordinis liberiori calamo impugnando, & *Eliam*, alioſque Veteris Teſtamenti Prophetas ex clariſſimæ illius familiæ albo expungendo, ſibi odium ac invidiam multorum conflavit, atque in ſe ipſo expertus eſt, quàm periculoſum ſit, ſeſe huic immiſcere certamini. *Alberto*, hujus nominis *II.* Patriarchæ Latino Hieroſolymitano, ſucceſſit anno MCCXIV. *Rodulfus*, Rodulfo *Lotharius*, Lothario *Gerondus*, & Gerondo *Jacobus de Vitriaco*, qui poſteà à *Gregorio IX.* Pon-

Pontifice Maximo Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus creatus eſt, egregiæ vir doctrinæ & pietatis, cujus opera recenſebimus in Colloquio quinto. Obiit Romæ *Jacobus de Vitriaco* anno MCCXLIV. & in ejus locum ſuffectus eſt *Robertus*, qui Patriarchatum Hieroſolymitanum tenuit uſque ad an. MCCLV. quo anno *Alexander IV* Pontifex Maximus creavit Patriarcham Hieroſolymitanum *Jacobum Pantaleonem*, natione Gallum, patriâ trecenſem, qui ſexto poſt creationem ſuam anno cùm Viterbium acceſſiſſet ad Curiam pro Eccleſiæ ſuæ negotiis promovendis, & Cardinales de ſucceſſore *Alexandri IV.* eligendo diſſenſionibus contenderent, communibus eorum ſuffragiis ad apicem Apoſtolicæ dignitatis evectus eſt ann. MCCLXI. dictuſque *Urbanus IV.* Vacante itaque Eccleſia Hieroſolymitana, per ipſius ad Pontificatum aſſumptionem, ei præfecit idem Summus Pontifex Patriarcham *Guillelmum*, qui erat Epiſcopus Agennenſis in Aquitania, ipſique etiam commiſit curam Eccleſiæ Acconenſis, tunc pariter paſtore carentis per translationem *Florentii* in Sedem Arelatenſem, cum facultate exigendi fructus illius Eccleſiæ, donec redditus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ recuperarentur. Obiit *Guillelmus* Patriarcha Hieroſolymitanus anno MCCLXIII. ac ſucceſſorem habuit *Thomam*, qui à Meſſanenſis Eccleſiæ adminiſtratione ad Patriarchatum Hieroſolymitanum promotus eſt, obiitque an. MCCLXXII. quo ei ſucceſſit *Fr. Thomas de Lentino* Ord. Prædicatorum, Archiepiſcopus Conſentinus, qui, teſte *Leandro Alberto* lib. 3. *de Viris Illuſtribus Ord. Prædicatorum*, vir fuit *per omnia egregius, & laudabilis*, polluit vitæ integritate, morum honeſtate, doctrinâ

nâ & eloquentiâ, exceſſitque è vivis an. MCCLXXVI. Eccleſiâ itaque Hieroſolymitanâ per mortem *Thomæ de Lentino* viduata Paſtore, *Nicolaus III.* Pontifex Maximus anno MCCLXXVIII. ad Patriarchatum Hieroſolymitanum nominavit *Joannem* Vercellenſem (non, ut quidam habent Viterbienſem) Ordinis Prædicatorum, ſextum à Sancto Dominico Ordinis Fundatore Magiſtrum Generalem. Quarè errant hi, qui *Fr. Hieronymum Aſculanum*, Miniſtrum Generalem Ordinis Minorum, à *Nicolao III.* electum fuiſſe ſcribunt Patriarcham Hieroſolymitanum, cùm is non Patriarcha, ſed Cardinalis Preſbyter tituli S. *Pudentianæ* eodem anno MCCLXXVIII. factus fuerit, ut optimè obſervat *Spondanus* in continuatione Annalium Eccleſiaſticorum *Baronii* ad hunc annum. Oblatum ſibi à *Nicolao III.* Patriarchatum Hieroſolymitanum recuſavit *Joannes* Vercellenſis, & inſtantibus precibus apud Pontificem quæſivit, ut uni ſoli curæ ſui Ordinis vacaret, quem proinde Pontifex ad conſtantiam, ferendaſque pro Chriſto labores litteris excitavit, quas ad annum MCCLXXVIII. refert *Odoricus Raynaldus*. In ſententia tamen perſtitit *Joannes* Vercellenſis, & tanto oneri humeros ſupponere detrectavit. Quò factum eſt, ut Patriarchatus Hieroſolymitanus delatus fuerit *Eliæ*, qui illum tenuit uſque ad an. MCCLXXXVII. Demortuo *Elia*, ad Patriarchatum Hieroſolymitanum *Nicolaus IV.* Pontifex Maximus, promovit *Nicolaum de Anapiis* anno MCCLXXXVIII. ut liquet ex Diplomate Pontificio ad Clerum & Suffraganeos Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopos, ut debitâ reverentiâ Patriarcham proſequerentur, ſcripto, & relato ab *Odorico Raynaldo* ad eundem annum.

num. Hunc autem Nicolaum de *Anapiis* ex Ordine Prædicatorum Provinciæ Franciæ, Remenſis Diœceſis fuiſſe, ſcribit *Leander Albertus* lib.3. *de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum*, ubi modum, quo electus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, narrat his verbis: *Cùm eſſet in Romana Curia* (Nicolaus de Anapiis) *Pœnitentiarius, & ab omnibus, ob ejus vitæ integritatem, modeſtiam & ſanctimoniam dilectus. Nicolao IV. Pontifice Maximo ſingulis Cardinalibus imponente, quòd poſtridiè ejus diei tres viros pro dignitate prædicta idoneos quilibet proferret, non ſine divino nutu is venerandus Pater à ſingulis Prælatus eſt, ſicque per eumdem Pontificem ad Præſidentiam Sanctæ civitatis Hieroſolymæ evectus eſt.* Obiit *Nicolaus de Anapiis* non an. MCCLXXXVIII. ut perperàm viſum eſt *Leandro Alberto*, ſed anno MCCXCI. in excidio Urbis Acconenſis. Patriarcham ſiquidem, qui Accone erat quandò ea civitas à Turcis capta eſt anno MCCXCI. fuiſſe nomine *Nicolaum*, conſtat ex Epiſtola *Nicolai* Papæ *IV.* ad eum paulò ante ſcriptâ pro Inquiſitionis Officio in Syria, & Palæſtina contra Hæreticos & Judæos illic graſſantes; eumdemque ex Ordine Prædicatorum extitiſſe legimus apud *Walſinghamum* in Eduardum I. ad an. MCCXCII.

Captâ à Turcis anno MCCXCI. Vrbe Acconenſi, ſeu Ptolomaide, Phœniciæ civitate nobiliſſimâ, totius Orientis opulentiſſima, omnium Orbis regionum commercio apprimè opportuna, ac portu capaciſſimo tutiſſimoque munitâ, omnes Latini, apud quos, ut obſervat *Spondanus*, ad hunc annum, facinora & ſcelera, cædes & furta, rapinæ & expilationes, ſacrilegia & impudicitiæ impunè graſſabantur, à tota terra ſancta exterminati ſunt, pœnas vide-

videlicet tot criminum, quæ à Latinis in ſcelerata illa civitate perpetrabantur, ſupremo exigente numine. Hanc graviſſimam jacturam ut quadantenùs reſarciret *Cæleſtinus* hujus nominis *V.* qui fuit Summus Pontifex electus anno MCCXCIV. Patriarcham Hieroſolymitanum, qui novas Chriſtianorum copias illùc mittendas comitaretur, ordinandum curavit. At, ſicut *Cæleſtinus V.* brevi ſex menſium Pontificatu perfunctus, eo ſe munere abdicavit, ut jam in hocce Colloquio obſervàvimus, ita novo Patriarchæ Hieroſolymitano à Summo illo Pontifice inſtituto ſua nihil omninò profuit Ordinatio, quia, ſicut ſcribit *Guillelmus de Nangis*, Romam veniens *Rodulphus de Grandivilla* Ordinis Prędicatorum, qui juſſu *Cæleſtini V.* Papæ apud Pariſios Patriarcha Hieroſolymitanus fuerat conſecratus, Patriarchali illa dignitate à *Bonifacio VIII.* ſucceſſore *Cæleſtini V.* exutus eſt. Bonifacio VIII. Benedictus XI. & Benedicto XI. ſucceſſit Clemens V. qui anno MCCCV. *Antonium* Dunelmenſem Epiſcopum creavit Patriarcham Hieroſolymitanum. Sed *Antonio* Patriarcha mortuo anno MCCCXIV. idem Summus Pontifex *Clemens V.* Patriarchatum Hieroſolymitanum contulit *Petro* Ruthenſi Epiſcopo, eique, ob Hieroſolymorum Eccleſiam ab Infidelibus oppreſſam, Ruthenenſis Eccleſiæ vectigalibus potiri, ejuſque adminiſtrationem gerere permiſit. Erepto quoque è vivis *Petro* Patriarcha Hieroſolymitano, *Joannes XXI.* ſeu ut vulgò dicitur *XXII.* ſucceſſor *Clementis V.* Patriarchali Hieroſolymitanæ Eccleſiæ titulo *Raymundum* Ordinis Prædicatorum exornavit anno MCCCXXIV. eique etiam contulit Eccleſiæ Nimeſienſis adminiſtrationem, cùm

Hie-

Hieroſolymis ob Infidelium tyrannidem ſedere non poſſet. Poſt mortem *Raymundi*, Patriarchæ Hieroſolymitani, Fr. *Petrus de Palude*, vir magnæ doctrinæ & famæ, Avenione ordinatus eſt à *Joanne XXII.* Patriarcha Hieroſolymitanus an. MCCCXXIX. ut ſcribit continuator *Guillelmi de Nangis*, & circà principium menſis Julii ejuſdem anni, unà cum Nunciis Regis Cyprii, qui venerant ad ducendam in Cyprum filiam *Ludovici* Comitis Claromontani, ſponſam primogeniti filii prædicti Regis, juſſu *Philippi* Francorum Regis navigavit in Syriam, tum ad viſitandum Sepulchrum Dominicum, tum ad agendum cum Soldano de Chriſtianorum Orientalium pace & recuperatione Terræ Sanctæ. Biennio poſt, hoc eſt, anno MCCCXXXI. è ſua Syriaca peregrinatione in Gallias reverſus eſt *Petrus à Palude* Patriarcha Hieroſolymitanus. Obiit Pariſiis anno MCCCXLII. & in Majori Conventu Fratrum Prædicatorum ſepultus eſt, ubi Epitaphium, quod ipſi poſitum eſt, eos refellit, qui illum in Cypro è vivis exceſſiſſe inconſideratè ſcripſerunt. Multa Opera ſcripſit *Petrus à Palude*, quæ ſuo loco, ſeu in quinto Colloquio, quod erit *de Viris Illuſtribus* Sæculi XIII. & XIV. commodiùs referemus. Demortuo *Petro à Palude*, Patriarchæ Hieroſolymitano, non defuiſſe ſucceſſorem, ex eo vel maximè probat *Papebrochius* ſub finem Hiſtoriæ Chronologicæ Patriarcharum Hieroſolymitanorum, quòd *Sixtus Senenſis* in Chronico ad annum MCCCXXX. nominet tres conſequentes Archiepiſcopos Tyrenſes, omnes ex Ordine Prædicatorum, videlicet *Nicolaum*, *Bonacurſium*, & *Petrum de Conflictu*. Undè infert *Papebrochius*, quòd ſi hujus Eccleſię Tyrenſis titulus nō eſt

eſt permiſſus vacare, multò minus permiſſus ſit vacare Titulus Patriarchalis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Verùm, cùm iſti ſucceſſores, quos in Patriarchatu Hieroſolymitano habuit *Petrus à Palude*, viris eruditis omninò ignoti ſint, non eſt operæ pretium illorum ſtudioſius perquirere nomina, quibus nudus tantum Patriarchæ Hieroſolymitani titulus, abſque ulla recuperandæ poſſeſſionis ſpe, datus eſt in Eccleſia Romana. A tempore ſiquidem amiſſi à Latinis Orientis, Apoſtolica Sedes jùs, quod ſemel aſſumpſerat, providendi Eccleſiis tàm Patriarchalibus, quàm Archiepiſcopalibus in Oriente conſtitutis, retinuit, ſoletque etiamnùm Legatis Apoſtolicis, & nonnullis aliis Ordinatis Epiſcopis conferre titulum alicujus Eccleſiæ, quæ eſt in partibus Infidelium. Sed ſatis hactenus dictum ſit de Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarchis, quorum ſeriem, quæ in Chronico *Panvini Onuphrii*, & *Genebrardi* minùs accuratè texitur, in meliorem ordinem, poſt doctiſſimos Viros *Odoricum Raynaldum*, & *Papebrochium* redigere neceſſarium eſſe duximus. Id fortaſsè non perfecimus, conati quidem ſumus.

D. Numquid Eccleſiæ Antiochena & Alexandrina Sæculis XIII. & XIV. ſuos habuerunt Patriarchas?

M. Antiochiâ anno milleſimo nonageſimo octavo Latinorum armis occupatâ, cœpit Eccleſia Antiochena habere Patriarchas Latinos, quorum ſeriem in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam Sæculi duodecimi texuimus uſque ad *Eliam Robertum* Regienſem, anteà Epiſcopum Brixianum, qui Patriarchatum Antiochenum obtinuit anno MCCXI. &

& obiit anno MCCXLVII. At quinam, poſt illum *Eliam Robertum*, ex Latinis Patriarcha Antiochenus fuerit? incompertum planè eſſe ex *Panvino Onuphrio*, & ex *Genebrardo* in Chronico ibidem obſervavimus. Habuerunt etiam Græci Schiſmatici poſt captam à Latinis Antiochiam, ſuos Patriarchas Grȩcos Antiochenos, qui tamen omnes penè ignoti ſunt, ac ſubindè eorum ſeries deſcribi haud poteſt. Quod ſpectat Patriarchas, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiam Alexandrinam rexerunt, neceſſe non eſt, ut in eorum contexenda ſerie diutiùs hìc immoremur. Oſtendimus quippè in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam Sæculorum ſeptimi & octavi, nos ſeriem Patriarcharum Alexandrinorum dumtaxat habere deſcriptam à *Severo*, *Elmacino*, *Abulfarago*, & ab aliis Scriptoribus Arabibus Sectæ Jacobitarum addictis, qui datâ operâ in texenda ſerie Patriarcharum Alexandrinorum, poſt *Dioſcorum*, Hæreticum Eutychianum, qui in quinto Sæculo, ſeu anno CCCCXLIV. Sancto *Cyrillo* ſucceſſit in Patriarchatu Alexandrino, meminerunt dumtaxat Patriarcharum Eutychianorum & Jacobitarum, qui Eccleſiam Alexandrinam occuparunt, prætermiſſis tam Orthodoxis, quàm Hæreticis, qui, licèt fuerint Patriarchæ Alexandrini, *Jacobiticam* tamen, ſeu Eutychianam Sectam, non ſunt profeſſi. In hac igitur referenda ſerie Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum tempus & operam hìc malè locare non debemus, ſi tamen eam habere deſideres, legeſis jam citatum Colloquium noſtrum ſecundum in Hiſtoriam Sæculorum ſeptimi, & octavi, ubi poſt Clariſſimum *Euſebium Renaudotium* in ſua *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum*, & doctiſſimos Operis

ris

ris Bollandiani Continuatores in *Diſſertatione Chronologica de Patriarchis Alexandrinis*, quam ad Tomum 5. menſis Junii præmiſerunt, ſeriem Patriarcharum Alexandrinorum à laudatis Scriptoribus Arabicis & Jacobitarum Sectę addictis deſcriptam inſeruimus, ac integram dedimus, à tempore videlicèt *S. Marci* Evangeliſtæ, qui fuit primus Patriarcha Alexandrinus, uſque ad *Joannem XV.* qui fuit centeſimus tertius Patriarcha Alexandrinus, quique, ut referunt Bollandiani Operis Continuatores ex Epiſtolis à *P. Bernarto* Societatis Jeſu ſcriptis, Chriſma, quod ducentis ab hinc annis factum non fuerat, magno apparatu conſecravit anno milleſimo ſeptingenteſimo tertio. Sed tempus eſt, ut vaſa colligamus, ac familiarem noſtrum larem redeamus. Cave tamen, ne otio indulgendo, & porrectis pedibus in utramvis aurem dormiendo, imparatus accedas ad proximum noſtrum Colloquium, quod poſtridiè de Hæreſibus & Controverſiis,
quæ
Sæculis XIII. & XIV.
in Eccleſia exortæ ſunt, habituri ſumus.

COL-

COLLOQUIUM III.

De Hæreſibus & Controverſiis, quæ Sæculis XIII. & XIV. enatæ ſunt in Eccleſia.

Discipulus. Sæpiùs experientiâ comprobavi, ad veram ſtudio & lectione ſapientiam comparandam, nullam diei partem utiliorem eſſe, quàm diluculum, dùm Sol novus exoriẽs vigorem & alacritatem affert rebus omnibus, hominemque ad vitæ munia revocat; dum habile eſt ad omne miniſterium corpus, & organa tranquilla ſunt ac ſerena. Quapropter, ſummo mane hodiè expergefactus, hùc rectà omni feſtinatione venire properavi, ut te de Hæreſibus & Controverſiis, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia obortæ ſunt, diſſerentem pronis auribus auſcultarem.

Magister. Tibi ex animo gratulor, quòd illos non imiteris juvenes, qui horas matutinas, optimam vitæ partem, intempeſtivo ſomno perdere ſolent, quique à ſomno excitati tam ægrè è lecto divelluntur, ut, dum oſcitant, caput ſcalpunt, ſuoſque nervos diſtendunt, tota præterfluat hora. Si Faber ærarius ob vile lucellum ſurgit ante lucem, quanto magis juvenes expergefacere debet amor cœleſtis ſapientiæ, quæ apud *Salomonem* clamitat: *Qui manè vigilaverint ad me, invenient me.* Non mediocris profectus eſt, ſi quis ſuo quæque tempore gerat, & matutinas horas ſtudiis impen-

dat; cùm certum ſit, in ſtudiis plus effici unâ horâ matutinâ, quàm tribus pomeridianis, idque nullo corporis detrimento. Ne igitur tam pretioſi temporis jacturam faciamus, noſtrum, ſi placet, Colloquium incipiamus ab Hæreſibus, & Controverſiis, quibus Sæculo decimo tertio vexata eſt Eccleſia. Dein, alias expendemus Hæreſes, & Controverſias, quæ Sæculo Eccleſiæ decimo quarto originem habuerunt.

D. Albigenſium hæreſeos exordia, errorum portenta, flagitiorumque monſtra ſat ſupèrque in tertio Colloquio in Hiſtoriam Sæculi duodecimi exhibuiſti. At, cùm execrabilis illa Secta, ſicut ibidem obſervaſti, Sæculo decimo tertio ita invaluerit, ut ad eam exterminandam neceſſe fuerit Sacram militiam indicere, præſtat nunc, ut breviter deſcribas felicem fauſtumque exitum illius Sacræ militiæ, quâ feralis illa Hydra lethali vulnere petita tandem aliquandò obtrita ac profligata eſt.

M. Quòd Hæreticis à Deo, à conſcientia, & à bona mente relictis uſu venire ſolet, ut videlicèt, in illo barathro, in quod ſe temerè conjecerunt, pertinaciùs hærere ac perire, quàm ex eo emergere & reſipiſcere malint; Id Hæreticis Albigenſibus, quos penitùs occæcaverat impietas cum ſingulari ſuperbia conjuncta, contigiſſe compertum eſt. At enim nefariæ iſtius Sectæ Principes, qui ſub finem duodecimi Sæculi, ſat habuerant in privatis, & in publicis congreſſibus, in tenebris & in luce, verbo, ſcriptoque ſpargere, diſſeminare, propagare virus impietatis ſuæ, & eâ virtutis probitatiſque ſpecie, quàm gnavitèr mentiebantur, populum ſuis erroribus iniquè cor-

rum-

rumpere; tandem ineunte Sæculo XIII. inſolentiores facti, & *Raymundi* Comitis Toloſani fulti præſidio, in Eccleſias immanitèr graſſari cœperunt, Templa ſpoliarunt, incenderunt domos, violarunt Sacras Virgines, innoxios trucidarunt, Sacerdotes exquiſitiſſimis ſuppliciis & acerbiſſimâ morte affecerunt, atque plures florentiſſimi Galliarum Regni Provincias ferro flammâque devaſtarunt. Ferebatur ad pompam error civium ſanguine ſatiato furore armatus, cui parentes liberis, opibus divites, imi è plebe capite ſuo litabant. Tantâ mole miſeri laborabant, ut fallerentur, ut perirent. Horum ſe furoribus ac ſtragibus oppoſuit *Innocentius III.* qui tum temporis univerſæ Eccleſiæ clavum felicitèr regebat, & ut commune illud incendium reſtingueret, conſiliis improborum reſiſteret, audaciam debilitaret, machinationes frangeret, erroremque è Galliarum Regno deturbaret, ſacram militiam adverſus hæreticos Albigenſes, quos ad meliores partes reduci, &, depoſitis erroribus, ad mentis ſanitatem feriò converti poſſe nulla ampliùs ſpes erat, indixit. Collectus itaque eſt Cruceſignatorum exercitus, cui, præter multos Duces ac Comites, inſcribi voluerunt innumeri Epiſcopi & Eccleſiaſtici viri. Ejuſdem Sacri Belli Dux electus eſt *Simon* Comes *Monfortius*, cujus præclaras dotes deſcribit *Petrus de Valle Cernaii* cap. 18. *Hiſtoriæ Albigenſium*. Totus igitur in Catholicorum cauſam incumbens *Simon Monfortius*, Heros invictiſſimus, uno armorum impetu & continenti ſerie triumphorum Hæreticos Albigenſes debellavit, & inſtar *Judæ Machabæi*, Cœlo pro ipſo pugnante, cunctis humanis viribus ſuperior viſus eſt. *Biterras*

primùm copias duxit. Capta Urbs, ac Civium cædes promiſcuè facta eſt ipsâ die Sanctæ *Mariæ Magdalenæ* ſacrâ, quam Chriſti concubinam, per ſummam blaſphemiam ſcelerati illi Hæretici appellare non verebantur. Mox Carcaſſona, & cæteræ Urbes, Caſtraque perduellium munitiſſima ſeſe victori *Simoni Monfortio* dediderunt. Comitis Fuxenſis copiæ, qui *Raymundo* Comiti Toloſano fœderatus erat, ad Caſtrum Sancti *Martini* fuſæ, diſſipatæ ac profligatæ ſunt. Denique ad *Murellum*, ſeu *Muretum*, in agro Toloſano Oppidulum, *Simon Monfortius* de Albigenſibus inſignem reportavit victoriam. Habebant Albigenſes in ſuo exercitu centum millia armatorum, quorum agmen ducebat *Petrus* hujus nominis *II.* Aragonum Rex, qui ſuppetias tulerat affini ſuo Comiti Toloſano, utpote cui ſororem ſuam *Leonoram* collocaverat. Ex adverſo *Simon Monfortius*, qui non plures octingentis equitibus, & mille peditibus in exercitu ſuo numerabat, divino præſidio confiſus prælium conſeruit, & præeunte Sancto *Dominico* Ordinis Prædicatorum Fundatore, qui, velut alter *Moyſes*, inter graviora diſcrimina intentiſſimis ad Deum precibus vacabat, & Crucifixi effigiem, quam manu gerebat, militibus oſtentabat, ingentem hoſtium multitudinem cæcidit, atque internecione delevit, quos inter *Petrus* Aragonum Rex pugnans occubuit. Plus viginti millia deſiderata, cæteri armis exuti, ſicut referunt *Paulus Æmilius*, *Petrus de Valle Cernaii* cap. LXXI. & LXXII. Hiſtoriæ Albigenſium, & *Rigordus* in lib. *de Geſtis Philippi Auguſti* ad annum MCCXIII. At, proh dolor! ſtrenuus militiæ Dux *Simon Monfortius*, qui tot pericula eva-

ſerat,

ſerat, totiès è medio igni ac ferro ſalvus & incolumis redierat, dùm Toloſam obſidet, vibrato per machinam ſaxo lęſus interiit anno MCCXVII. & Comitatum Toloſanum, quo, ob egregia ſua in Eccleſiam promerita, & propter Apoſtaſiam *Raymundi* Comitis Toloſani, donatus fuerat, reliquit filio ſuo *Amalrico*. Paulò poſt, *Raymundus*, qui, ut mox diximus, ob ſuam Apoſtoſiam Comitatu Toloſano abdicatus fuit, ſubitâ morte extinctus eſt, ſacrâque ſepulturâ privatus, quòd impœnitens obiiſſet, & Eccleſiam, dum viveret, ſuâ, in fovenda ac propaganda Albigenſium hæreſi, pervicaciâ, dilaceraſſet. Hic *Raymundus* ſuperſtitem reliquit eiuſdem cognominis filium, dictum *Raymundum Juniorem*, qui, Comitatum Toloſanum, quo ſuus pater exutus fuerat, armis repetere volens, Bellum movit contra *Amalricum*, qui in poſſeſſionem ejuſdem Comitatus patri ſuo *Simoni Monfortio* ſucceſſerat. Sed *Amalricus* hujus Belli molem viribus imparem ſuis expertus, Jura ſua transfudit in *Ludovicum VIII.* Galliarum Regem, qui numeroſum exercitum Cruce inſignitum duxit in Albigenſes, oppida, caſtraque plurima, & Avenionem poſt trium menſium obſidionem recepit anno MCCXXVII. ſicut Geſta ejuſdem Regis, & *Guillelmus de Podio Laurentii* teſtantur. Demùm, ſacro contra Albigenſes Bello ſuſcepto, S. *Ludovicus* Galliarum Rex hujus nominis *IX.* adhortante *Gregorio IX.* ſuis Litteris Apoſtolicis, quas Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXXVIII. finem impoſuit, induxitque *Raymundum Juniorem* ut conſentiret in eas pacis conditiones, quas inter, hæ præcipuæ erant, ut *Raymundus* Comitatum Toloſanum ab

Hæreticis Albigenſibus purgaret, eoſque viis omnibus exterminaret: Damna, illata Eccleſiis ac Monaſteriis, reſarciret, earumque Jura & libertates defenderet: *Joannam*, filiam ſuam unicam, uni ex Regis Galliarum fratribus daret uxorem, quo ex matrimonio, ſi nulli procrearentur liberi, nihilominùs Toloſanus Comitatus, poſt eorum ac *Raymundi* Comitis obitum, ad Galliarum Regem, ejuſque ſucceſſores tranſiret. Has & alias hujuſmodi conditiones pacis contentas in Tractatu, quem referunt *Ducheſnius* Tomo 5. *Hiſtoriæ Francorum Scriptorum*, & *Catellus* Hiſtoriæ Comitum Toloſanorum lib. 2. poſtquàm juraſſet *Raymundus* Comes in die Sancto Paraſceves, præſente S. *Ludovico* Galliarum Rege, & innumerâ Prælatorum, Procerumque multitudine, abſolutionem à ſententia excommunicationis, quâ perculſus fuerat, accepit à Legato Apoſtolico, qui ei in pęnitentiam iniunxit, ut Crucem contra Saracenos ſumeret, & ſacram Militiam in Palæſtina per quinquennium gereret. Hunc in modum finitum eſt Bellum ſacrum, & extincta planè in Galliis Albigenſium Hæreſis, ſuas etiam hanc in rem curas conferente ipſomet *Raymundo Juniore* Comite Toloſano, qui ad exaltationem Fidei Chriſtianæ, ad radicitùs extirpandam Hæreticam pravitatem, ad conſervationem pacis, & ad bonum totius Comitatus Toloſani ſtatum conſervandum & in melius reformandum Sanctiſmas Leges tulit anno MCCXXXIII.

D. Pernicioſiſſimis Hæreticorum conatibus, ne Religioni noceant, & Catholicæ Eccleſiæ pacem perturbent, armis temporalibus reſiſtendum eſſe, nemo certè negare poteſt. Si enim ille, qui ho-

hoſtem, ferrum ac flammam minitantem, atque jugulum patriæ petentem quieto, tranquilloque videret animo, vel ei perfunctoriè aut leviter ſe opponeret, impius, reuſque perduellionis haberetur, & niſi contenderet acerrimè, vimque vi defenderet, defuiſſe Reipublicæ meritò cenſeretur; quantò magis exardeſcere debent avitæ Religionis propugnatores, & armis etiam temporalibus, ſi neceſſe ſit, comprimere furorem hæreticorum, qui ad ſuos ſtabiliendos errores conjurantes, in Religionem, quâ nihil ſecundùm Deum antiquius habere debemus, hoſtiliter graſſantur. Optimè itaque ſe geſſit *Innocentius III.* Pontifex Maximus, dum ſacram Militiam ad frangendos Hæreticorum Albigenſium impetus, indixit, ſecutus hac in re laudatiſſimum illum morem, quem, ut nuperrimè audivi à viro erudito, à tempore *Conſtantini Magni* Imperatoris omnia comprobarunt Eccleſiæ Sæcula. Sed dicas nunc, quæſo, quid ſibi velit iſtud Sanctæ Inquiſitionis Officium, quod ad exſcindendas Albigenſium Hæreſeos reliquias Fratribus Prædicatoribus à Sede Apoſtolica demandatum eſſe dicitur?

M. Ad Hæreſeos Albigenſium expugnationem & Hæreticorum converſionem miſerat *Innocentius III.* Pontifex Maximus Legatos Apoſtolicos *Arnaldum* Ciſtercienſem Abbatem, *Petrum de Caſtro novo*, & *Rodulphum* ejuſdem Ordinis Profeſſores, qui, adjunctis ſibi Ciſtercienſis itidem Ordinis duodecim Abbatibus, Hæreticos ad gremium Eccleſiæ quà fervidis concionibus, quà diſputationibus, reducere pro viribus tentarunt. Acceſſit Sanctæ Dux Prædicationis *Didacus*, Oxomenſis in-

Hiſpania Epicopus, cum *Dominico*, ſuo itineris & laborum indivulſo ſocio, quem inter Canonicos Regulares ſuæ Eccleſiæ Oxomenſis anno MCXCIV. ſuſceperat. Animadvertens autem *Didacus*, quòd Ciſtercienſes Albigenſium Hæreticorum converſionem huc uſque parùm promoviſſent, illis author fuit, ut dimiſſis equis, quibus vehebantur, & abjectis auro, argento, famulitio, ac ſuperfluo comitatu, Apoſtolicam prædicandi rationem ſequerentur, & unicuique termini proprii aſſignarentur, per quos diſcurrendo, prædicationi inſiſterent, & diſputationibus inſudarent, ſicut teſtatur *Petrus de Valle Cernaii* Ciſtercienſis Monachus cap. 5. *Hiſtoriæ Albigenſium*. Eo in munere cùm biennium Apoſtolico fervore *Didacus* Oxomenſis Præſul & *Dominicus* inſumpſiſſent cum Apoſtolicis Legatis, & aliis Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus; *Didacus* in Eccleſiam ſuam reverſus eſt, *Dominico* Duce prædicationis adversùs Albigenſes paucis cum ſociis (nam & Ciſtercienſes Abbates diſceſſerant) relicto. Novem annos Vir Dei *Dominicus* in Hæreſis confutationem, in prædicationem ac defenſionem fidei ſtrenuè & intrepidè incubuit, verbo, precibus, miraculis Catholicam Religionem propugnavit; Sacræ Inquiſitionis Officium adverſus hæreticam pravitatem in Provincia Narbonenſi, & maximè Toloſæ & Carcaſſonæ authoritate Romanorum Pontificum *Innocentii III.* & *Honorii III.* magno cum animarum fructu exercuit, utque Eccleſia ad expugnandos, vel convertendos Hæreticos perpetuum haberet fidei fulcimentum, inſtituit clariſſimum Ordinem Fratrum Prædicatorum, quibus pro tutanda fide Catholica jugiter excubātibus Sanctæ

ſtæ Inquiſitionis Officium commiſerunt Romani Pontifices, ſeu eis ad hoc officium delectis authoritatem dederunt inquirendi in Hæreticos, & in eos debitis pænis animadvertendi, ſi reſipiſcere, ſuoſque errores ejurare nolint. Non me fugit quantùm Hæreticis diſpliceat illud Sanctæ Inquiſitionis Officium, quod unus ex illis, videlicèt *Guillelmus Cave* in *conſpectu Sæculi Scholaſtici*, ut vocat, ſeu decimi tertii, ſuæ *Hiſtoriæ Litteralis*, infrunito ore appellat *Graviſſimum & ab Orco petitum Chriſtianæ Religionis dedecus ſimul & flagellum, conſcientiarum carnificinam, ſummæque tyrannidis, & crudelitatis officinam, qua Siculi non invenere tyranni majus tormentum*. Verùm, ad confutandam hanc Hæreticorum calumniam, quam ſurdâ aure præterire haud poſſum, ſufficiat hìc brevitèr obſervare, tribus potiſſimùm de cauſis Sanctæ Inquiſitionis Officium fuiſſe in Eccleſia ſapientiſſimè inſtitutum. Primò, ut ſanari poſſint Hæretici, qui ſuam miſereri ſortem nolunt. Eſt enim id Novatorum omnium ingenium, ut in quemcumque incurrerint aut impegerint errorem, ad eum omni animi inductione ac voluntate adhæreſcant, nec ad ſaniorem mentem, niſi adhibitâ aliquâ ſeveritate, redire valeant. Quid autem medico crudelius eo, qui in ægrotum indulgentior, ferrum in vulnus & cicatricem altiùs adigere reformidet? Hæc nimia humanitas pro crudelitate, ſævitia contrà, rigidiorque ſeveritas pro humanitate ſumma haberi debet. Quòd ergò aliquam ergà contumaces Hæreticos ſeveritatem adhibeat Sanctæ Inquiſitionis Officium, non indè culpari, ſed potiùs maximè commendari debet, cùm eâ ſeveritate ſæpiùs corrigan-

tur Hæretici, ſuumque perverſum mentis habitum emendantes, amiſſam animæ ſalutem adipiſcantur: *Clamet, vociferetur æger impatiens per dolorem*, inquit *S. Cyprianus* in lib. de Lapſis, *gratias aget, poſtquam ſenſerit ſanitatem*. Secundò, inſtitutum eſt Sanctæ Inquiſitionis Officium, ut populi profligatiſſimas hæreticorum doctrinas fugiant, horreant & execrentur. Si enim Hæretici, impunè & nullo ſuppliciorum metu coerciti, ſuas poſſent diſſeminare doctrinas, facilè excitarent incendium, quod auris omnibus & flabellis accenſum ſerperet, gliſceret, graſſaretur, ac, nullo ſeſe opponente curſui flammarum, incautos populos involueret. At, dùm Sanctæ fidei Quæſitores, ad primam novitatis auram, errorem acritèr oppugnant, & Hæreticos, Hæreſeoſque fautores confeſtim in ordinem redigunt, tam prompto, tamque ſalutari adhibito remedio efficiunt, ut novitas variis multiplicibuſque lenociniis hominum animos non permulceat. Deniquè, Sanctæ Inquiſitionis Officium inſtitutum eſt ad fovendam Regnorum tranquillitatem, quæ diù profectò ſtare non poteſt, dum Religionis divortia vigent, & populi erroribus ab Hæreticis ſparſis afflati de ſumma re diſſident, ac magno animorum æſtu inter ſe digladiantur. Ex his quippe diſſenſionibus oriuntur factiones, ex factionibus creſcit audacia, ex audacia contemptus legum & legitimæ dominationis odium. Hinc rebellio, Bellumque prorupit eò ſævius, quòd Religionis & Sacrorum causâ utrinque movetur; ex Bello verò ſtrages, ruinæque innumeræ prodeunt, quæ longo temporis progreſſu vix ac ne vix quidem reſarciri poſſunt. Tot graviſſimis malis omnem aditum pręclu-

cludunt, vel ſaltem præſentiſſimum remedium afferunt fidei Inquiſitores, quippè qui Hæreſes in ſuis cunis præfocant, Hæreticis larvam detrahunt, eorumque malis detectis artibus, omnem facultatem aliis nocendi, ſuoſque inſtillandi errores penitùs adimunt. Iſtud itaque Sanctæ Inquiſitionis Officium ſibi à Summis Pontificibus concreditum magno fervore contra Hæreticos Albigenſes obierunt Fratres Prædicatores, quorum tamen zelus, & ſevera in Hæreticos eorumque fautores juſtitia tam gravem adversùs ipſos perſecutionem excitavit, ut in odium Inquiſitionis ex urbe Toloſa ſecedere compulſi, ſacro inſtructo agmine, ſicut refert *Spondanus* ad annum MCCXXXIV. bini & bini exierint, animis ad martyrium comparatis, Symbolum Fidei, & Antiphonam *Salve Regina* concinentes. Qua in re egregii illi Fidei Athletæ contra Hæreticos intrepidis animis decertantes, ſecuti ſunt exempla Sanctorum Patrum *Athanaſii, Auguſtini, Hieronymi* & aliorum, qui Hæreticorum conatibus ſeſe acerrimè oppoſuerunt, eos ſeveriore ſtylo confixerunt, nec timuerunt unquàm, ne à procacibus illis hominibus appeterentur viciſſim acerbioribus iniuriis, ſed potiùs quidquid plagarum ab illis accipiebant, in decorum & beneficiorum loco reponebant. Sed de zelo Fratrum Prædicatorum in expugnandis & convertendis Hæreticis plura in ſexto Colloquio dicemus.

D. Debellatâ hac peſtiferâ Albigenſium hæreſi, quæ tot ac tantas in Galliis excitavit tragædias, emerſeruntne ſæculo decimo tertio aliæ hæreſes, quæ florentiſſimum Galliarum Regnum virulento ſuo anhelitu infeſtarint?

M. Li-

M. Libri *Ariſtotelis* Sæculo Eccleſiæ decimo tertio Conſtantinopoli recens in Gallias aſportati, è Græco idiomate in Latinum tranſlati, & ab erroribus, quos continebant, necdùm purgati, occaſionem præbuerunt quibuſdam ſubtilioribus Theologis in Galliis nova procudendi commenta, &, relictâ verâ ac puriori veterum Patrum doctrinâ, ex turbidis Arabum lacunis fœculentos proferendi errores. *Homines* ſiquidem (ut rectè obſervat *Lactantius* lib.3. *Divinarũ Inſtitutionum* cap.11.) *ideò falluntur, quòd aut religionem ſuſcipiunt, omiſsa Sapientia, aut Sapientiæ ſoli ſtudent, omiſſa religione: cùm alterum ſine altero non poſſit eſſe verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, ſed ideò falſas, quia Sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat &c.* Hi Theologi rerum novarum cupidi, Ariſtotelis Philoſophiam in ſubſidium errorum, quos ſpargebant, advocantes; in cauſa fuerunt, cur libri illius Philoſophi, qui novorum ſemina errorum continere videbantur, damnati & combuſti fuerint in Concilio Pariſienſi anno MCCIX. celebrato, & *ſub pœna excommunicationis cautum, ne quis de cætero eos ſcribere, legere præſumeret, vel quoquo modo habere*, ſicut teſtatur *Rigordus* in vita *Philippi Auguſti* Galliarum Regis ad annum MCCIX. Hanc damnationis ſententiam in libros *Ariſtotelis* à Synodo Pariſienſi latam confirmavit *Gregorius IX.* Pontifex Maximus anno MCCXXXIII. in Bulla ad Magiſtros & Scholares Pariſienſes, quæ extat in Magno Paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis, eamque refert *Joannes Launojus* Doctor Pariſienſis in libro, quem edidit, *De varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna.* Dum Ariſtotelis Philoſophia tot ignominiæ notis inuſta

Pa-

Pariſiis exularet, & qui vel levitèr eam attigiſſent, hæreſis ſuſpicione aſpergerentur, commodùm adfuit S. *Thomas*, Doctor Angelicus, qui Ariſtotelis Philoſophiam præclaris ſuis Commentariis ſic illuſtravit, & ab erroribus repurgavit, ut eam fidei obſequio mancipatam Chriſtiani deindè Philoſophi, probante Apoſtolicâ Sede, & toto plaudente Orbe Catholico, obviis ulnis exceperint, atque pro ejus defenſione eas in Scholis pugnas moverint, quas vix boni Cives pro aris, ac focis ſuſcepiſſent.

D. Fortunæ *Ariſtotelis* certè non invideo, ſed eorum me miſeret, qui Sæculo Eccleſiæ decimo tertio ex lectione & ſtudio librorum hujuſce Philoſophi in varios abducti ſunt errores, qui, & quales fuerint, quoſve Authores habuerint? paucis hìc exponere debes.

M. Ineunte Sæculo decimo tertio *Almaricus* profeſſione Clericus, è territorio Carnotenſi, Villa, quæ *Bena* dicitur, oriundus; Pariſiis dum ſtuderet, & argutiis Ariſtotelicæ Dialecticæ plus æquo deditus eſſet, Hæreſim promulgavit, teſte *Rigordo* in *Vita Philippi Auguſti* Galliarum Regis ad annum MCCIX. ubi hæc habet; *Qui* (ſeu Almaricus) *cùm in arte Logica peritus eſſet, & Scholas de arte illa, & aliis artibus liberalibus diu rexiſſet, tranſtulit ſe ad ſacram paginam excolendam. Semper tamen ſuum per ſe modum docendi & diſcendi habuit, & opinionem privatam, & judicium quaſi ſectum, & ab aliis ſeparatum. Unde & in ipſa Theologia auſus eſt conſtanter aſſeverare, quòd quilibet Chriſtianus teneatur credere ſe eſſe membrum Chriſti, nec aliquem poſſe ſalvari, qui hoc non crederet, non minus quàm ſi non crederet Chri-*

ſtum

ſtum eſſe natum & paſſum, vel alios Fidei articulos. Hunc *Almarici*, ejusque Sectatorum errorem damnavit Academia Pariſienſis anno MCCIV. cujus doctrinali judicio ſtare nolens *Almaricus* ad Summum Pontificem *Innocentium III.* provocavit, Romamque profectus eſt. At, eo audito, lectis quoque litteris Academiæ Pariſienſis, & utrius partis æquâ lance ponderatis rationibus, Pontifex ſententiam adversùs eum latam confirmavit, præcepitque ut ſuum publicè & coram Academia Pariſienſi ejuraret errorem, quod quidem anno MCCVII. Pariſios reverſus *Almaricus*, fictè præſtitit, ore palinodiam cecinit, & corde hæreſim retinuit. Paulò poſt, in morbum lapſus, obiit & juxta Cœnobium S. *Martini de Campis* ſepultus eſt. Diſcipulos reliquit, qui novos errores impietati Magiſtri addiderunt, dictitantes primò, poteſtatem Patris duraſſe, quamdiù viguit Lex Moſaica: Legem novam à Chriſto conditam ad ſua uſque tempora vim habuiſſe, ſed eam deinceps cum omnibus ſuis Sacramentis antiquatam locum dediſſe Spiritus Sancti Regno, in quo Baptiſmus, Confeſſio, Euchariſtia & alia Sacramenta, & ſalutis adminicula jam non eſſent neceſſaria, ſed ſolâ gratiâ interiori Spiritus Sancti, citrà ullum bonorum operum exercitium, unumquemque ſalvari poſſe docebant. Prætereà, Charitatis virtutem ſic extollebant *Almarici* Diſcipuli, ut flagitia ipſa, ſtupra & adulteria, aliaque id genus graviſſima peccata per ipſam licita reddi aſſerere non dubitarent, mulierculis, quibuscum carnali commercio commiſcebantur, & rudibus, quos decipiebant, impunitatem peccati hoc pacto promittentes, ſicut refert *Rigordus*, Author coævus, ad annum MCCIX.

Alio-

Aliorum errorum Diſcipulos *Almarici* inſimulat *Cæſarius Heiſterbacenſis* lib. 5. Dialog. cap. 22. ubi illos accuſat, quòd dicerent primò, non aliter eſſe Corpus Chriſti in pane Altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re. Secundò, quòd aſſererent, Deum locutum fuiſſe in *Ovidio*, ſicut in *Auguſtino*. Tertiò, quòd negarent reſurrectionem corporum, affirmantes nihil eſſe Paradiſum, neque Infernum. Quartò, quòd Altaria in memoriam Sanctorum erigere, & thus coram ſacris Imaginibus adolere, Idololatriæ crimen eſſe pertenderent. Quintò, quòd eos, qui oſſa Martyrum deoſculabantur, ſugillarent. Poſtremò, quòd docerent, eum, in quo eſt Spiritus Sanctus, peccare deinceps non poſſe, & fornicationem ab ipſo perpetratam peccatum eſſe negarent. Ex quo cœnoſo iſtorum hæreticorum gurgite *Calvinum* peſtilentem ſuam hæreſim *de Inamiſſibili Juſtitia* quocumque admiſſo flagitio, excepto ſolo Apoſtaſiæ à fide peccato, in ſuam ſectam derivaſſe, haud ægrè mihi perſuaſerim. Hujus Sectæ *Almarici* diſcipulorum Coriphæus erat quidam *Willelmus* Aurifaber qui, ut auram popularem aucuparetur, quaſi à Deo miſſus eſſet, & Prophetiæ dono illuſtratus, quatuor plagas infra quinquennium eventuras vaticinabatur, famem ſcilicet ſuper populum, gladium ſuper Principes, terræ hiatum ad Cives abſorbendos, ignem ſuper Eccleſiæ Prælatos, quos Antichriſti membra impudorato ore appellabat, Romanum verò Pontificem Antichriſtum, & Romam Babylonem vocabat. Sic omnes Eccleſiæ Miniſtros canino dente rodebat Arcadius ille Opilio, qui tamen, ut *Philippi Auguſti* Galliarum Regis ſibi favorem conciliaret, dicere ſolebat, omnia Mundi Regna

ſub

ſub Lege Spiritus Sancti, huic Galliarum Regi, ejusque filio, fore propediem ſubjicienda. Contra illos Sectarios, *Almarici* diſcipulos, *Petrus*, Pariſienſis Epiſcopus, Synodum Pariſienſem indixit anno MCCIX. in qua eos ſiſti juſſos & convictos damnavit, & ne ulteriùs inſanirent, præcepit Rex Chriſtianiſſimus, ut alii ultricibus flammis addicerentur, alii perpetuo carcere plecterentur, ſolis mulieribus veniâ conceſsâ. *Almarico*, qui hanc peſtem intulerat, Anathema in hoc Concilio Pariſienſi dictum eſt, ejuſque oſſa exhumata & in ſterquilinium diſperſa. Proſcripti etiam fuêre & exuſti libri *Davidis Dinantii*, ſeu *de Dinando* Almarici diſcipuli, qui aſſerebat, Deum eſſe Materiam primam, contra quem errorem doctiſſimè diſputavit S. *Thomas*, Doctor Angelicus, lib. I. contra Gentes cap. 17. & primâ parte ſuæ Summæ quæſt. 3. art. 8. Poſtremò, *Almarici* Hæreſis confixa eſt anno MCCXV. in Concilio Generali Lateranenſi IV. cap. 2. his verbis: *reprobamus etiam & damnamus perverſiſſimum dogma impii Almarici, cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.*

Eodem Sæculo Eccleſiæ decimo tertio fuerunt alii in Galliis Theologi, ſeu potiùs Theologaſtri, qui neglecto prorsùs Scripturæ, & Sanctorum Patrum doctrinæ ſtudio, ad frivolas Ariſtotelicæ Philoſophiæ regulas noſtram erga Deum fidem exigere voluerunt, & in rebus divinis nihil præterquàm philoſophantes, vaniſſima, ſupra quàm credibile ſit, opinionum commenta procuderunt, affingentes, detrahentes, circumſcribentes, dividentes, promiſcuè, & indiſcriminatim invertentes audacter

dacter,temerè, arbitratu ſuo. Hanc effrænem & à Sæculis inauditam de rebus divinis diſſerendi licentiam ægrè tulit *Guillelmus* hujus nominis *III.* Epiſcopus Pariſienſis, & in Concilio, quod an. MCCXL. convocavit, decem damnavit errores ex Scriptis Anonymis excerptos,qui erant his verbis concepti: I. *Divina eſſentia in ſe, nec ab Angelo, nec ab homine videtur, nec videbitur*. II. *Licèt Divina Eſſentia eadem ſit in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, tamen ut hæc eſt eſſentia, & in ratione formæ, una eſt in Patre & Filio, non in Spiritu Sancto*. III. *Spiritus Sanctus, prout eſt amor & nexus, non procedit à Filio, ſed tantùm à Patre*. IV. *Multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non ſunt ipſe Deus*. V. *Primum nunc, vel principium, & creatio paſſio, non ſunt Creator vel creatura*. VI. *Angelus malus in primo inſtanti ſuæ creationis fuit malus, & nunquam fuit non malus*. VII. *Nec Animæ glorificatæ, nec corpora glorioſa, vel glorificata, erunt in Cælo Empyreo cum Angelis; immò nec Beata Virgo, ſed in Cælo aqueo, vel cryſtallino*. VIII. *Angelus in eodem inſtanti poteſt eſſe in diverſis locis, & eſt ubique ſi vult*. IX. *Cujus meliora fuerint naturalia, neceſſariò major erit gratia, & gloria*. X. *Diabolus nunquam habuit unde poſſet ſtare. Nec etiam Adam in ſtatu innocentiæ*. His decem erroribus jam laudatus *Guillelmus* Archiepiſcopus Pariſienſis, & Magiſtri Facultatis Pariſienſis, qui huic Concilio aderant, totidem Articulos oppoſuerunt hoc tenore: I. *Firmiter credendum eſt, & nullatenùs dubitandum, quod Deus in ſua ſubſtantia, eſſentia, vel natura, videbitur ab Angelis Sanctis, & animabus glorificatis*. II. *Una eſt eſſentia ſubſtantialis vel natura in Patre & Filio, & Spiritu Sancto.*

Et eadem eſſentia in ratione formæ in tribus Perſonis. III. *Spiritus Sanctus, prout nexus eſt & amor, procedit ab utroque, ſcilicet à Patre & Filio*. IV. *Una ſola veritas fuit ab æterno, quæ eſt Deus. Et nulla veritas fuit ab æterno, quæ non ſit illa veritas*. V. *Primum nunc & creatio paſſio, eſt creatura*. VI. *Malus Angelus aliquando fuit bonus, & poſt peccando eſt malus*. VII. *Idem eſt corporeus locus, ſcilicet Empyreum Cælum, Sanctorum Angelorum, & Beatarum Animarum: & idem erit corporum humanorum glorificatorum. Et ſimiliter idem eſt locus ſpiritualis Sanctorum Angelorum, & hominum bonorum*. VIII. *Angelus eſt in loco per diſtinctiones: ita quòd ſi eſt hìc, non eſt ibi in eodem inſtanti. Impoſſibile eſt enim eum in eodem inſtanti eſſe ubique, cùm hoc ſit proprium Dei*. IX. *Secundùm quod præordinatum eſt & prædeſtinatum à Deo, dabitur gratia & gloria*. X. *Malus Angelus & Adam habuerunt unde poſſent ſtare, etſi non unde poſſent proficere*. His Articulis proviſum quidem eſt ſanæ doctrinæ, ſed non repreſſa ea, quæ apud Theologos in Galliis inoleverat, de rebus divinis philoſophandi prurigo. Eodem ſiquidem anno MCCXL. F. *Guillelmus* Ordinis Fratrum Minorum Profeſſor, in Sermone de S. *Joanne Baptiſta*, quem in Fratrum ſuorum Eccleſia habuerat ad populum, duas propoſitiones erroneas aſſeruit, de quibus à ſupra laudato Epiſcopo Pariſienſi, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoribus publicè reprehenſus, eas coram frequentiſſimo cœtu damnare compulſus eſt. Prima propoſitio hæc erat: *Liberum arbitrium habet potentiam naturalem ad recipiendam gratiam, non effectivam, aliquo modo, ideſt, gratiæ receptioni cooperantem*. Secunda: *Qui damnatus eſt, nunquam-*

quam fuit in gratia, ſed ſemper Iſmaël aut Judas fuit, & nunquam Joannes. Seneſcente Sæculo decimo tertio, hoc eſt, anno MCCLXX. *Stephanus Templier* Epiſcopus Pariſienſis, tredecim proſcripſit propoſitiones erroneas, quibus nonnulli Theologi Pariſienſes Ariſtotelicæ Philoſophiæ ſubtilitatibus deluſi ſanam Theologiam corrumpebant. Hæ autem propoſitiones his verbis erant conceptæ: I. *Intellectus omnium hominum eſt unus idem numero*. II. *Illa propoſitio eſt falſa, vel impropria: Homo intelligit*. III. *Voluntas hominis ex neceſſitate vult, vel eligit*. IV. *Omnia, quæ in inferioribus aguntur, ſubſunt neceſſitati corporum cœleſtium*. V. *Mundus eſt æternus*. VI. *Nunquam fuit primus homo*. VII. *Anima, quæ eſt forma hominis, ſecundùm quod homo eſt, corrumpitur corrupto corpore*. VIII. *Anima ſeparata non patitur ab igne corporeo*. IX. *Liberum arbitrium eſt potentia paſſiva, non activa, quæ neceſſariò movetur ad appetibile*. X. *Deus non cognoſcit ſingularia*. XI. *Deus non cognoſcit aliud à ſe*. XII. *Actus humani à divina providentia non reguntur*. XIII. *Corruptibili rei Deus immortalitatem, vel incorruptionem dare non poteſt*. Alios errores, quos in Theologiam invexerat Ariſtotelica philoſophia, & quorum palmaris hic erat: *Quædam ſunt vera ſecundùm Philoſophiam, ſed non ſecundùm fidem Catholicam*, damnavit idem *Stephanus Templier* Epiſcopus Pariſienſis anno MCCLXXVII. ad quem eâ de re *Joannes XX.* vulgò dictus *XXI.* Pontifex Maximus ſcripſit his verbis; *Relatio nimis implacida noſtrum turbavit auditum, amaricavit & animum, quod Pariſiis, ubi fons vivus ſapientiæ ſalutaris abundanter huc uſque ſcaturiit, ſuos rivos limpidiſſimos, Fidem patefacientes Ca-*

tholicam, uſque ad terminos Orbis diffundens, quidam errores in præjudicium ejuſdem Fidei pullulaſſe noſcuntur. Volumus itaque, tibique auctoritate præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs diligenter facias inſpici, vel inquiri, à quibus perſonis, & in quibus locis errores hujuſmodi dicti ſunt, ſive ſcripti, & quæ didiceris, ſive inveneris conſcripta, fideliter nobis per tuum Nuncium tranſmittere non omittas. Verùm, cùm nullis Cenſuris Eccleſiaſticis cohiberi poſſet hæc ingeniorum laſcivia, multique indies exurgerent Theologi, qui ſecuris antiquæ Theologiæ relictis callibus, novos, ac nullius adhuc tentatos veſtigiis, quærebant, & doctrinas flagitioſâ ſuâ novitate infames obtrudebant, cauſam tandem ſuam vindicavit ipſe Deus, & unum ex iſtis errorum Architectis terribili morte punivit, quam noſter *Thomas Cantipratanus*, Auctor coævus, lib. 2. *de Apibus* cap. 48. num. 5. his verbis deſcribit: *Magiſter Simon de Tornaco Pariſiis in Theologia regebat, & erat excellens ille ſuo tempore; ſed contra decentiam talis officii ſupra modum incontinens, & ſuperbus. Hic cùm ſuper omnes Doctores Civitatis auditores haberet, & in Schola coram omnibus de humilitate altiſſimæ doctrinæ Chriſti quæſtionem, diſputatione præhabita, terminaret, in fine tandem datus in reprobum ſenſum in execranda contra Chriſtum blaſphemiæ verba prorupit. Tres ſunt, inquit, qui Mundum ſectis ſuis & dogmatibus ſubjugarunt; Moyſes, Jeſus, & Mahometes. Moyſes primò Judaicum populum infatuavit. Secundò, Jeſus Chriſtus à ſuo nomine Chriſtianos. Tertiò, Gentilem populum Mahometes. Nec mora, everſis oculis pro humana voce mugitum emiſit, & epilepſia ſtatim eliſus in terram die tertio ejuſdem morbi vindictam acce-*

accepit. Plaga ergo inſanabili eum percuſſit Omnipotens, & omni ſcientia uſque ad prima literarum elementa privavit, & graviori quidem in anima cum hac plaga percuſſus eſt, cum uſque in diem mortis ſuæ quaſi mutus comparatus eſt jumentis inſipientibus, & in luxuriæ fœditate permanſit. Et vide ſupremæ admirationis miraculum: Aleydem fornicariam, concubinam ſuam, nominare poterat & ſciebat, Boetium verò de Trinitate, qui juxta eum ad ſpectaculum ponebatur, quem olim corde tenùs ſcierat, poſt inditam plagam nec nominare noverat, nec valebat. Eo ſtupendo prodigio didicerunt illius temporis Theologi, qui arcanas æterni Numinis divitias curioſiùs perſcrutari audebant, de Deo ſilere, quàm loqui, longè cautius, melius, ac convenientius eſſe.

D. Multùm vereor, ne iſthæc Theologorum Pariſienſium de rebus divinis diſſerendi prurigo intulerit Academiæ Pariſienſi Sæculo Eccleſiæ decimo tertio graviſſima damna?

M. Ita eſt: Magiſtri Academiæ Pariſienſis, à *Guillelmo de Sancto Amore*, viro jurgioſo,& in ſua procacia obſtinato, potiſſimùm inſtigati, contra Fratres Prædicatores ejuſdem Academiæ alumnos tumultus concitarunt, qui celeberrimam illam Univerſitatem in ſummum diſcrimen Sæculo decimo tertio adduxerunt. Hæc invidioſa lis, & funeſta controverſia,cujus memoriam refricare cogunt me Hiſtoriæ leges, initium habuit anno MCCXXX. Regnabat tum temporis in Galliis S. *Ludovicus* hujus nominis *IX.* ſub tutela matris ſuæ *Blanchæ* adhuc conſtitutus, apud quem Univerſitas Pariſienſis de vi Scholaribus ſuis per cives & incolas Suburbii San-Marcellini Pariſiis illatâ, & de non-

nullorum morte indè ſecutâ cùm fuiſſet conqueſta; non modò repulſam paſſa eſt, ſed ad eam comprimendam diſpoſitæ ſunt Prætorianorum militum Cohortes in armis. Eâ re offenſa Univerſitas Pariſienſis à Lectionibus abſtinuit,& Magiſtri Pariſiis ſecedentes, alii Remos, alii Andegavum, alii aliò abierunt, libertati & ſecuritati ſuæ locum tutiorem quærentes. Diſſipatis ergo hàc illàc Magiſtris, Fratres Prædicatores, nè omninò conticeſcerent Muſæ Pariſienſes, Cathedram unam Magiſtralem in Theologia, conſentientibus *Guillelmo* Epiſcopo Pariſienſi, & Cancellario Academiæ Pariſienſis, tenuerunt. Quadriennio poſt, Pariſios reverſis Magiſtris, & reſtituto in integrum Studio Pariſienſi, alteram Cathedram Theologicam erexerunt Fratres Prædicatores. Quæ res magnorum inter Magiſtros Pariſienſes, & Fratres Prædicatores diſſidiorum cauſa fuit ac Seminarium. Ægrè ſiquidem ferentes Magiſtri Pariſienſes, quòd Fratres Prædicatores duas Cathedras Theologicas haberent, & veriti, ne alii Religioſorum Ordines id facere contenderent, ſicque ſuis ipſimet ſedibus pellerentur; hoc Decretum communibus votis ſanxerunt & edixerunt, *ut nullus Regularium Conventus duas ſimul Cathedras ſolemnes & Theologicas in poſterum obtineret*. Huicce Decreto Fratres Prædicatores ſe minimè obtemperaturos palàm profeſſi ſunt, eò quòd duas Cathedras jam per aliquot annos pacificè occuparant, & ſummâ cum laude, atque Diſcipulorum applauſu rexerant. Utcùmque tamen inter eos & Academicos pax coaluit uſque ad annum MCCLI. quo tempore, ut inquit *Wadinghus* in Annalibus Minorum ad hunc annum: *Orta eſt magna diſ-*

ſenſio

ſenſio inter Academicos Pariſienſes, & Mendicantes, præcipuè Fratres Prædicatores. Controverſia exordium habuit à quibuſdam Statutis editis à Magiſtris Univerſitatis & ſuſpenſione lecturæ propter irrogatas aliquas injurias Scholaribus (quorum aliqui percuſſi, alii in carcerem truſi, vel trucidati fuerunt.) *Conſtitutionibus injuſtis dum noluerunt ſubſcribere, duo Ordinis Prædicatorum, Bonus-homo, & Helias dicti, facti ſunt extra Scholas. Conquerentes apud S. Sedem exaudiuntur ab Innocentio IV. & jubentur in priſtinum ſtatum reſtitui*. Nec ſolùm ab *Innocentio IV.* ſed etiam ab ejus ſucceſſore *Alexandro IV.* Fratres Prædicatores pro ſua in Academiam Pariſienſem reſtitutione in integrum quadraginta obtinuerunt Diplomata, quæ in Pariſienſis Eccleſiæ Tabulario aſſervantur, quibus Pariſienſis Academia aliquandiù reluctata, tandem aliquando ceſſit, & Fratres Prædicatores in ſocietatem Magiſtrorum Pariſienſium admiſit. Hanc tamen concordiam *Guillelmus de Sancto Amore* totis ſuis viribus impedire molitus eſt. Is quippè, Magiſtris *Odone de Duaco, Nicolao Decano de Barro ſuper Albam*, & *Chriſtiano* Canonico Bellovacenſi, aliiſque tractis in partes, ad infamandos Religioſos Mendicantes, & ex Academiæ gremio expellendos nihil intentatum reliquit, totumque virus in ipſos effudit in libello malè conſarcinato, cui titulum indidit: *De periculis Noviſſimorum temporum*, quem *Alexander IV.* Pontifex Maximus poſt maturum ac diuturnum examen proſcripſit tanquam *pernicioſum* & *deteſtabilem*, ut opportuniùs oſtendemus in quinto Colloquio. Hunc exitum habuit luctuoſum illud diſſidium, quod, proh dolor! Sæculo decimo tertio exarſit

inter Magiſtros Pariſienſes, & Fratres Prædicatores, quodque, ut obiter dicam, non ſatis candidè ac ſincerè deſcribitur ab *Egaſſio Bulæo* tomo 3. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ubi, partium ſtudio abreptus, *Guillelmo à Sancto Amore*, viro ab Eccleſia damnato, & infenſiſſimo Ordinum Mendicantium hoſti, plus æquò favet, Cauſam Fratrum Prædicatorum, quantùm poteſt, deprimit, eos velut totius diſſidii Auctores ac concitatores atro carbone depingit, perſtringit, inſectatur, & omnia, quæ ipſis patrocinari poſſunt, conſultò aut elevat, aut diſſimulat, aut ſiniſtram in partem interpretatur. At, velit nolit *Bulæus*, Cauſæ Fratrum Prædicatorum æquitatem apertè probant non ſolùm innumera Summorum Pontificum *Innocentii IV.* & *Alexandri IV.* in gratiam Fratrum Prædicatorum data Diplomata, ſed etiam eam manifeſtam reddit ipſa vis veritatis, quam S. *Thomas* Doctor Angelicus, Ordinis Prædicatorum, Academiæ Pariſienſis, & univerſæ Eccleſiæ columen & ornamentum, invictiſſimè tum temporis defendit, erroresque Magiſtri *Guillelmi de Sancto Amore*, acerbi illius diſſidii ſtimulatoris, præclaris ſolidiſque Scriptis confutavit. Plura in hanc rem dicerem, niſi mihi ſilentium indiceret Dominicana Familia, quæ antiquæ injuriæ immemor, Academiam Pariſienſem pluribus ſibi devinctam beneficiis maximo ſemper honore proſequuta eſt.

D. Aſſerebat mihi nuperrimè vir eruditus, ſed Monachis haud parùm infenſus, huic controverſiæ, quam Fratres Prædicatores cum Magiſtris Pariſienſibus Sæculo decimo tertio habuerunt, occaſionem dediſſe novum quemdam librum inſcriptum

ptum *Evangelium Æternum*,ab *Alexandro IV.* Pontifice Maximo damnatum, quem Ordini FF. Prædicatorum attribuit *Matthæus Pariſius*, & in quo blaſphema continentur dogmata,quorum hæc præcipua adhuc memoriâ teneo: videlicet *Evangelium Æternum, ſeu Evangelium Spiritus Sancti perfectius, & melius, & dignius fore Evangelio Chriſti.* II. *Evangelium Chriſti non eſſe Evangelium Regni, ac per hoc nec Eccleſiæ ædificatorium.* III. *Novum Teſtamentum,ſicut & Vetus, eſſe evacuandum, nec in virtute ſua ad annum MCCLX. duraturum, & deinceps omnes in ſtatu perfectorum fore.* IV. *Ad inſtruendos homines de ſpiritualibus & æternis ſolos idoneos eſſe, qui nudis pedibus incedunt: Chriſtum, Sanctosque Apoſtolos vitæ contemplativæ perfectionem non fuiſſe conſecutos: contemplativam verò vitam ab ipſo Joachimo Abbate fructificare cœpiſſe,& à modò in perfectis ſucceſſoribus ipſius perfectiùs manſuram,fructusque laturam uberiores.* V. *Quemdam Monachorum Ordinem futurum, qui dignitate & gloria reliquis antecellet, in quo implebitur Prophetia Pſalmiſtæ dicentis*: Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. *Et qui tunc maximè florebit & convaleſcet, cùm Clericorum Ordo peribit.* VI. *Sicut in primo ſtatu Mundi commiſſum fuit à Patre totius Eccleſiæ regimen aliquibus ex Ordine Conjugatorum, ſic in tertio Mundi ſtatu committendum à Spiritu Sancto aliquibus ex Ordine Monachorum.* Hæc, & alia id genus blaſphema dogmata continentur in hocce libro, qui inſcribitur: *Evangelium Æternum*, cujus Authores cùm fuerint FF.Prædicatores,mirum non eſt, ſi illis litem moverint Magiſtri Pariſienſes, & in eos tam in Scholis, quàm in publicis ſuggeſtibus declamaverint.

M. Si

M. Si reverà Fratres Prædicatores edidiſſent hunc librum, qui inſcribitur: *Evangelium Æternum*, quique hæc, quæ mox protuliſti, & alia benè multa complectitur blaſphema dogmata; eorum damnationi incunctantèr ſubſcriberem, nedùm Apologiam in eorum gratiam adornare vellem. At hunc librum erroribus à capite ad calcem ſcatentem à Fratribus Prædicatoribus fuiſſe lucubratum immaniſſima calumnia eſt, huic Sacro Ordini de Eccleſia benè merito perperàm à *Matthæo Pariſio* impacta, *quæ*, ut inquit *Odoricus Raynaldus* in Continuatione Baronii ad annum MCCLVI. Num. XX. *vel ex eo detergitur*, *quod* Matthæus Pariſius *nulli certo Authori hunc librum adſcribat, ſed tanquam nefandum partum ab omnibus* Fratribus Prædicatoribus *editum inſinuet*. *Quid enim magis à veriſimilitudine abhorrens, quàm eos*, ſeu Fratres Prædicatores, *libri hæreſi infanda contaminatiſſimi authores fingere, quos ea manet gloria, exſcindendis hæreſibus, ac tum maximè cùm is Ordo primævo Sanctitatis flore ac ſplendore emicaret, ſtrenuam operam collocaſſe?* Hujus libri *Evangelii Æterni* Authorem *Joannem de Parma* Italum, Ordinis Minorum ſeptimum Generalem Miniſtrum, vulgò exiſtimatum fuiſſe, teſtatur noſter *Eymericus* parte 2. *Directorii Inquiſitorum*, quæſt. 9. ubi agit de erroribus in hoc deteſtabili libro contentis. Sed *Wadingbus* in Annalibus Minorum, & *Papebrochius* in Actis Sanctorum ad diem XIX. menſis Martii, ubi inſeruit Vitam *Joannis Parmenſis*, negant hunc *Joannem Parmenſem* fuiſſe Authorem illius malè nati libri *Evangelii Æterni*, quibus licèt ipſe ultrò aſſenſum præbeam, non poſſum attamen quin fatear, hunc *Joannem*

Par-

Parmenſem apud *Alexandrum IV.* Pontificem Maximum à ſuis fratribus, quorum odia, ob zelum, quo flagrabat regularis reſtaurandæ diſciplinæ, incurrerat, accuſatum, Præfecturæ Generali, quam in Ordine gerebat, ceſſiſſe, & in ejus locum ſuffectum fuiſſe S. *Bonaventuram,* tunc in Academia Pariſienſi Doctorem Regentem apud Minoritas, qui inquiſivit in *Joannem Parmenſem*, ejuſque Socios, quorum duos, *Gerardum*, & *Leonardum* conjecit in vincula. *Gerardus* annos 18. in carcere detentus eſt, *Leonardus* in vinculis obiit. Denique, *Joannes Parmenſis* diem extremum clauſit Camerini XIII. Kalendas Aprilis anni MCCLXXXIX. cujus ſanctitatem miraculis poſt mortem fuiſſe comprobatam, aſſerunt W*adinghus* in Annalibus Minorum, ubi Vitam ejus deſcripſit, & alii ejuſdem Ordinis Franciſcani Scriptores, qui etiam *Joannem Parmenſem* appellatione *Beati*, non prohibente Sede Apoſtolicâ, exornant. Cùm igitur planè ignoretur Author iſtius execrabilis libri, qui inſcribitur: *Evangelium Æternum*, iniquum omninò eſſet illum Fratribus Prædicatoribus, quaſi Authoribus tribuere propter teſtimonium, ſeu potiùs propter unicum & incertum verbum *Matthæi Pariſii*, ſic ſcribentis. *Dicebatur*, *Prædicatores eſſe illius libri Authores*: Præterquamquòd, teſtimonium *Matthæi Pariſii* contra Fratres Prædicatores nullius ponderis haberi debet, non ſolùm quia hic Scriptor, ut norunt omnes, peſſimæ fidei eſt, petulantis linguæ, homo Schiſmaticus & qui hæreticis proluſit, ſed quia etiam *Innocentii IV.* Pontificis Maximi, ac ſubinde Fratrum Prædicatorum, qui hujus Summi Pontificis partes ſtrenuè propugnarunt, hoſtis apertiſſimus

mus fuit. Addo etiam, hunc peſtiferum librum, inſcriptum: *Evangelium Æternum*, publico Eccleſiæ judicio damnatum, flammisque addictum fuiſſe anno MCCVIII. ſeptennio ante inſtitutum Fratrum Prædicatorum Ordinem. Quî igitur fieri poteſt, ut ille liber ſit partus alicujus Dominicani, cùm ipſo Fratrum Prædicatorum Ordine ſit antiquior?

D. Adductis hactenùs & dilucidè explanatis erroribus & Controverſiis, quæ Sæculo decimo tertio Eccleſiam Gallicanam, & Academiam Pariſienſem haud parùm perturbarunt; expedit nunc ut in eas Hæreſes, quæ eodem Sæculo in aliis Orbis Chriſtiani Nationibus in perniciem animarum eruperunt, brevitèr inquiramus, & in primis ſcire velim, nùm aliquæ Hæreſes Sæculo decimo tertio in Italia prodierint?

M. Sæculo decimo tertio, hoc eſt circa annum MCCLX. *Flagellantium* Secta in Italia ortum habuit, ejusque originem Monachus Sanctæ *Juſtinæ* Paduenſis in ſuo Chronico, quod *Chriſtianus Urſitius* Baſileenſis anno MDLXXXV. publici juris fecit, his verbis deſcribit: *Cùm tota Italia multis eſſet flagitiis & ſceleribus inquinata, quædam ſubitanea ſuperſtitio, & à Sæculo inaudita invaſit primitùs Peruſinos, Romanos poſtmodùm, deindè ferè Italiæ populos univerſos. In tantùm itaque timor Chriſti irruit ſuper eos, quòd nobiles pariter & ignobiles, ſenes & juvenes, infantes etiam quinque annorum nudi per plateas civitatum, opertis tantùm pudendis, depoſita verecundia, bini proceſſionaliter incedebant, ſinguli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu & ploratu ſe acriter ſuper ſcapulis uſque ad effuſionem ſanguinis verberantes.... Non ſolùm itaque*

in

in die, verùm etiam in nocte cum cereis accenſis, in hyeme aſperrima, centum, milleni, decem millia quoque per Civitates & Eccleſias currebant, & ſe ante altaria humiliter proſternebant, præcedentibus eos Sacerdotibus cum Crucibus & vexillis ..... ſiluerunt tum temporis omnia muſica inſtrumenta, & amatoriæ cantilenæ: ſola cantio Pœnitentiæ lugubris audiebatur ubique tam in Civitatibus, quàm in Villis, ad cujus flebilem modulationem corda ſaxea movebantur, & obſtinatorum oculi ſe à lachrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ devotionis fuerunt minimè expertes, ſed in cubiculis ſuis non tantùm populares, ſed etiam Matronæ nobiles, & Virgines delicatæ, cum omni honeſtate hæc eadem faciebant. Tunc ferè omnes diſcordes ad concordiam redierunt, uſurarii, & raptores malè ablata reſtituere feſtinabant, cæterique diverſi criminibus involuti, peccata ſua humilitèr confitentes, ſe à ſuis vanitatibus corrigebant &c. Hæc publicæ Pœnitentiæ devotio in Germaniam, ſicut teſtatur *Henricus Stero* in Chronico, penetravit, *ſed quia illius origo*, ut ait idem Scriptor, *nec à Sede Romana, nec ab aliqua perſona auctorabili fulciebatur, a quibuſdam Epiſcopis, & à Domino Henrico Duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde in brevi tepeſcere cœpit, ſicut res immoderatè concepta.* Tandem in ſuperſtitionem, immò in hæreſim degeneravit malè cocta, & tumultuoſa illa devotio. Neminem quippè à peccatis abſolvi pertendebant iſti Flagellantes, qui eorum Sectæ nomen non dediſſet. Mutuò ſeſe, auditâ confeſſione, à peccatis abſolvebant, etſi Laici eſſent, ſicut teſtantur *Siffridus* Presbyter in Epitome lib.2. & *Longinus*, qui ipſos in Polonia ab Epiſcopis, & Principibus repreſſos fuiſſe affirmat lib.7.

lib.7. *Hiſtoriæ Poloniæ*. Eadem Flagellantium Secta in Ungaria,& Germania renovata eſt an.MCCCXLIX. de cujus ſuperſtitioſo ritu *Albertus de Argentina*, qui, imperante *Carolo IV.* & filio ejus *Wenceslao* vixit, in ſuo Chronico, quod incipit ab anno MCCLXX. & deſinit in annum MCCCLXXVIII.ampliſſimè tractat, ex quo *Spondanus* ad annum MCCCXLIX. refert, huic graſſanti Flagellantium Sectæ ſeſe ſociaſſe perditiſſimos quoſque fugitivos, decoctores, adulteros, ſeditioſos, homicidas, latrones, omnium denique criminum reos, illoſque eò impudentiæ prorupiſſe, ut Sacra quæque,& Evangelium, ipſumque diviniſſimum Corporis Chriſti Sacramentum poſthabentes, aſſererent, Sanguinem ſuum ſic per flagellationem tractum miſceri cum ſanguine Chriſti, & ſi quis eam flagellationem per dies triginta tres continuaſſet, omne crimen eſſe purgatum, omnem illi culpam & pœnam eſſe penitùs remiſſam. Alios impiæ illius Flagellantium Sectæ errores ex *Gobelino Perſona* in ſuo *Coſmodromio*, ſeu Chronico, recenſet idem *Spondanus* ad annum MCCCXLV. Num.XIV. Aſſerebant ſiquidem, Deum, ad ipſorum adventum, Pontificem Romanum, cæteroſque Prælatos, ne deinceps Chriſtianis præeſſent, ſuſtuliſſe, & omni auctoritate ligandi, atque ſolvendi, & quidquam conſecrandi privaſſe, ac, propter Sacerdotum nequitiam, in adventu Fratrum Crucis, ſeu Flagellantium, Sacerdotium Evangelicum amoviſſe,ſolum Baptiſmum omnibus Sacramentis ſubſtituiſſe; & illum non in aqua, ſed mutatum in proprii ſanguinis effuſionem per flagellationem, ſicut Chriſtus in Cana Galilææ mutavit aquam in vinum rubrum, nec poſſe, aut potuiſſe ab inſtitutionis eorum tempore

pore quemquam ſalvari, niſi per ejuſmodi Baptiſmum ſanguinis, qui cuncta, quantumcùmque enormia peccata, potens eſt delere. Affirmabant inſuper, nullum poſt mortem eſſe Purgatorium; nullum Feſtum celebrandum, niſi diei Dominicæ, & Nativitatis Chriſti, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, nullumque obſervandum jejunium, niſi feriâ ſextâ,& vigiliis Nativitatis Chriſti, & Aſſumptionis B. Virginis. Mitto alios errores, in quos prolapſi ſunt malè feriati iſti Hæretici Flagellantes, quorum Secta latè diffuſa aditum tamen in Gallias invenire haud potuit, prohibente *Philipo Valeſio* Rege Chriſtianiſſimo, quo etiam rogante, & hortantibus Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoribus, *Clemens VI.* Pontifex Maximus hanc Sectam damnavit, ut refert *Guillelmi Nangii* continuator ad annum MCCCXLIX. Nec ſolùm hanc Flagellantium Sectam damnavit *Clemens VI.* ſed etiam plures Epiſtolas ad Præſules Germaniæ, Poloniæ, Sveciæ, Angliæ, Galliæ, & ad Principes dedit, quibus ipſos vehementer adhortatus eſt, ut illud ſuperſtitioſum hypocritarum hominum genus coercerent, conventicula diſſolverent, eorumque Magiſtros carceri manciparent. Extant hæ *Clementis VI.* Epiſtolæ in ejus Regeſto anni 8. ex quo eam, quæ ad Magdeburgenſem Archiepiſcopum, ejuſque ſuffraganeos data eſt, refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXLIX. num.XX. Contra Sectam Flagellantium ſcripſit *Joannes Gerſonius*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius, brevem tractatum, in quo etiamſi reprobet perverſum uſum flagellationum, ſeu diſciplinam ſibi propriâ manu infligendi, cum videlicèt uſum, qui fit cum oſtentatione, cum ſcan-

ſcandalo, & ſine judicio Superioris ſive pii ac prudentis conſcientiæ moderatoris, vel qui pravis circumſtantiis, & erroribus, præſertim contemptu Sacramenti Confeſſionis, & Pœnitentiæ Sacramentalis, contaminatus erat in Secta Flagellantium; non tamen improbat, ſed potius approbat flagellationes, ſeu diſciplinas, quæ propriâ manu infliguntur, dummodò id fiat moderatè, animo pœnitente, ſemotis oſtentatione & ſcandalo; hæc enim ſunt celebris illius Doctoris verba: *Lex Chriſti, ſi videatur flagella indulgere, juxta illud: Ecce ego in flagella paratus ſum, nihilominùs circumſtantiæ debent apponi, quibus rationabile fiat obſequium noſtrum, unà quòd hujuſmodi flagellatio fiat judicio Superioris imponentis talem pœnitentiam, & quòd ab altero fiat & moderatè, & ſine ſcandalo & oſtentatione, ac ſine ſanguine, juxta traditionem Guillelmi Pariſienſis; quemadmodùm fit hujuſmodi flagellatio in Religionibus approbatis, & ab aliquibus devotis perſonis.* Quapropter, *Jacobus Boyleau* Doctor Sorbonicus in ea, quam edidit, *Hiſtoria Flagellantium*, perperàm *Gerſonium* ſibi patronum adſciſcit, à cujus tamen mente toto cœlo aberrat, dum capite decimo prædictæ hiſtoriæ impugnans omnem uſum flagellationum, ſeu diſciplinarum propriâ manu inflictarum, aſſerit, *ſe ipſum flagellare ſuper nates obſcænum, & turpiſſimum eſſe tàm viris, quàm mulieribus: Flagella ſuper humeros periculoſa propter libidinem, quæ inde excitatur & accenditur, uſumque flagellandi deorſum ſe ipſum, ferè ſemper eſſe non ſolùm opus inſolens, novum & ſupervacaneum, verum etiam perverſum, probroſum & turpiſſimum.* Quæ omnia ut probet laudatus Author, nonnullas obſcænas, adducit hiſtorio-

riolas, quæ fabulas olent, & à quibus referendis, propter pudorem, in integrum abſtinere debuiſſet, maximè cùm ignorare non poſſet, S. *Petrum Damianum* ſcripſiſſe epiſtolam, quæ eſt 27. libri ſexti, ad *Petrum* Monachum, dictum *Cerebroſum*, in qua eum reprehendit, quòd non omninò approbaret flagellationum, ſeu diſciplinarum ſibi propriâ manu inflictarum uſum, quem ibidem ex multis Scripturæ ſacræ locis laudabilẽ eſſe evincit; eumdemq; Sanctum Doctorem illius uſus haud modicam utilitatem in Opuſculo XLIII. ad Caſſinenſes Monachos cap.VI. commendaſſe his verbis: *O quàm jucundum, ò quàm inſigne ſpectaculum! cùm ſupernus Judex de Cælo proſpectat,& homo ſemetipſum in inferioribus pro ſuis delictis mactat! ubi reus ipſe in pectoris ſui penetralibus præſidens trifarium tenet officium: in corde ſe conſtituit Judicem, reum in corpore, manibus ſe gaudet exhibere tortorem; ac ſi Deo Sanctus Pœnitens dicat: non opus eſt, Domine, ut officio tuo me punire præcipias: non expedit ut ipſe de me juſti examinis ultione percellas; ipſe mihi manus injicio, ipſe de me vindictam capio, vicemque meis peccatis reddo.*

Non ſolùm hac Flagellantium hæreticorum Sectâ Sæculo Eccleſiæ decimotertio infeſtata fuit Italia, ſed etiam *ipſum quoque puritatis Catholicæ domicilium, Romam videlicet, contaminare aggreſſi ſunt* hæretici Albigenſes, & Waldenſes, dicti *Pauperes de Lugduno, Cathari, Patareni,* & aliis id genus nominibus appellati, ſicut refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXXXI. Num.XIII. Ad illos hæreticos Româ, ac totâ Italiâ expellendos omnem curam & ſollicitudinem adhibuit *Gregorius IX.* Pontifex Maximus, & Bullam datam Viterbii VI. Idus

Novembris anni noni Pontificatus ſui contra eos publicavit hoc tenore: *Excommunicamus, & anathematizamus univerſos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Joſephinos, Arnaldiſtas, Speronitas, & alios quibuſcumque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum. Damnati verò per Eccleſiam ſæculari judicio relinquantur; animadverſione debita puniendi. Clericis prius à ſuis Ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos ſimiliter judicamus. Item receptores, defenſores, & fautores hæreticorum excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere &c.* Hanc *Gregorii IX.* Conſtitutionem, contra hujuſmodi hæreticos per Italiam ſparſos latam, renovarunt, novisque additis pœnis confirmarunt Summi Pontifices *Innocentius IV.* *Alexander IV.* & *Nicolaus III.* in ſuis Diplomatibus, quæ incipiunt: *Noverit Univerſitas*. Quin & *Fridericus II.* Imperator, licèt Sedi Apoſtolicæ haud parùm infenſus, Conſtitutionem Imperialem Cathaniæ anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIV. emiſit, quâ juſſit Magdeburgenſi Archiepiſcopo, Comiti Romaniolæ, & totius Lombardiæ Legato ſuo, *ut quicumque per Civitatis Antiſtitem, vel Diœceſanum, in qua degit, poſt condignam examinationem fuerit de hæreſi manifeſtè convictus, & hæreticus judicatus per poteſtatem, conſilium, & Catholicos viros Civitatis & Diœceſis earundem, ad requiſitionem Antiſtitis illicò capiatur, ignis judicio concremandus, ut vel ultricibus flammis pereat, aut ſi miſe-*

miſerabili vita ad coercitionem aliorum elegerint reſervandum, eum linguæ plectro deprivent, quo non eſt veritus contra fidem Eccleſiaſticam invehi, & nomen Domini blaſphemare &c. Hæc Imperialis *Friderici II.* Conſtitutio extat in Regiſtro *Gregorii IX.* lib. 4. epiſt. 103.

D. Proſequere, ſi placet, Hiſtoriam aliarum Hæreſum, quæ Sæculo decimo tertio Orbem Chriſtianum pervaſerunt.

M. Sæculo decimo tertio, hoc eſt circà annum MCCXXX. *Stadinghorum* diabolica hæreſis Germaniam infecit, cujus impietatem deſcribit ac deplorat *Gregorius IX.* in ſuis ad Archiepiſcopum Moguntinum, Epiſcopum Hildesheimenſem, & Fr. *Conradum à Marburg* egregium Prædicatorem datis anno MCCXXXIII. epiſtolis, quæ extant in lib. 7. Epiſtolarum hujus Pontificis ordine 178. 179. 180. 186. Nefandi illi Hæretici utebantur Magiſtro Dæmone, qui ſub diverſis formis in ſecretis eorum conventibus conſpicuum ſe præbebat, eosque ſui cultui adſtrictos, ſic ad turpiſſima, & ipſo auditu horrenda flagitia informabat, ut illi morem ei gerentes, extinctis lucernis, promiſcuam libidinem exercerent. In Luciferum, quem injuſtè, violenter, & fraudulenter à Domino ad Inferos detruſum fuiſſe blaſphemabant, miſeri illi hæretici credebant, eumque ad ſuam gloriam, præcipitato Domino, rediturum aſſerebant, nec ante ipſum ſe beatitudinem æternam ſperabant habituros. Sacrum Corpus Domini Noſtri Jesu Chriſti ſingulis annis in Paſchate de manu Sacerdotis recipiebant, illudque de induſtria in ore ſervantes, proh ſcelus! in latrinam expuebant. In Clericos & Religioſos viros

graſſabantur, eosque omni tormentorum genere cruciabant. Ad illos itaque exterminandos hæreticos, qui in confinibus Friſiæ & Saxoniæ ac Bremenſi tractu degebant, quique paludibus, & fluminibus circumcincti ac muniti, omnes Epiſcoporum & Prædicatorum pro eorum converſione labores inanes, irritosque reddebant, ſacram expeditionem indixit *Gregorius IX.* ut, cùm à ſuis erroribus nullo pacto reſilire vellent, igne ferroque delerentur. Præcipui Cruceſignati exercitus Duces fuerunt *Henricus* Brabantiæ Dux, & *Florentius* Hollandiæ Comes, qui, ut ſcribit, *Albertus Stadenſis* Abbas in Chronico ad annum MCCXXXIII. *Primo congreſſu peſtilentes illos ſuper agrum Oldeneſcbe, ubi convenerant, viriliter invaſerunt; ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim Comes de Clivo cum ſuis à latere irruens ſuper illos, ipſorum acies diſſipavit ...... Nec mora illi inſipientes, & maligni evanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, hoſtes perfoſſi, gladiis percuſſi, equorum pedibus conculcati, & ita manus Domini invaluit ſuper eos, ut in brevi ſpatio eorum ſex millia interierint. Plurimi ex eis fugæ præſidium poſtulantes, in proxima fovea, & in wiſera ſe ſubmerſerunt; ſi qui evaſerunt, ſub Cœli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum, & in retributionem & ſcandalum.*

Denique, Sæculo decimo tertio erupit in Germania Secta quorumdam Hæreticorum, qui *Friderico II.* Imperatori adversùs Eccleſiam perduelli, & *Conrado* ejus filio faventes, prava dogmata, in antiquis Hæreticis Donatiſtis ab Eccleſia jam confixa, recoxerunt, & in Suevia propalarunt, quæ refert

ſert *Albertus Stadenſis* Abbas in Chronico ad annum MCCXLVIII. Aſſerebant primò, Romanum Pontificem eſſe Hæreticum, omnesque Epiſcopos & Prælatos, hæreſi itidem & ſimoniâ infectos, nec ligandi, & ſolvendi, neque conficiendi Corpus Chriſti poteſtatem habere, quòd mortalibus peccatis irretiti eſſent. Secundò, affirmabant, quòd nullus vivens, nec Papa, nec Epiſcopi, neque aliqui alii poſſint interdicere divina Officia, & qui prohiberent, eſſent hæretici & ſeductores. Tertiò, quòd Fratres Prædicatores, & Fratres Minores, Ciſtercienſes quoque & alii Viri Religioſi falſis prædicationibus Eccleſiam corrumperent, pravamq; vitam & injuſtam ducerent. Quartò, dictitabant, ſe dumtaxat, ſuosque ſocios, veritatis eſſe præcones & juſtitiæ ſectatores. Quintò, in fine prophanarum ſuarum concionum ajebant, Indulgentiam ſe impartiri non à Papa confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed à ſolo Deo omnipotenti conceſſam. Poſtremò prædicabant, nullam Romani Pontificis in orationibus, ſed dumtaxat *Friderici* Imperatoris, & *Conradi* ejus filii memoriam eſſe faciendam. Hos Hæreticos *Fridericus* Imperator, ejusque filius *Conradus* ſuo patrocinio fovebant, exiſtimantes ſe indè cauſam ſuam adversùs Eccleſiam faciliùs promovere poſſe. Sed eos fefellit eventus, nam Proceres Germaniæ Catholici hæc prava dogmata inſectantes, *Fridericum*, & *Conradum*, ejus filium, Hæreticorum fautores deſeruerunt, ipſisque omnem ad Imperium aditum præcluſerunt. Hæc de hæreſibus, quæ Sæculo Eccleſiæ decimo tertio variis in locis pullularunt, dixiſſe ſufficiat.

D. Hiſtoriam Hæreſum, quæ Sæculo decimo

quarto Eccleſiam exagitarunt, nunc recto ordine deſcribere debes, & in eas primùm inquirere, quæ in Oriente prodierunt.

M. Sæculo decimo quarto, Imperatore in Oriente *Andronico Juniore*, Palamitica lues invaſit, quæ Græcorum Schiſmati novum addidit robur. Hujus Hæreſeos olim parens fuerat Simeon S. *Mamantis* Monaſterii Xyloxeri Abbas, à ſuis *Junior Theologus* appellatus, in libro, quem edidit, *de Sobrietate & Attentione*, de quo plura habet noſter *Combefiſius* in Notis ad *Manuelis Calecæ* librum *de Eſſentia & Operatione* adversùs palamitas. Hanc Hæreſim in Oriente profeſſi ſunt plerique Monachi, qui dicti ſunt *Heſychiſtæ*, *Euchitæ*, & *Maſſaliani*, eò quòd inter orandum imitarentur infames hæreticos *Maſſalianos*, caput ad umbilicum deprimentes, & in ea Orationis quiete mirabilem ſe lucem intueri, & inexhauſta voluptate affici delirarent, cùmque ab illis quæreretur, quid lumen illud eſſet, quo ſe ad certum illum, quem diximus, corporis habitum conformatos perfundi gloriabantur? reſpondebant, eſſe gloriam Deitatis increatam, humano tamen viſui perviam. Quem errorem altero confirmabant, dictitantes, lumen, quod in transfiguratione Chriſti refulſit in Monte Thabor, increatum fuiſſe, & nihiloſeciùs oculis corporeis ab Apoſtolis viſum affirmabant. In mores, Inſtituta, & dogmata horumce Monachorum Heſychiſtarum inquirere cœpit *Barlaamus*, gente Calaber, Ordinis S. Baſilii Monachus, qui ex Italia Conſtantinopolim venerat ad *Andronicum Juniorem* Imperatorem, & Sermones de Proceſſione Spiritus Sancti, & de Primatu Romani Pontificis contra Latinos evul-

gave-

gaverat, ut gratiam à Græcis, & potiſſimùm ab Imperatore iniret. Hanc Monachorum ſuperſtitionem & inſanos errores cùm detexiſſet *Barlaamus*, illos apud *Joannem* hujus nominis *XIII.* Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreſeos accuſavit. Heſychiſtarum Monachorum patrocinium ſtrenuè ſuſcèpit *Gregorius Palamas*, Monachus Græcus, ac Theſſalonicenſis poſteà Epiſcopus, qui nomen ſuum huic Sectæ dedit. Scriptis itaque & argumentis utrimque concurritur. *Palamas* lumen in Monte Thabor Chriſto circumfuſum, increatum ac æternum Dei lumen fuiſſe pertendebat, illud tamen non eſſe ſubſtantiam Dei, ſed tantùm ejus operationem, quam, cæteraque Attributa divina ab eſſentia, ſeu ſubſtantia Dei realiter diſtingui, & eſſe eâ minora, licet ipſi coæterna, probabat exemplo ſplendoris à Sole emiſſi, qui non eſt ſubſtantia Solis, etſi coæuus ei ſit. Addebat inſuper, naturam, ſeu eſſentiam Dei à nullo intellectu creato, etiam Beatifico, videri poſſe, qualis in ſe eſt, ſed tantum luce increatâ, à ſubſtantia tamen Dei realiter diſtinctâ, & oculis aſpectabili ſanctos perfrui in cœlo, & in eadumtaxat luce totam ſitam eſſe æternæ beatorum felicitatis ſummam. *Barlaamus* ex adverſo in hos errores calamum acuit, & graviſſimam cum *Gregorio Palama* habuit contentionem, ad quam dirimendam coacta eſt Conſtantinopoli anno MCCCXLI. Synodus à *Joanne XIII.* Patriarcha Conſtantinopolitano, cui *Lazarus*, Hieroſolymitanus Patriarcha, cum Alexandrini, & Antiocheni Legatis, adfuiſſe dicitur, quæque idcircò nona generalis Synodus apud Græcos audit. In hac Synodo damnatus eſt *Barlaamus*, & omnes Epiſcopi Græci deliria *Gregori*

gori Palamæ approbarunt. Nec ſolùm *Joannes XIII.* Patriarcha Conſtantinopolitanus reprobravit unà cum aliis Epiſcopis Græcis in hac Synodo doctrinam *Barlaami*, & perverſa *Gregorii Palamæ* dogmata firmavit, ſed etiam *Calliſtus*, in Patriarchatu Conſtantinopolitano *Joannis* ſucceſſor, & *Philotheus*, ſeu *Philetus*, qui in locum *Calliſti* ſubrogatus eſt, eamdem *Barlaami* doctrinam in Synodis Conſtantinopoli habitis proſcripſerunt, & ad ſtatuminandos *Gregorii Palamæ* errores concurrerunt, maximè cùm id temporis Palamitarum hæreſi apertè faveret *Joannes Cantacuzenus* Græcorum Imperator, qui proindè in ea, quam deſcripſit, ſui temporis Hiſtoriâ audiri non debet, præſertim dum ſcribit lib. 2. capite quadrageſimo, *Barlaamum* in Synodo, quam convocavit *Joannes XIII.* Patriarcha Conſtantinopolitanus, veniam ob ſtultè dicta petiiſſe, faſſumque fuiſſe, lumen, quod Apoſtolis in monte Thabor circumfulſit, gloriam Dei principii expertem, & æternum lumen fuiſſe, atquè illum rediiſſe in gratiam cum Palamitis. Quæ tota *Joannis Cantacuzeni* narratio à vero procul abhorret, cùm certum ſit, *Barlaamum* in laudata Synodo damnatum, ut declinaret invidiam Græcorum, quos proditâ etiam Catholici Dogmatis veritate, promereri fruſtrà ſtuduerat, Italiam repetiiſſe, & ad Latinorum Inſtituta, quibus erat imbutus, rediiſſe.

Circà hanc Palamitarum hæreſim duo velim hic obitèr obſerves. Primum eſt, *Gregorium Palamam*, ejuſq; Sectarios fuiſſe Latinorũ infenſiſſimos hoſtes, ita ut hoc præſertim nomine *Gregorius Palamas* in Græcorum Schiſmaticorũ Sinaxario etiamnùm celebretur, & inter Sanctos collocetur, ſicut eis exprobrat

brat *Gennadius* Grecus Patriarcha in Concilio Florẽtino his verbis : *Vos*, inquit, *Græcos quamvis flagitioſiſſimos, ſi ſolùm adversùs Latinos dicant, omniũ Sanctiſſimos arbitramini, inter alios quidem multos, quemdam, qui vocatur Palamas, & Epheſi Marcum, hominem nec ſatis mentis compotem, ſed tumidum ſapientiæ oſtentatorem, nulla virtute vel ſanctitate ſubnixos, quia loquuntur & ſcribunt ſolùm contra Latinos, extollitis & celebratis, eorumque imagines exornatis, feſtumque agentes colitis, & veluti Sanctos adoratis.*

Secundò advertere debes, *Leonem Allatium*, virum alioqui doctiſſimum, lib. 2. *De Perpetua Conſenſione* cap. 17. impegiſſe in errorem, qui ab omnibus Theologis exploditur. Ibi quippè, poſtquàm aſſeruit *Barlaamum*, non minùs quàm *Palamam* circa lumen Thaborium lapſum eſſe, conceptis verbis docet, illud lumen Thaborium, quod in die Transfigurationis Chriſti apparuit, & Apoſtolorum oculos circumfulſit, fuiſſe ipſam Chriſti Deitatem, nec repugnare ut oculis corporeis diviniore vi corroboratis Deitas ipſa videatur. Sic enim loquitur: *Verum enim eſt, oculis corporeis increatum conſpici non poſſe, & dùm oculi in ſtatu & conditione naturæ manent, ſed ſi diviniore vi corroborati ad altiora eleventur, nil impedit, corporeis hiſce oculis in eminentiorem ſtatum ſublevatis, deitatem ipſam, & gloriam deitatis, quæ una cum Deo eſt, videri..... damnatus itaquè eſt Barlaamus, quòd lumen*, in monte Thabor refulgens, *neque ex Divina eſſentia, neque divinam eſſentiam eſſe affirmabat, & prætereà corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam adeò elevari poſſe, ut deitatem conſpiciant &c.* Hactenus *Leo Allatius*, qui non vidit, ſe per latus *Barlaami* feri-

ferire omnes Theologos, quorum omnium concors eſt doctrina, Lumen Thaborium non fuiſſe Deitatem Chriſti, & oculos corporeos divinâ virtute ad viſionem eſſentiæ Dei evehi haud poſſe, communior eorum ſententia eſt.

D. Meminiſti in ſuperiori Colloquio cujuſdam non minus importunæ, quàm moleſtæ controverſiæ, quæ Sæculo decimo quarto diù multùmque exercuit Romanum Pontificem *Joannem XXI.* vulgò dictum *XXII.* de ſenſu & obſervatione Regulæ Sancti Franciſci, quoad Evangelicam paupertatem. Huic controverſiæ, ut ibidem obſervaſti, occaſionem & initium dederunt nonnulli Minoritæ de paupertate ſua ambitioſiùs, quàm religioſiùs diſceptantes. At quinam fuerit progreſſus atque exitus graviſſimę iſtius Controverſiæ, necdùm expoſuiſti. Ab ovo itaque hanc incipe Controverſiam, & omnia, quæ illam ſpectant, compendiosâ narratione deſcribe.

M. Jam ſub Romanis Pontificibus, *Bonifacio VIII.* & *Clemente V.* Ordo Fratrum Minorum duas in partes ſciſſus erat, aliis *Spiritualium*, ſive *Fratrum ſtrictioris Obſervantiæ*, aliis *Conventualium*, ſeu *Fratrum Communitatis* nomine inſignitis. Hæc funeſta Ordinis diviſio magnam peperit litem, & animorum contentionem, quæ ſub Romano Pontifice *Joanne XXI.* ſeu, ut vulgò dicitur *XXII.* acriùs recruduit, & toto illius Pontificatu fuit ſummo utrinque partium ſtudio agitata. Præcipua diſcordiæ ratio ſita erat in diſcrimine habitus, & in frumenti, viniquę in granariis, & cellariis congregatione. At enim, qui *Spiritualium*, & *Fratrum ſtrictioris obſervantiæ* nomen ambiebāt, *habitus curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſquallidos*, ut ait Wadin-

ghus

ghibe in Annalibus Minorum ad annum MCCCXVII. aſſumebant, nec eos juſſi à Superioribus deponere volebant, immò *Fratrum Conventualium* habitum, *ſuperfluum* ac *irregularem* eſſe querebantur, & illicitum eſſe putabant frumentum & vinum in granariis & cellariis congregare quamvis eleemoſynis quæſitum. Hanc diſcordiam ut componeret *Joannes XXII.* Conſtitutionem edidit, quæ incipit his verbis: *Quorundam exigit*, quâ Miniſtrorum, Cuſtodum, Guardianorumque judicio & arbitrio commiſit, determinare atque præcipere, *cujus longitudinis & latitudinis, groſſitiei & ſubtilitatis, formæ ſive figuræ atque ſimilium accidentium eſſe debeant habitus, caputia*, Fratrum Minorum, & ſimiliter, *ubi & quando, & quotiès granum, panem, & vinum pro vitæ Fratrum neceſſariis, Fratres ipſi quærere debeant, conſervare ſive reponere etiam in granariis & cellariis*. Eâ Summi Pontificis Conſtitutione exaſperati Fratres Minores dicti *Spirituales* ſeu *ſtrictioris obſervantiæ*, in Siciliam ſeceſſerunt, ubi quemdam Ordinis Apoſtatam *Henricum de Ceva* ſibi Miniſtrum Generalem præficere, ac Provinciales, Guardianos, cæteroſque Miniſtros inſtituere auſi ſunt, quodq; gravius eſt, ſpretâ authoritate Romani Pontificis, qui eos ad meliorem frugem reducere ſatagebat, in varios proruperunt errores, quos in Annalibus Eccleſiaſticis referunt *Bzovius*, *Spondanus*, & *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXVIII. Duas quippè finxerunt Eccleſias, alteram diffluentem opibus & delitiis, obſitamque ſordibus, cui præeſſet Romanus Pontifex; alteram humanarum rerum inopiâ divitem, ac virtutum omnium genere exornatam, quâ ipſi ſoli continerentur. Prætereà,

reâ, negabant,Præſules ullâ vel ad jus exercendum, vel divina conficienda authoritate pollere, & virtutem Sacramentorum à Sacerdotis ſanctitate pendere, & Chriſti Evangelium extinctum olim in ipſis revixiſſe & florere effutiebant, multaque alia id genus garriebant contra ſacramentum Matrimonii, & de curſu temporum, ac fine ſæculi & adventu Antichriſti. Contra hujuſmodi ſegreges Minoritas agens *Joannes* Pontifex, Conſtitutionem edidit, quæ incipit: *Glorioſam Eccleſiam*, quâ ipſorum errores damnavit, & illos Minoritas, velut Apoſtatas, excommunicatos, Schiſmaticos, & perverſorum dogmatum aſſertores, ubique perquiri, capi, & puniri præcepit. Ex quibus quatuor fuere anno MCCCXVIII. Maſſiliæ combuſti, damnati priùs de hæreſi ab Inquiſitore Fidei Ordinis Fratrum Minorum. Non multò poſt captus eſt Avenione anno MCCCXIX. F. *Bernardus Delitioſi*, Minor Monſpelienſis, eòquod in ſuſpicionem veniſſet ſacrilegi veneficii *Benedicto XI.* propinati, ſicut conſtat ex diplomate *Joannis XXII.* eodem anno ad Archiepiſcopum Toloſanum, & ad Appamienſem, & Sancti *Papuli* Epiſcopos dato, quòd antehac ineditum, ex Inquiſitionis Carcaſſonenſis Archivo à doctiſſimo noſtro *Thoma Souege* erutum, publicâ luce integrum donavit, & in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica inſeruit *Natalis Alexander* Tomo VII. diſſertatione IX. art. VI. pag. 485. & 486. Ab his laudatis Epiſcopis, qui à Sede Apoſtolica Judices erant deputati, *Bernardus Delitioſi* perpetuo carcere damnatus eſt, pane laboris, & aquâ anguſtiæ ſuſtentandus. Legi poteſt *Stephanus Baluzius* Tom. I. *Miſcellaneorum*, ubi, pag. 195. refert ex veteri codice MS.

Bi-

Bibliothecæ Colbertinæ litteras *Joannis XXII.* Papæ, quibus fratri *Michaëli* Ordinis Minorum committit cauſam quorumdam Fratrum Minorum non benè de Fide ſentientium, & pag. 198. recitat ſententiam Inquiſitionis ex veteri codice MS. Inquiſitionis Carcaſſonenſis erutam contra quatuor Fratres Minores combuſtos Maſſiliæ.

D. Sic igitur tandem conticuerunt Minoritæ, & finita eſt famoſa illa controverſia, quam cum illis Sæculo decimo quarto habuit *Joannes XXII*?

M. Nequaquam finita eſt illa controverſia, ſed, ut videre eſt apud *Spondanum* ad ann. MCCCXXI. Num. XV. longè major *Joanni* Romano Pontifici cum Fratribus Minoribus fuit conflictatio, ob excitatam ab eis de paupertate Chriſti quæſtionem, quæ maximas in Minorum Ordine, & Eccleſia turbas concitavit. Hæc quæſtio in hoc potiſſimùm ſiſtebat, quòd aſſererent Fratres Minores, Chriſtum & Apoſtolos, viam perfectionis ſequentes, nihil habuiſſe jure proprietatis & dominii in ſpeciali, nec etiam in communi. Hanc doctrinam Fr. *Berengarius Taloni*, Minor Theologus, acriter propugnare cœpit anno MCCCXXII. cùmque à Narbonenſi Archiepiſcopo, & à *Joanne Belva* Ordinis Fratrum Prædicatorum ei palinodia indicta fuiſſet, *is ad Sedem Apoſtolicam provocans* (verba ſunt *Spondani* ad annum MCCCXXII.) *Avenionem petiit, & rem totam Pontifici expoſuit, qui, ne temerè, quidquam in re maximi momenti ſtatueret, omnibus Academiis, & doctiſſimis viris ubiq; terrarum propoſuit: Utrùm pertinaciter aſſerere, Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in ſpeciali neque in communi, foret hæreticum cenſendum?* Cenſorium Judicium, quod ſuper hac

con-

controverſia vir eruditus *Ubertinus de Caſalis*, qui è Minorum Ordine ad Benedictinum Pontificiâ diſpenſatione migraverat, compoſuit; illudque in ſolemni Conſiſtorio lectum omnibus placuit, extat apud *Wadinghum* in Annalibus Minorum ad annum MCCCXXI. & apud *Clariſſimum Baluzium* lib. I. *Miſcellaneorum* pag. 307. Dùm ſic in diſcuſſione Sedis Apoſtolicæ adhuc penderet hæc de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate controverſia, Fratres Minores ſuum, ut vocant, Capitulum Generale Peruſii anno MCCCXXII. ſub Miniſtro generali *Michaële de Ceſena* celebrarunt, in quo communibus ſuffragiis decretum eſt, Chriſtum, & Apoſtolos nihil omninò jure proprietatis ac dominii, neque in ſpeciali, neque in communi habuiſſe. Duplices eâ de re Capituli Peruſini litteras datas pridiè Nonas Junii, & Idibus Junii ejuſdem anni MCCCXXII. deſcribit *Wadinghus* Tomo 3. Annalium Minorum ad hunc annum, additque, hujuſce doctrinæ in Curia Pontificia defendendæ provinciam demandatam fuiſſe totius Ordinis nomine Fratri *Bonagratia*. Damnanda ſanè fuit hæc Fratrum Minorum audacia, & punienda præſumptio atque temeritas, tùm quia deſciſcentes à B. *Franciſci* Inſtitutis, quibus reverentiam in Chriſti Vicarium imperabat, auſi ſunt decretorium judicium Summi Pontificis, ſub quo lis illa adhuc pendebat, antevertere, contra Eccleſiam inſurgere, Schiſmati viam aperire, materiam miniſtrare, & Sedis Apoſtolicæ hoſtibus haud modicas ei inſultandi occaſiones ſuppeditare; tum quia etiam Fratres Minores Scripta divulgarunt, in quibus aſſerebant, Religioſos, qui aliquod in communi bonum poſſident, nòn ſolùm à perfectio-

ne

ne Regulæ Franciſcanorum deficere, ſed etiam ab exemplo Chriſti, & à lege Evangelii. Ex quo neceſſariâ conſecutione deducebatur, aliorum Ordinum Religioſos, qui bona in communi poſſident, excludendos eſſe omnes à Mendicantium, & Evangelicæ paupe rtatis profeſſorum catalogo, ac proindè privandos mercede à Chriſto Domino promiſsâ jis,qui ſui causâ omnia reliquerunt, & ipſum ſunt ſecuti. Hanc tumultantium Fratrum Minorum temeritatem *Gerardus Odonis*,qui, poſt *Michaëlis Ceſenatis* exauctorationem, Miniſter Generalis anno MCCCXXIX. Pariſiis electus eſt, retudit, ac pro meritis caſtigavit in Tractatu, quem ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ laudat, ejuſque fragmentum deſcribit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXII. Num. LV. Ad illos etiam FF. Minores refractarios ac ſegreges in ordinem redigendos *Joannes XXII.* poſt quæſtionem de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate, multis Cardinalium, Epiſcoporum, Doctorumque, Pariſienſis in primis Academiæ, accuratiſſimo examine, concertationibus,& tractatibus diſcuſſam & eliquatam,definitivam ann.MCCCXXIII. protulit ſententiam, qua pronunciavit, hanc propoſitionem: *Chriſtus & Apoſtoli in ſpeciali non habuerunt aliqua, nec in communi*, ejuſque aſſertionem pertinacem, *erroneam ac hæreticam eſſe*. Hac Decretoriâ Summi Pontificis ſententiâ offenſi ſegreges & obſtinati Minoritæ, præſertim *Michaël Ceſenas*, *Okamus*, & *Bonagratia*, effractis omnibus reverentiæ clauſtris, in Summum Pontificem inſolentiâ pertinaci inſurrexerunt, contra illius Conſtitutiones allatrarunt, & ad *Ludovicum Bavarum*, implacabilem Sedis Apoſtolicæ hoſtem, defecerunt, &

Schiſ-

Schiſmati ab eo conflato adhæſerunt. Quâ de causâ à Pontifice exauctoratus eſt *Michaël Ceſenas*, & anathemate confixus, à quâ tamen Pontificis ſententia *ad Eccleſiam Catholicam* provocavit *Michaël Ceſenas*, è ſuggeſtu *Joannem XXII.* Hæreticum perfrictâ fronte proclamavit, & contra ipſius Conſtitutiones petulantiſſimos libellos ſcripſit, adverſus quos novam Conſtitutionem edidit Pontifex, quæ incipit his verbis: *Quia vir reprobus Michaël*, quam ſuis Annalibus inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXXIX. Num. XXII. De his procaciſſimis *Michaëlis Ceſenatis* libellis, & de aliis, quos *Okamus* Minorita ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem, & perſonam *Joannis XXII.* Pontificis Maximi laceſſendam ſcripturivit, opportuniùs agemus in quinto Colloquio, quod erit de viris Illuſtribus, qui aliquâ ſcientiæ laude Seculis XIII. & XIV. claruerunt. Hìc dumtaxat obitèr obſervabo, præter *Michaëlem Ceſenatem*, *Okamum*, & *Bonagratiam*, alios tum temporis fuiſſe quoſdam falſos fratres Ordinis Minorum ad Schiſma uſque pertinaces, de quibus *Guillelmi Nangii* Continuator ad annum MCCCXXIX. hæc ſcribit: *Adductus eſt Avenioni quidam Fratrum Minorum de Provincia Oriundus, nomine Veranus, qui apud Montem Peſſulanum, & in aliis eorumdem locis ſolemnibus dicebatur fuiſſe lector, ob hoc quià contra Papam dicitur publicè prædicaſſe, qui ad ejus adductus præſentiam, nulla ſibi facta reverentia, dixit ſibi in facie, quòd erat verus Hæreticus & non Papa, & quòd pro iſta veritate deſiderabat mori. Requiſitus de cauſa dixit. Quia tu deſtruis, vel deſtruere niteris paupertatem Evangelicam, quam Chriſtus verbo docuit & exemplo. Propter quod dictum detentus eſt in carcere*

cum quindecim aliis ejuſdem Ordinis Fratribus, qui de diverſis Mundi partibus adducti, propter dicta ſua hæretica in diverſis carceribus miſeri detinentur.

D. Facilè mihi perſuadeo, Sacrum Ordinem Fratrum Minorum de Eccleſia tam benè meritum degeneres & ſegreges illos Fratres, eorumque dogmata & facta impia damnaſſe, atque in obedientia *Joannis XXII.* Pontificis Maximi conſtanter perſeveraſſe.

M. Omnia, quæ hactenus dixi de quibuſdam Fratribus Minoritis, qui Sæculo decimo quarto Eccleſiam perturbarunt, & *Joannis XXII.* acerrimi inſectatores fuerunt, nullam Sanctiſſimo Fratrum Minorum Ordini infamiæ labem inurere debent, quia Sacer ille Ordo perduelles iſtos fratres diris devovit, & quæcumque ab illis hac in cauſa hæreticè dicta, vel impiè geſta ſunt, reprobavit in Capitulo generali anno MCCCXXIX. Pariſis habito, in quo *Gerardus Odonis*, electus Miniſter Generalis, de conſilio & conſenſu unanimi Provincialium Miniſtrorum, & cæterorum Definitorum Capituli, tam *Michaëlem Ceſenatem*, olim Ordinis Miniſtrum Generalem, quàm *Petrum de Corbaria*, *Bonagratiam* Bergomenſem, *Guillelmum Okamum*, *& Franciſcum de Eſculo* ejuſdem Ordinis, & alios eorum aſſeclas in excommunicationis, privationiſque pœnas, tanquàm manifeſtos & notorios Apoſtatas, incurriſſe publicâ ſententiâ pronunciavit, ut videre eſt apud *Spondanum* in Annalibus Eccleſ. ad annum MCCCXXIX. Num. VI. Teſtatur etiam ad eumdem annum *Guillelmi Nangii* Chronici Continuator, quòd Fr. *Henricus de Semons, Doctor in Theologia, & Provincialis Ordinis Minorum, in præſentia omnium*

ſurrexit, & ex parte Generalis eorum Capituli, quod pro tunc Pariſius tenebatur, ne in aliquo viderentur falſis fratribus ſe favorabiles exhibere, facta, proceſſus, & excommunicationes contra Fratres prædictos Ordinis eorum per Domnum Papam factas palam, & publicè approbavit, depoſitionemque Fr. Michaelis quondam Generalis eorum Miniſtri per Domnum Papam factam, ex parte Generalis eorum Conſilii, & etiam Capituli, & Ordinis, juſtam & laudabilem proteſtatus fuit; factaque Antipapæ (Petri videlicèt de Corbaria) & prædicti Fr. Michaelis, Fratris etiam Bonagratiæ, & Fr. etiam Franciſci de Ordine Fratrum Minorum, & eorum, ſi qui eſſent, conſortes vel complices, tanquam falſa & hæretica, & eorum Ordini inimica & contraria reprobavit, & de eorum factis vel maleficiis Fratres & Ordinem multipliciter excuſavit. Hoc pacto, reductis ad concordiam Decretalibus Summorum Pontificum *Nicolai III.* & *Joannis XXII.* quæ primâ fronte ſecum pugnare videbantur, pax tandem reddita eſt huic Sanctiſſimo Ordini, qui in ea fluctuum agitatione verè illud Poëtæ uſurpare poterat:

Quærebam filios, exceptis ſcilicèt illis,
Quos ſuus optaret non genuiſſe pater.

D. Redieruntne tandem ſegreges illi Fratres Minores ad Eccleſiæ unitatem, & ad Romani Pontificis obedientiam?

M. Segreges iſti Fratres Minores ſuo periculo comprobarunt, hunc eſſe caſuum virorum ſpiritualium ordinem, *ut primò quidem infelix animus per ſuperbiam intumeſcat, & inde in contentionem, de contentione in Schiſma, de Schiſmate in hæreſim, & de hæreſi in blaſphemias, infelici gradatione,*

ne, immò præcipiti ruina deſcendat, ſicut ait *Joannes* XXII. in Extravag. *Glorioſam Eccleſiam*. At enim, unus inter illos Fratres ſegreges Minoritas, dictus Fr. *Petrus Joannes Olivi*, ex oppido *Sirignano*, Diœceſis Biterrenſis, qui inter ſuos primùm eruditionis & regularis obſervantię famâ inſignis fuerat, tùm poſtea hæreſeos laboravit infamiâ, eumque *Fratricelli*, *Beguardi*, & *Beguinæ*, ut ſuum Patriarcham venerati ſunt. Inter multos errores, quos iſte *Petrus Joannes Olivi* effudit in ſua *Poſtilla*, ſeu Commentario in Apocalypſim, hi præcipui ſunt. Primò, ſextum, quem deſignat, Eccleſiæ ſtatum, & proprium eſſe Spiritus Sancti aſſerit, incipientem à tempore Sancti *Franciſci*, & pleniùs à tempore condemnationis Babylonis Meretricis magnæ (quo nomine Romanam Eccleſiam ubique intelligit) quique durabit uſque ad tempus Antichriſti, quinque prioribus Eccleſiæ ſtatibus maximè præeminere docet. Secundò, pertendit, quòd ſicut in primo Chriſti adventu nova Eccleſia, rejectâ Synagogâ veteri, formata eſt, ſic initio ſexti ſtatus nova formabitur Eccleſia, Chriſti lex, Vita & Crux erunt renovandæ per S. *Franciſcum*, qui eâ de causâ in exordio illius ſexti ſtatus Sacris Stigmatibus conſignatus apparuit. Tertiò, affirmat, Regulam *S.Franciſci* impugnandam & condemnandam eſſe ab Eccleſia carnalium & ſuperborum, non ſecus ac Chriſtus condemnatus fuit à Synagoga reprobâ Judæorum. Quartò, per Beſtiam aſcendentem de terra, vult intelligi Pſeudo-Papam cum ſuis Pſeudo-Prophetis, & Eccleſiam, quam Catholicam nuncupamus, ait eſſe Eccleſiam carnalem, Babylonem, & Meretricem magnam, quæ

publicè à Chriſto ſponſo ſuo adulteratur, & ſe, omneſque gentes ſibi ſubjectas, fœdis carnalitatibus, Simoniacis cupiditatibus, atque terrenâ hujus mundi gloriâ corrumpit. Miſſos facio alios errores, quibus ſcatet hæc *Petri Joannis Olivi* in Apocalypſim *Apoſtilla*, quam, ejuſque Auctorem, *Joannes XXII.* poſt maturum & deliberatum examen damnavit, ejuſque oſſa exhumari juſſit atque concremari, ſicut refert *Franciſcus Pegna* ex tribus probatæ fidei MSS. Codicibus in Commentario LI. in II. Partem *Directorii Inquiſitorum*. Legendus eſt etiam CL. *Baluzius* Tomo I. *Miſcellaneorũ* pag.313. ubi ex Archivo Archiepiſcopi Narbonenſis edidit cenſuram, ſive ſententiam à Magiſtris in Theologia à *Joanne XXII.* deputatis latam contra omnes *Petri Joannis Olivi* errrores, quos maximam partem *Hæreticos*, *Blaſphemos*, pleroſque *ridiculis & fatuis divinationibus ſcatentes*, *& temerarios* doctiſſimi illi in Theologia Magiſtri ſummo conſenſu pronuntiarunt. *Dermitius Thadæus* in ſua *Nitela Franciſcana*, & *Wadinghus* in Annalibus Minorum ad annum MCCXCVIII. *Petrum Joannem Olivi*, & alios nonnullos Pſeudo-Minoritas purgare, & ab omni hæreſeos ſuſpicione liberare pro viribus conantur, aſſerentes hujuſmodi Franciſcanos à ſuis Sodalibus falsò fuiſſe accuſatos, eò quòd *obſoleſcentem* (inquit *Dermitius Thadæus*) *Sancti Franciſci diſciplinam ſuo ſplendori reſtitui cuperent, & maximè Petrus Joannes Olivi, qui ſub Nicolao IV. incurrit aliquorum, quibus vita laxior placuit, indignationem ex ſtudio veræ diſciplinæ*. Teſtem etiam *Angelum Clarenum*, qui *Petri Joannis Olivi* familiaris fuit, appellat loco mox à me laudato *Wadinghus*, ejuſque auctoritate pro-

probat, prædiƈum *Petrum Joannē Olivi* etiam poſt mortem miraculis fulſiſſe. Verùm, ut candidè fatear, in purgandis *Petro Joanne Olivi*, aliiſque Pſeudo-Minoritis, laterem lavant, & oleum operamque perdunt *Dermitius, & Wadinghus.* De *Dermitio* hoc judicium in Annalibus Eccleſiaſticis profert *Odoricus Raynaldus*: *crediderim*, inquit, *Authorem hunc ignoraſſe Petrū Joannem Olivi inſignem hypocritam, plurium hæreſeon inventorem, judiciaria ſententia damnatum; neque advertiſſe, quàm longè abſit à Sedis Apoſtolicæ condendis Decretis maturitate, dignitateque, ob leves obtrectatorum ſuſurros, ita Chriſtianum Orbem commovere.* Poſteà, ut nullum pro *Petro Joanne Olivi*, aliiſque ei adhærentibus Pſeudo-Minoritis, cudendæ Apologiæ ſupereſſe locum oſtendat idem *Odoricus Raynaldus*, refert Pſeudo-Minorum Apoſtatarum Sectam contaminatam hæreſibus, *Cæleſtino V.* Pontifice germinaſſe, in eam *Bonifacium VIII. Benedictum XII. Clementem VI.* leges diſtrinxiſſe, nonnullis, ob hæreſim, rogos paratos fuiſſe, & Maſſiliæ quatuor Pſeudo-Minoritas, qui errores à *Petro Joanne Olivi*, in ſua Poſtilla ſuper Apocalypſim aſſertos pertinaciter propugnabant, ultricibus flammis fuiſſe addictos, ut habet manuſcriptum Vaticanum. Hæc, & alia id genus momenta contra *Petrum Joannem Olivi*, & alios Pſeudo-Minoritas, qui ab ejus partibus ſtabant, adducit egregius & ſinceriſſimus Scriptor *Odoricus Raynaldus* Congregationis Oratorii, ideſt, *Baronii* familiæ alumnus, qui nihil deterritus *Bzovii, & Spondani* labore in proſequendis & abſolvendis *Baronii* Eccleſiaſticis Annalibus, ultimus omnium idem opus aggreſſus eſt, quòd putaret, An-

nales *Baronii*, quaſi jure familiæ, ſibi abſolvendos eſſe. Denique, quòd ſpectat citatum à *Wadingho* teſtimonium *Angeli Clareni* aſſerentis, *Petrum* Joannem *Olivi* miracula etiam poſt mortem patraſſe, nihil certi ex eo extundi, aut ſtatui poteſt, tum quia conſtat, *Angelum Clarenum* fuiſſe Hæreticorum Fratricellorum ſigniferum, qui profugit in Græciam, ut juſtæ Quæſitorum, & Cenſorum Fidei ſeveritati ſe ſubduceret, ſicut Jordanus Hiſtoricus teſtatur; tum quia etiam, nunquam Joannes *XXII.* Pontifex Maximus oſſa *Petri* Joannis *Olivi* exhumari, & publicè cremari edixiſſet, ſi reverà fuiſſet homo ſanctus, & miraculis poſt obitum conſpicuus. Ea itaque ab *Angelo Clareno* jactata *Petri* Joannis *Olivi* miracula, vel ſimplicium fuere ludibria, vel pura putaque Hæreticorum mendacia. Obiit *Petrus* Joannes *Olivi* anno MCCXCVII.

D. Quinam erant iſti *Fratricelli*, qui, ut mox dicebas, *Petrum* Joannem *Olivi*, tanquam ſuum Patriarcham venerabantur?

M. Fratricellorum Sectæ initium dedêre ſub finem Sæculi XIII. *Petrus de Macerata*, & *Petrus de Foroſempronio*, Ordinis Minorum Apoſtatæ, qui, ſtrictioris obſervantiæ ſpecie, ſeceſſionem ab Ordine facientes, à *Cæleſtino V.* Pontifice Maximo facultatem obtinuerunt Eremitarum cultu vivendi, & Regulam Sancti *Franciſci* ad literam obſervandi. Hanc facultatem poſtquàm impetraſſent, in parvam quamdam Græciæ Inſulam perrexerunt, ut à vexatione Generalis Miniſtri, qui hoc Schiſma Ordini funeſtum pati nolebat, tuti eſſe poſſent. Hanc invaleſcentem Eremitarum Congregationem, ac plurimos errores publicantem abrogavit ac damnavit

navit *Bonifacius VIII.* eiſque juſſit, ut, relicto illo Anachoretarum vivendi cultu, ad Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum obedientiam redirent. Litteras ejuſdem Pontificis ad *Matthæum de Theate*, Ordinis Fratrum Minorum, Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, datas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad an. MCCXCVII. quibus *Bonifacius VIII.* Inquiſitoribus Fidei præcipit, ut in eos Fratricellos, ſi mandato Pontificio morem gerere, & à ſuis erroribus reſipiſcere nolint, tanquàm in Hæreticos agant, & pœnis canonicis animadvertant. At iſti Fratricelli, damnationis Pontificiæ nullâ habitâ ratione, palàm aſſerere cœperunt, ſe à nullo mortalium cogi poſſe ad deponendos habitus, quos cum parvis caputiis geſtabant, curtos, ſtrictos, ſquallidos, & nimiâ brevitate difformes ac ridiculos. Alios Fratres Minores, qui his inuſitatis caputiis, & habitibus non utebantur, vel qui ad præceptum Romani Pontificis victui neceſſaria congregabant, & in craſtinum ſervabant, diverſis conviciis lacerare, procaci imprudentique verſutiâ præſumpſerunt, ut videre eſt in Tractatu *contra Beguinos & Fratres Minores, qui dicuntur Spirituales*, edito à Clariſſimo *Baluzio* ex Archivo Eccleſiæ Narbonenſis, Tomo I. *Miſcellaneorum*, pag. 276. Quin, quod gravius eſt, iſti Fratricelli, ſpretis mandatis ac cenſuris *Clementis V.* Pontificis Maximi, qui per ſuam *Clementinam, exivi de Paradiſo*, Tit. *De Verborum ſignificatione*, in qua nonnulla dilucidat dubia, quæ circà ſenſum & obſervantiam Regulæ S. *Franciſci* emergere poterant, eos ad meliorem frugem, & obedientiam Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum revocare ſatagebat; perfrictâ fron-

te approbarunt, ac publicè propugnarunt doctrinam inſanam, ſuperius à nobis expoſitam, *Petri Joannis Olivi*, eſſe à Spiritu Sancto revelatam, & nullam hæreſim, vel errorem continere. Damnatos etiam & combuſtos Maſſiliæ quatuor ſegreges Minoritas, propter ſupra recenſitos errores *Petri Joannis Olivi*, injuſtè damnatos eſſe pro veritate Evangelicæ Regulæ Sancti *Franciſci* defendenda temere effutiebant, & ipſos ut Martyres colebant, ac prædicabant, ſicut conſtat ex Opuſculo *Joannis de Belna* Inquiſitoris Carcaſſonenſis, contra eoſdem edito, quod extat Tomo I. *Miſcellaneorum Baluzii*, pag. 285. Inter illos Fratricellorum errores, quorum præcipuos ſuperiùs indicavimus, quoſque à *Joanne XXII.* proſcriptos noſter *Eymericus*, vir, teſte *Odorico Raynaldo*, maximæ fidei & authoritatis, utpote qui eo tempore, quo adhuc vigebat Secta Fratricellorum, Summorum Pontificum juſſu, in eos in ditione Regis Aragonum animadvertit, accuratiſſimè refert Parte 2. *Directorii Inquiſitorum*, quæſtione decima quinta, inter illos, inquam, Fratricellorum errores, unus erat, quo iſti hypocritæ paupertatis Evangelicæ ſpeciem ſibi arrogantes, ſeque Orationi & contemplationi addictiſſimos mentientes, perpetuo otio indulgebant, & à labore omninò abſtinebant, quò factum eſt, ut brevi ignavorum hominum colluvies, porcarii, armentarii, pecorarii, cementarii, carbonarii, fabri, aliique id genus è ſellulariorum fæce ad eorum Sectam certatim confluxerint, eo potiſſimùm fine ut panem otioſi comederent, & mendicitate (ut ipſis quidem videbatur) non indecorâ, vitam ſuſtentarent, ſicut teſtatur *Alvarus Pelagius*, Sil-

venſis Epiſcopus, ex Ordine Fratrum Minorum aſſumptus, qui ſub *Joanne XXII.* Pontifice Maximò florebat, in Libro II. *De Planctu Eccleſiæ* Cap. XI. Variis nominibus iſti Fratricelli erant inſigniti. Appellabantur quippè *Bizochi*: *Fratres de paupere vita*: *Fratres Spirituales*, ſed poſtquàm à Fidei Quæſitoribus exagitati è Sicilia in Germaniam receſſerunt, dicti ſunt *Beguardi*, & *Beguini*, eò quòd ſeſe adjunxerint ad *Beguardorum*, & *Beguinarum* Sectam, quæ in Germania ſub auſpiciis *Ludovici Bavari* Imperatoris, Sedis Apoſtolicæ infenſiſſimi hoſtis, impunè graſſabatur. Hæc varia Fratricellorum nomina exprimit *Joannes XXII.* in Extravagante, quæ incipit his verbis. *Sancta Romana &c.* in qua de his ſic legitur: *Nonnulli prophanæ multitudinis viri ſunt, qui vulgariter Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vita, Bizochi, ſive Beguardi, vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiæ, necnon in Inſula Sicilienſi; qui contra Canones habitum novæ religionis ſumpſerunt*, ſub quo habitu, quaſi ſub ovina pelle lupi, varios diſſeminabant errores.

D. Expone, quæſo, clariùs, quænam eſſet hæc *Beguardorum*, & *Beguinarum* Secta? Quinam verò præcipui errores, quos iſtiuſmodi profitebantur Hæretici?

M. Cur iſti Hæretici fuerint appellati *Beguardi*, incertum omninò eſt, & altum apud Scriptores Eccleſiaſticos ſilentium. *Beguinæ* verò erant quædam Mulieres, quæ ita nuncupabantur ab earum Inſtitutore, ſeu à pio quodam, ſanctoque Preſbytero *Lamb erto*, qui Gallicè cognominabatur *le Begue*, quia balbus erat, indèque puellæ, quæ ab eo in ſocietatem ad caſtè vivendum ſub finem duodecimi

cimi Sæculi fuerant congregatæ, dictæ ſunt Gallicè *Beguines*, ſicut oſtendimus in Colloquio ſexto in Hiſtoriam Sæculi XII. Complures hujuſce Beguinarum Inſtituti Puellas ineunte Sæculo decimo quarto in errorem induxit fanatica quædam mulier de Hannonia, nomine *Margareta Porrete*, quæ anno MCCCX. cùm in Galliis peſtiferam doctrinam diſſeminare conaretur, igne damnata eſt, teſte *Guillelmi Nangii* Continuatore ad hunc annum, ubi hæc habet: *Circa Feſtum Pentecoſtes accidit Pariſius, quòd quædam pſeudo-mulier de Hannonia nomine Margareta, dicta Porrete, quemdam librum ediderat, in quo omnium Theologorum judicio, qui ipſum diligenter examinaverunt, multi continebantur errores & hæreſes, & inter cæteras, quòd Anima adnihilata in amore Conditoris ſine reprehenſione conſcientiæ vel remorſu poteſt & debet naturæ quidquid appetit & deſiderat concedere, quòd manifeſtè ſonat in hæreſim. Dum libellum hunc, aut in eo contentos errores abjurare nollet, quinimò latam in ſe excommunicationis ſententiam ab Inquiſitore hæreticæ pravitatis contemneret, quia coram Epiſcopo ſufficienter monita comparere nolebat, & per annum & amplius pertinaci ſuſtinuiſſet animo in ſua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Graviæ coram Clero ac populo ad hoc ſpecialiter evocatis de peritorum conſilio expoſita eſt & tradita Curiæ ſæculari; quam Pariſienſis Præpoſitus in ſua poteſtate ſtatim accipiens ibidem in craſtino incendio fecit extingui*. His pravis Dogmatibus *Margaretæ Porrete* complures infectæ *Beguinæ* ſocietatem inierunt cum hæreticis Beguardis, qui per Germaniam multos ſpargebant errores, quorum primus erat, quòd homo in iſta mortali vita uſque adeò ſublimem

mem perfectionis gradum aſſequi poteſt, ut nec ampliùs peccare, nec ulteriùs in gratia progredi queat. Secundus; quòd neque jejunare, neque aliam exercere corporis aut animi mactationem & aſperitatem debeat ille, qui verſatur in eo perfectionis apice. Tertius; quòd ille, qui eſt in prædicto perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis conſtitutus, non adſtringatur humanorum præceptorum, aut Eccleſiaſticarum legum Sæculariumve obſervatione, quia ſupremum libertatis filiorum Dei culmen attigit. Quartus; quòd homo in præſenti vita poſſit eâ potiri felicitate, quâ major in Cœlo futura ſit nulla. Quintus; quòd perfecta conſummataque Beatitudo ex natura & hominis arbitrio ita pendeat, ut nullo ſit opus lumine gloriæ infuſo. Sextus; quòd virtutum exercitatio eſt adhuc hominis imperfecti, quam proindè longè à ſe abdicare debet quiſquis jam eſt perfectus. Septimus; quòd libidinum actus, ad quos natura inclinat, nullâ involvantur culpâ, ſubindèque mulieris oſcula eſſe peccata mortalia, quia ad illa non pellicit natura, ſed coitum cum muliere eſſe inculpabilem aſſerebant, quoniam ad illum naturæ libido propenſione ſuâ fertur. Octavus; quòd dum elevatur, aut fidelium cultui exponitur Sacrum Chriſti in Euchariſtia Corpus, non debeat ille, qui ſublimem perfectionis gradum aſſecutus eſt, vel aſſurgere, vel genibus provolvi, quia ſic agens de illo ſublimi contemplationis faſtigio ſe dimitteret, ſi vel de Chriſti Sacramento, vel de Vita ejuſdem aut paſſione dignaretur tantiſper cogitare. Hos ut damnaret Beguardorum & Beguinarum errores, & impuriſſimas evelleret nequitiarum propagines *Clemens V.* Pontifex

tifex Maximus Synodum Oecumenicam Viennæ in Gallia convocavit anno ſupra milleſimum trecenteſimo undecimo, regnante in Galliis *Philippo Pulchro*, in quo unanimi Patrum ſuffragio confixa ſunt virulenta Beguardorum & Beguinarum dogmata, ſicut latiùs exponemus in ſequenti Colloquio.

D. Hi Sectarii Beguardi, & Beguinæ conformes mihi eſſe videntur veteribus *Maſſalianis*, qui *Euchitæ*, ac *Enthuſiaſtæ* dicebantur, & quorum meminiſti ſub finem ſecundi Colloquii noſtri in Hiſtoriam quarti Eccleſiæ Sæculi. Hi quippè nullam ferè vim Sacramentis Eccleſiæ, virtutumque exercitationibus, maximam verò ſuis fanaticis orationibus tribuebant, & fœditati promiſcuorum concubituum indulgere ſoliti erant. Certè, nihil peſtilentius, meâ quidem ſententiâ, & ad aperiendam viam ad omnia flagitiorum genera commodius fingi excogitarivè poteſt iſtis Beguardorum, & Beguinarum erroribus, ad quos detegendos & aſpernandos ſufficit communis ſenſus, ſufficiunt communiſſimæ pietatis notiones, Chriſtianâ inſtitutione omnibus impreſſæ. Hinc non mirum, quòd non ita pridem *Innocentius XI.* beatæ mem. Romanus Pontifex, ejuſmodi Beguardorum errores, quos in perniciem animarum *Michaël Molinoſus* Cæſarauguſtanæ Diœceſis in Aragonia Presbyter, Quietiſtarum, ſeu Spuriorum Myſticorum, Anteſignanus, ſuſcitare ac propagare moliebatur, confeſtim damnaverit Conſtitutione datâ Romæ die xx. menſis Novembris anni milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi ſeptimi, ac totus ubique populus Chriſtianus, auditis nefandis illis ſententiis, cohorruerit, publicisque illas execrationibus fuerit proſecutus.

M. Re-

M. Rectè dicis, nec minus, ut opinor, horrebis duas alias infames Sectas, quas impuriſſimi homines *Hermannus Pongilupus*, patriâ Ferrarienſis, *Gerardus Segarelli*, Parmenſis, & *Dulcinus*, Novarienſis, *Segarelli* diſcipulus, Sæculo decimo quarto invexerunt, lateque diffuderunt. Secta ab *Hermanno Pongilupo* conflata, veterum Gnoſticorum, quorum meminimus in quarto Colloquio in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ Sæculorum, nocturna conventicula, & promiſcuam in iis libidinem renovabat. Fœtus furtivis illis coitibus conceptus, tandiù per manus in orbem ſtantium jactabatur, donec ſpiritum efflaret, & in cujus manibus expirabat, is Pontifex Maximus horumce Sectariorum creabatur. Cremabant etiam unum ex iſtis infantibus ita procreatis, cineribusque in cadum conjectis, ac vino ſuper infuſo, indè Novitios ſpurciſſimis ſuis myſteriis initiabant. Sub ſpecioſo ſummæ, quam affectabant, paupertatis, aſſerebant, Chriſtianorum nemini licere quidquam habere proprii, nec Respublicas adminiſtrare, vel Magiſtratus gerere. Romanum Pontificem, & omnes Eccleſiæ Catholicæ Prælatos canino dente proſcindebant, eisque obtemperandum non eſſe pertendebant. Denique, animas Sanctorum non frui Dei viſione ante generalis Judicii diem propugnabant. Hujus propudioſæ Sectæ parens *Hermannus Pongilupus*, cui in Eccleſia fuerat ſepultura conceſſa, eò quòd, dum viveret, errores ſuos verbis tenus ejuraſſet, plurimisque ementitâ pietate fucum feciſſet; juſſu *Bonifacii VIII.* Pontificis Maximi exhumatus eſt, ejuſque oſſa flammis tradita anno poſt ejus obitum trigeſimo primo, ſicut teſtatur *Bernardus Guido* in *Chroni-*

co

co Romanorum Pontificum. Plura de his nefandiſſimis Sectariis legeſis apud *Prateolum*, & *Bernardum Lutzemburgum* in *Catalogo Hæreticorum*. Alteram Sectam fœdis dogmatibus & libidinibus impuram condidit Sæculo Eccleſiæ decimo quarto *Gerardus Segarelli*, vir plebejus & illiteratus, qui, venditâ domunculâ ſuâ, ejusque pretio non in pauperes, ſed in nebulones, qui taxillis ludebant, diſtributo, Chriſtum, & Apoſtolos imitari ſe velle profeſſus, viles homunciones in ſocietatem traxit, qui Apoſtolorum nomen ſibi arrogantes, hàc illàc mendicando vagabantur, dictitantes, omnia eſſe communia, etiam uxores. Ajebant inſuper, Deum Patrem rexiſſe Mundum in ſeveritate & juſtitia ab ejus creatione uſque ad Incarnationem Filii, tum à Filio gubernari cœpiſſe in gratia & ſapientia; jamque à Spiritu Sancto in amore & charitate regi. Ad hoc tertium Spiritus Sancti Regnum prædicandum ſe veniſſe dicebant, eoque amoris, ſeu Spiritus Sancti, vigente Regno, illicitum eſſe denegare quidquid ex charitate poſtularetur, ſubindèque promiſcuum virorum fœminarumque carnale commercium, cùm ex charitate fieret, peccatum non eſſe, ſed actum charitatis. Hanc ſceleratam, & abominandis flagitiis contaminatam Sectam latè propagavit *Dulcinus* Novarienſis, *Segarelli* diſcipulus, à quo iſti Sectarii dicti ſunt *Dulciniſtæ*, aſſerentes, auctoritatem omnem à Chriſto traditam Eccleſiæ Romanæ penitùs ceſſaſſe propter malitiam Prælatorum: ſe ſolos eſſe veram Eccleſiam: ſe nulli obedire debere: omnes Pontifices Romanos à tempore S. *Silveſtri* prævaricatores fuiſſe, excepto *Petro de Murrone*, ſeu *Cæleſtino V*. Papa. Viros abſque uxorum,

rum, uxores abſque maritorum conſenſu, poſſe matrimonii ſtatum deſerere, & ad Sectam ſuam tranſire, docebant. Omnes Ordines Hierarchicos & Religioſos, tanquam Eccleſiæ perniciosos reprobabant. Laicos à ſolvendis alicui Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti decimis liberos eſſe ogganniebant. Perfectiùs eſſe vivere ſine voto, quàm voti religione obſtrictum, propugnabant. Perinde eſſe in ſtabulo, ac in Eccleſia Deo conſecratâ orare, impiè garriebant. Demùm, ut eorum alios mittam errores, qui legi poſſunt apud S. *Antoninum* parte 3. *Chronici* titul.21. cap.1. parag.1. & apud *Eymericum* par.2. *Directorii Inquiſitorum*, quæſt.20. licitum eſſe putabant *Dulciniſtæ*, Fidem ore negare, ut hoc pacto Inquiſitorum fidei induſtriam fallere, eorumq; poteſtatem evadere poſſent. Sed nec fraus, nec dolus *Segarello* hujus Sectæ Authori, & *Dulcino*, illius propagatori, patrocinari potuerunt. Captus ſiquidem *Segarellus* à *Manfredo* Inquiſitore Ordinis Fratrum Prædicatorum, damnatus, & ſæculari Magiſtratui traditus, flammis addictus eſt die XVIII. menſis Julii anni MCCC. ſub Pontificatu *Bonifacii VIII.* In *Dulcinum* verò, & in ſex hominum millia ab eo ſeducta & in Alpibus habitantia, *Clemens V.* Pontifex Maximus primùm Fidei Quæſitores, deinde Cruceſignatos Milites direxit. Captus tandem *Dulcinus* cum Scorto, cui *Margaritæ* nomen, & pluribus aliis nequiſſimæ factionis ſociis, qui Vercellas ducti, Sæcularis Magiſtratus ſententiâ membratim prius conciſi ſunt, poſteà exuſti & in cineres redacti, ut S. *Antoninus* loco mox laudato, & *Bernardinus Corius* in Hiſtoria Mediolanenſi part. 2. ad annum MCCCVII. teſtantur. Sic tandem extincta eſt ne-

nefaria illa Pſeudo-Apoſtolorum Secta, quam antehàc Summi Pontifices *Honorius IV.* ſub finem decimi tertii Sæculi, ſeu anno MCCLXXV. & *Nicolaus IV.* anno MCCXC. proſcripſerant. His duabus turpiſſimis Sectis, tertiam, ſeu *Turlupinorum*, Sectam, quæ Sæculo decimo quarto graſſata eſt, addere non pigebit. Erant porrò iſti *Turlupini* ſolo nomine Chriſtiani, & veri Epicurei, qui, præter turpes & impias, in quibus volutabantur, Beguardorum hæreſes, docebant, *nihil pudere quemquam debere eorum, quæ à natura accepimus*. Unde, turpi Cynicorum Philoſophorum more, abſque verecundia incedebant, & quod eſt dictu horrendum, & cogitatu pudendum, in publico, canum inſtar, & jumentorum more coibant; aſſerentes inſuper, non eſſe orandum vocalitèr, ſed mentalitèr. Verùm, hæc flagitioſa turpium hominum Secta eodem Sæculo decimo quarto eraſa ac penitùs deleta eſt, igne combuſtis in Gallia perditiſſimis illis hominibus, qui pecudum vitam degebant, ſicut teſtatur *Robertus Gaguinus* Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Monachus libro 9. *de Geſtis Francorum*, ubi hæc habet: *Superſtitionis quoddam genus eodem tempore à Turlupinis (hoc enim erat hæreticis nomen, qui ſe de ſocietate pauperum vocitari gaudebant) ortum, finem fecit, crematis eorum veſtibus, & libris in foro Suillo extra Sancti Honorati portam. Joanna autem Dabentona, & cum ea alter, cujus nomen Hiſtorici non tradunt, ejus Sectæ in primis profeſſores comburuntur. Hic autem, quem ſine nomine ponimus, cùm ante damnationis ejus ſententiam in carcere mortem obiiſſet, dies quindecim in aggere calcis, ne putreſceret ejus cadaver, aſſervatus eſt, & die ad ſupplicium præſcripto crematus.*

D. Pa-

D. Parit licentiam vivendi effrænis ſentiendi opinandique libertas, ſæpèque conciliatricibus mulierum gratiis & popularibus illecebris homines illecti, ac falsâ Religione deluſi ad omnia flagitiorum genera perpetranda impelluntur. *Tantùm Relligio potuit ſuadere malorum.* Sed hos ex hara Epicuri porcos, ſeſe in cœno libidinum volutantes relinquamus, ac paululùm, ſi placet, hìc inhæreamus in diſcutiendo dubio, quod mihi non nihil negotii faceſſit circa doctrinam *Raymundi Lulli*, quem Sæculo decimo quarto floruiſſe, & tertio Ordini Fratrum Minorum nomen dediſſe aſſerunt Minoritæ. Audieram quippè nuperrimè à viro erudito, hunc *Raymundum Lullum* multa ſcripſiſſe Opera, ſed in varios errores impegiſſe, ejuſque doctrinam à Romanis Pontificibus fuiſſe damnatam; & tamen adivi hodie doctiſſimum Minoritam, qui mihi ſanctiſſimè juravit, doctrinam *Raymundi Lulli* ab omni prorſus errore eſſe immunem, nec ab ullo unquam Pont. Rom.proſcriptã.Cùm igitur circà doctrinam iſtius Authoris adhuc pendulus hæream, tuum de ejus Operibus judicium lubentiſſimè auſcultabo.

M. De *Raymundo Lullo* non una eſt omnium Scriptorum ſententia. Alii eum inter Hæreticos recenſent. Alii illum ſuſpectum de fide, multiſque implicatum erroribus pronunciant, immò ut hiſtrionem, perditæque memoriæ virum infamant. Alii denique non tantùm ejus abſolutioni ſubſcribunt, ſed etiam ut *Martyrem, Doctoremque Illuminatum* deprædicant. Tot inter diſcrepantes virorum eruditorum ſententias, conſultiùs eſſe duco meum non interponere judicium, ſed hiſtoricè dumtaxat hinc indè adducere momenta, quibus vel ad accu-

ſandum, vel ad abſolvendum *Raymundum Lullum* moventur viri eruditi. In primis, hi, qui *Raymundo Lullo* patrocinantur, multa in medium proferunt encomia, quibus *Raymundus Lullus* à viris clariſſimis celebratur. Eum quippè P. *Cauſſinus* Soc. Jeſu tomo 4. *Curiæ ſanctæ*, tract. 1. ſect. 13. *Theſaurum abſconditum* appellat, & à ſolis invidis & æmulis exagitatum ait. P. *Sanjurius* ejuſdem Societatis lib.4. *de Chriſti cognitione & amore* ipſum inter ferventiores Chriſti amatores refert. Alii eum nuncupant *Doctorem Illuminatiſſimum*, *Tubam Spiritus Sancti*, *Organum Dei*, *Fontem veritatis*, *Eccleſiæ reſtauratorem*, *ineffabilem præceptorem &c.* Prætereà, injuſtam *Raymundi Lulli* accuſationem refundunt illius Apologiſtæ in ſolum *Eymericum* Inquiſitorem Dominicanum, qui in ſuo *Directorio Inquiſitorum* refert Diploma *Gregorii XI.* Pontificis Maximi, qui multas opiniones *Raymundi Lulli* ut *erroneas* & maximam partem *hæreticas* damnavit, omneſq; ipſius libros prohibuit VII. Kalendas Februarii anni MCCCLXXVI. Porrò, hoc *Gregorii XI.* Diploma ab *Eymerico* in odium *Raymundi Lulli* confictum ac procuſum fuiſſe ex eo potiſſimùm probant iſti Apologiſtæ, quòd hujuſmodi Diploma licèt in *Gregorii XI.* Regeſto fuerit diligentèr quæſitum, nunquam tamen inveniri potuerit. Poſtremò, ajunt *Raymundi Lulli* Apologiſtæ, eum apud Majoricenſes pro Sancto & Martyre coli, quod ſanè haud permitteret Eccleſia, ſi reverà *Raymundi Lulli* doctrina fuiſſet ceu hæretica à Romanis Pontificibus confixa. Hæ ſunt in ſumma rationes, quas pro *Raymundi Lulli* vindiciis vulgò proferunt ejus Apologiſtæ. At, hi, quibus ex adverſo non probatur

Raymundi Lulli doctrina, adductas illas ab ejus Apologiſtis rationes elevare, & inutiles planè reddere pro viribus moliuntur. Ad primam quippè rationem reſpondent, nihil ex iſtis egregiis Epithetis, quæ non ſatis attentâ conſideratione viri docti *Raymundo Lullo* tribuunt, colligi poſſe, cùm ab his abſtinendum eſſe ultrò profiteatur *Wadinghus*, qui Minorum Annales condidit, & *Raymundum Lullum* tuetur quantùm poteſt: *Abſtinendum itaque* (inquit Wadinghus) *ab ineptis quorumdam Epithetis, & paræneticis, quæ inſulsè affinguntur, elogiis: temerè enim à ſuis* (Raymundus Lullus) *appellatur Sectariis, Doctor Illuminatiſſimus, Tuba Spiritus Sancti, Organum Dei, Fons veritatis, Eccleſiæ reſtaurator*. Ad alteram rationem, quam de confictо ab *Eymerico* Inquiſitore Dominicano *Gregorii XI.* contra errores *Raymundi Lulli* Diplomate afferunt ejus Apologiſtæ, reſpondent *Antillulliſtæ*, credibile non eſſe *Eymericum*, virum clariſſimum, qui Inquiſitoris officio in Regno Aragoniæ ſub quinque Summis Pontificibus *Innocentio VI. Urbano V. Gregorio XI. Urbano VI.* & *Bonifacio IX.* maxima cum laude perfunctus eſt, voluiſſe adulterinum & ſuppoſititium *Gregorii XI.* contra *Raymundi Lulli* doctrinam obtrudere Diploma, illudque toti Orbi pro vero ac genuino venditare: *Hæc Lulliſtæ*, inquit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXII. Num. XXXV. *conficta ab Eymerico, vel ſubreptitium eſſe diploma contendunt. At virum gravem egregiè de Religione Catholica meritum, nullius utilitatis illecebra pellectum, id facinus perfricta fronte auſum vix credi poteſt, cùm facillimè coargui mendacii potuiſſet*. Addunt etiam Antilulliſtæ, *Petrum* Aragoniæ Regem in Epiſtola datâ ann. MCCCLXXVII.

ad *Gregorium XI.* iſtud de *Raymundi Lulli* damnatione Diploma ut legitimum agnoviſſe, & in ſuo Regno promulgatum; quod certè improbaſſet *Gregorius XI.* ipſumque Regem de ſuppoſitione Diplomatis admonuiſſet, ſi ſuppoſititium fuiſſet, & *Eymericum* hujus criminis convictum non impunitum reliquiſſet, ſed illum Inquiſitionis officio abdicaſſet, quo tam inſigniter fuiſſet abuſus. Nihil tamen horum fecit *Gregorii XI.* Quin, *Franciſcus Pegna* Directorium Inquiſitorum *Eymerici* nuncupavit *Gregorio XIII.* Pontifici Maximo, Notis doctiſſimis illuſtravit, & litteris Apoſtolicis locupletavit, quas inter extat laudatum *Gregorii XI.* contra *Raymundum Lullum* Diploma, quod tamen *Franciſcus Pegna* omni procul dubio expunxiſſet, ſi illud pro ſpurio & ſuppoſititio habitum fuiſſet. Fatentur quidem Antilulliſtæ, hoc *Gregorii XI.* contra *Raymundum Lullum* Diploma datum anno illius Pontificatus ſexto, ſeu anno MCCCLXXVI. non amplius extare in Regeſto illius Pontificis. Sed id accidiſſe ajunt, quòd Regeſtum anni ſexti Pontificatus *Gregorii XI.* perierit, incertum an caſu, an dolo, vel, quod veroſimilius eſt, mutatione Sedis Apoſtolicæ, tunc Avenione Romam translatæ. Sed etiamſi extaret adhuc Regeſtum anni ſexti Pontificatus *Gregorii XI.* & in eo deeſſet Diploma, quod eodem anno edidit contra *Raymundi Lulli* doctrinam, non indè tamen conſequeretur, illud ab *Eymerico* fuiſſe confictum; nam præterquàmquòd plures ab Authoribus Bullæ Pontificiæ citantur authenticæ, quarum apud aliquos authographum habetur, quæ tamen è Regeſtis, neſcio quo caſu, exciderunt, conſtat etiam apud omnes, *Raymundum Lullum* apud *Gregoriũ XI.* ſæpiùs

ſæpiùs hæreſeos fuiſſe accuſatum, & eumdem Pontificem uno Diplomate dato anno MCCCLXXII. præcepiſſe *Eymerico*, ut in *Raymundi Lulli* errores inquireret, & ejus libros igni addiceret, ſi qui in illis errores deprehenderentur. Idem altero Diplomate dato anno MCCCLXXIV. *Franciſco Vitali* præcepit Summus ille Pontifex. Unde nec *Wadinghus* ipſe, acerrimus licèt *Lulli* defenſor, ſibi temperare potuit, quin cogente veritate fateretur, *ſuſpicionem ingerere duas præfatas Extravagantes, Summum Pontificem* (Gregorium XI.) *circa Lulli doctrinæ damnationem aliquid effeciſſe*. Ad poſtremam Lulliſtarum rationem petitam ex ſanctitate, Martyrio, & cultu, qui *Raymundo Lullo* apud Majoricenſes defertur, reſpondent *Antilulliſtæ*, nihil indè ad purgandam *Raymundi Lulli* doctrinam extundi poſſe, quia propter errores, & propoſitiones nonnullas hæreticas, hæreticum nemo dixerit *Raymundum Lullum*, cùm omnia Opera ſua Eccleſiæ Romanæ cenſuræ ac judicio ſubjecerit, ſicut multis probat *Wadinghus*, totumque illud errorum virus Martyrio pro fide Catholica tolerato, ſeu paſſionis falce purgaverit; quod tamen certò affirmari haud poteſt, quia Eccleſia Romana, omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, ejus Martyrium necdum vindicavit. Hæc momenta circa doctrinam *Raymundi Lulli* hinc inde hiſtoricè produximus, plura de ejus patria, vita & Operibus dicturi in quinto Colloquio, ubi agemus de Viris illuſtribus, qui Sæculis XIII. & XIV. floruerunt. Hìc tantùm velim ſedulò obſerves, hunc *Raymundum Lullum* confundi non debere cum altero *Raymundo* cognomento *De Terraga*, qui etiam *Raymundus Neophytus* nuncupatus

 eſt.

eſt. Is quippè ex Hebræorum Rabbino factus Chriſtianus, execrandos errores Scriptis tradidit, quos accuratè recenſet noſter *Nicolaus Eymericus* 2.parte *Directorii Inquiſitorum*, quæſt. 10. Inter illos errores, hi præcipui & graviores ſunt. Primò, docet hic *Raymundus de Terraga*, dictus etiam *Neophytus*, prava dogmata Almarici, Arii, Sabellii, & quorumvis Hæreticorum, per ſe hæretica non eſſe, ſed tantùm reſpectu illorum, qui ipſa animo pertinaci eligunt. Secundò, fas eſſe Dæmones adorare, & Sacrificantem Dæmonibus æquè & meliùs ab Idololatriâ excuſari, quàm Chriſtianum adorantem imaginem Chriſti & Sanctorum. Tertiò, Laicum non teneri ad aliquem fidei articulum explicitè credendum, ideòque ſi teneat, vel credat oppoſitum alicujus articuli ex ignorantia & tentatione Diaboli, non peccare. Quartò, omnem peccatorem, dum peccat, voluntatem ſuam divinæ conformare, & æquè placere Deo bona & mala, æquè *Judæ* deſperationem, ac *Petri* contritionem. Quintò, hominem ſine charitate infuſâ poſſe Deum ſuper omnia diligere & vitam æternam promereri. Sextò,Sectam *Mahometi* eſſe perindè Catholicam ac fidem Jeſu Chriſti. Septimò, perfectius eſſe Schiſmaticum eſſe, quàm Catholicum, & Chriſtum, Apoſtolos, Angelos, Cœlites omnes eſſe Schiſmaticos. Octavò, ſolum Deum Patrem eſſe optimum, Dei Filium eſſe bonum in primo gradu, Spiritum Sanctum in ſecundo gradu, creaturam omnem in tertio. Hos, & complures alios *Raymundi Neophyti* errores,qui legi poſſunt apud *Eymericum*,& apud *Franciſcum Pegna* Commentario 52. in *Directorium Inquiſitorum* ejuſdē *Eymerici*, confixit *Gregorius XI.*

Pon-

Pontifex Maximus Diplomate, quod incipit: *Aliquid mali propter vicinum malum*. Hæc obitèr obſervanda eſſe duxi, ut faciliùs cavere poſſes ab errore, in quem lapſi ſunt *Prateolus*, *Bernardus Lutzemburgus*, & noſter *Abrahamus Bzovius*, qui ſimilitudine nominis decepti, *Raymundi Neophyti* abſurdiſſimos errores, & perniciofos libros, *Raymundo Lullo*, tanquam notiori, perperàm affinxerunt.

D. Uſque adeòne Sæculis XIII. & XIV. fortunata fuit Dominicana Familia, ut nullum degenerem, nullum à Fide Catholica extorrem filium habuerit?

M. Etſi Familia Dominicana ſemper de Eccleſia optimè merita fuerit, eamque non minùs doctrinâ, quàm pietate illuſtraverit, non ideò tamen ejus filii dilatant phylacteria ſua, non omnia ſua laudant, non omnia ſua extollunt, nec ſuos omnes, Sanctos dicunt, Doctores, Martyres, Athletas, & Heroes; ſed potiùs modeſtè, ut par eſt, profitentur, & ſincerè agnoſcunt, nonnullos è ſuis extitiſſe, qui ingenio ſuo plus æquo indulgentes, & ab illibata Sancti *Thomæ Aquinatis* doctrina deſciſcentes, erraverunt, & malè ſanæ doctrinæ adhæſerunt, quos inter Sæculo decimo quarto reponunt *Joannem de Montesono* Hiſpanum, & *Ekardum* Teutonicum, quorum errores pro eâ, quam profiteor, ſinceritate, hìc ſupprimere nec poſſum, nec debeo. *Joannes de Monteſono* Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologus, graves ac diuturnas contentiones habuit cum eadem Facultate Pariſienſi, quæ quatuordecim propoſitiones erroneas à *Joanne Monteſono* aſſertas cenſurâ confixit anno MCCCLXXXVII. Eaſdem etiam pro-

poſitiones à quovis publicari, prædicari, & doceri latâ ſententiâ prohibuit *Petrus de Ordeomonte* Epiſcopus Pariſienſis, ad quem *Monteſonus*, qui obſtrictam de palinodia cantanda fidem contumacitèr fregerat, fuerat delatus. Has inter quatuordecim *Joannis Monteſoni* propoſitiones, ſunt novem, quas licèt ad quæſtiones purè Scholaſticas pertinere, & ſenſum Catholicum nonnullas earum habuiſſe aſſerant aliqui Familiæ Dominicanæ Scriptores, cenſeo tamen ipſe illas jure ac merito fuiſſe proſcriptas à Sacra Facultate Pariſienſi, quæ, ne doctrinam Sancti *Thomæ Aquinatis*, quem ſibi *Monteſonus* Patronum injuſtè adſciſcebat, ſuâ cenſurâ afficere voluiſſe videretur, illius honori, & integritati, teſte *Petro de Alliaco* Theologo Pariſienſi, conſultum eſſe voluit his verbis: *Salva in omnibus reverentia S. Thomæ*, & in litteris, quas eadem Academia Pariſienſis ſcripſit contra *Joannem Monteſonum*, relatis ab *Egaſſio Bulæo* tomo 4. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, diſertè teſtatur, ſe in hac contra *Monteſonum* cenſurâ doctrinam S. Thomæ non attigiſſe: *Nos*, inquit celeberrima illa Academia, *milleſies diximus, &, ut videmus, non ſufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta noſtra condemnatione nequaquam reprobamus, ſed hunc*, ſeu Monteſonum, *ejuſque fautores, doctrinam ejus*, ſeu S. Thomæ, *ad diſtortum, fideique abſonum ſenſum adaptantes, aut ultrà quam fieri debet, contra ejuſdem Doctoris documentum dilatantes, condemnandos audacter aſſerimus*. Idem judicium ferendum eſſe cenſeo de quinque aliis propoſitionibus, in quibus temerè aſſerebat *Monteſonus*, quòd *dicere, Beatam Mariam Virginem & Dei genitricem non contraxiſſe peccatum originale, eſt expreſsè contra*

fidem.

fidem. Quæ *præſumptuoſa aſſertio*, ut ait *Petrus de Alliaco* in Tractatu, quem contra *Monteſonum* edidit, quique adhuc extat manuſcriptus Pariſiis in Bibliotheca Navarrici Collegii, *non ſolùm Sanctis & Doctoribus tenentibus B. Virginem ſine macula originali conceptam, injurioſa eſt, ſed etiam eis, qui tenent oppoſitum adverſativè. Nam licèt B. Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes tenuerit, ipſam in peccato fuiſſe conceptam, propter quòd ibidem ſcribit, Conceptionem ipſius celebrandam non eſſe; tamen in fine dictæ Epiſtolæ ſic concludit*: Quæ autem dixi, abſque præjudicio dicta ſint ſaniùs ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ hujuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare. *Unde patet, quòd illud ſolum probabiliter & opinativè tenuit, nec oppoſitum tenentes inſanè ſapere aſſerere præſumpſit, quod tamen dicere potuiſſet, ſi illud expreſſè contra fidem crediſſet*. Hactenus *Petrus de Alliaco* Theologus inſignis, qui ad Cameracenſem Epiſcopatum, & poſteà ad Cardinalitias Infulas, ob eximiam, quâ pollebat, eruditionem promotus eſt. Sacræ Facultatis Pariſienſis condemnationi prævio examine & maturo judicio factæ, atque ab Epiſcopo Pariſienſi confirmatæ non acquievit *Joannes de Monteſono*, cùmque ab Facultate Pariſienſi reſecationem & ab Epiſcopo Pariſienſi fulmina ob contumaciam defugere ſe non poſſe intelligeret, *Clementem VII.* qui, perſtante Schiſmate, Avenione ſedebat, eique Gallia adhærebat, appellavit. Conſtantèr in ſua tuenda Cenſurâ perſtitit. Facultas Pariſienſis, &, ut omnem à ſe aut inimicitiæ, aut præoccupati judicii ſuſpicionem amoliretur,

tur, de ordine, quem in *Joannis de Monteſono* condemnatione tenuerat, omnes certiores fecit, datis Circularibus, ut vocant, litteris, quas deſcripſit *Egaſſius Bulæus* tomo 4. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 621. Miſit etiam Facultas Pariſienſis Avenionem ſuos Legatos Magiſtros *Petrum de Alliaco*, *Ægidium de Campis*, *Joannem de Nova Villa*, & *Petrum de Alainvilla*, qui, poſtquam coram *Clemente VII.* & in frequenti Cardinalium conſeſſu ſæpiùs peroraſſent, obtinuerunt tandem an. MCCCLXXXVIII. Cenſuræ Facultatis Pariſienſis confirmationem, & *Joannis Monteſoni* damnationem, cui juſſum eſt ut Pariſios rediret, & Univerſitatis correctioni ſeſe ſubmitteret. Quod cùm ille facturum ſe promiſiſſet, nocte ſequenti Avenione clandeſtinâ fugâ ſe proripuit, & in Aragoniam, unde oriundus erat, ſeceſſit. Utinam hìc tandem funeſta illa, infauſtisque auſpiciis ſuſcepta à *Joanne Monteſono* controverſia finem habuiſſet! At, proh dolor, Dominicani Pariſienſes Collegii S. Jacobi, quod ab ipſo ordinis exordio fuit ſemper illuſtre virorum eruditorum Seminarium, falsò arbitrati, hac Sacræ Facultatis Pariſienſis in *Joannem de Monteſono* latâ Cenſurâ doctrinam Sancti *Thomæ* petitam eſſe, imprudentèr *Joannis de Monteſono* patrocinium ſuſceperunt, & Cenſuræ ſubſcribere detrectarunt. Quam ob cauſam Dominicani è Facultatis Pariſienſis gremio abſciſſi ſunt, & docendi, concionandique munere, necnon gradibus Theologicis omninò privati. Hinc magna in Galliis Dominicanis conflata invidia, ac plurima illata incommoda, quæ Vitæ *Clementis VII.* Scriptor pluribus enarrat. Hanc luctuoſam ſciſſuram, quâ per annos viginti quinque integros Domi-

minicani ab Sacra Facultate Pariſienſi fuerunt excluſi, ægrè tulerunt *Carolus VI.* Galliarum Rex, ejuſque Patrui, Duces Burgundus, & Borbonius, qui pro ſua pietate, & auctoritate has diſcordias ſuſtulerunt, pacemque ſanciverunt. His tamen diſſenſionibus nullus magis indoluit, aut illis tollendis feliciùs incubuit *Joanne Gerſonio,* Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellario, ut videre eſt in Epiſtola, quam in hanc rem ad Collegium Navarræ ſcripſit, in quo hæc habet: *Cogor,* inquit, *illam deflere ſciſſuram miſerabilem, & mutilationem luctuoſam partis non modicæ Univerſitatis Pariſienſis. Fratres Prædicatores loquor, viderint ipſi quid egerunt .... Attenderent ò utinam omnes, & benigna recogitatione ſecum tractarent, quanta, qualisve jactura ſpiritualis eſt & fuit, tot hactenus ſermones, tot lectiones, tot ſalubres Inſtructiones in Univerſitate & alibi exinde ceſſaſſe.* Et cùm probè noſſet doctiſſimus ille Cancellarius, hoc pacis ſtudium non omnibus placiturum, ſubjungit: *Oblatrabunt, ſcio, ſi ad quoſdam hæc ſcripta delata fuerint, ferentes indignè, immò pro ſcelere vel mutabilitate deputantes, quòd pacem Jacobitarum,* ſeu Dominicanorum, *videar optaſſe, aut pro ea verbum ſcriptumve feciſſe. Sed libera voce fatebor, nec illud unquam pudori deputabo, me nunc & priùs olim ſemper dum modeſtè volui, vel optavi, reconciliationem ipſorum in mediis etiam litibus optaviſſe. Pereant qui de matris, aut myſtici corporis fœda mutilatione gloriantur, qui non ſanationi ſtudent, ſed medelam quærentibus crudeliter iraſcuntur, & qui ad diviſionem magis, quàm pulcherrimam unionem dæmoniaca impietate pelluntur, quorum perſecutio, ſi pergunt in pacificos veritatis amatores furere, ſpernenda eſt, &*

gene-

generoſæ virtutis pede calcanda, hoc proviſo, ne damnoſius inde naſcatur in Univerſitate vel Republica ſcandalum. Sed de *Joanne Monteſono*, & de graviſſima Controverſia, quæ ejus occaſione Pariſiis excitata eſt inter Academiæ Pariſienſis Doctores, & Dominicanos, plura legeſis apud noſtrum P. *Mallet* Doctorem Pariſienſem, in libro, quem Gallico idiomate ſcripſit de Viris *Illuſtribus Domus & Collegii Sancti Jacobi*.

Alter Dominicanus, qui Sæculo decimo quarto non ſecundùm menſuram fidei, prout in Sanctiſſimo Ordine fuerat inſtitutus, ſcripſit & docuit, fuit *Ekardus*, natione Teutonicus, qui licèt à *Joanne Taulero* in Opuſculo *De Convivio*, & ab *Bzovio* ad annum MCCCXXXVII. velut inſignis pietate & doctrinâ Theologus celebretur, pernicioſos tamen errores ſuis concionibus, Scriptiſque vulgavit, ut compertum habemus tum ex quæſtione in ipſum habitâ primùm ab *Henrico* Archiepiſcopo Colonienſi, tum etiam ex definitione *Joannis XXII.* Pontificis Maximi, in cujus litteris, ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCXXIX. Num. LXX. ex Regeſto ejuſdem Pontificis deſcriptis, viginti octo errores recenſentur, ex quibus alios ut hæreſeos labe inſperſos, alios à temeritatis & hæreſis nota non alienos declaravit *Joannes XXII.* Teſtatur nihilominus idem Pontifex, *quòd Ekardus in fine vitæ ſuæ fidem Catholicam profeſſus, prædictos viginti ſex Articulos, quos ſe prædicaſſe confeſſus extitit, nec non quæcumque alia per eum ſcripta & docta ſive in ſcholis, ſive in prædicationibus, quæ poſſent generare in mentibus Fidelium ſenſum hæreticum vel erroneum, ac veræ fidei inimicum; quantùm ad illum ſenſum revocavit, ac etiam re-*

reprobavit, & haberi voluit pro ſimpliciter & totaliter revocatis, ac ſi illos & illa ſigillatim & ſingulariter revocaſſet; determinationi Apoſtolicæ Sedis & noſtræ tam ſe, quàm ſcripta ſua & dicta omnia ſubjiciendo. Undè liquidò patet, *Ekardum* non obfirmato animo errores ſuos defendiſſe, ſed potiùs quæcumque docuerat fidei Catholicæ minus conſona ejuraſſe, ſeque Eccleſiæ judicio, ut par erat, prompto & humili obſequio ſubjeciſſe.

His duobus Familiæ Dominicanæ Theologis, qui ſe Duces ſecuti, à recta ſanæ doctrinæ ſemita aberrarunt, tertium adiiciam ejuſdem Familiæ Theologum, qui floruit ſub finem decimi tertii Sęculi, & obiit decimo quarto Sæculo, ſeu anno MCCCVII. Is eſt Joannes, ſive ortu, ſive educatione dictus *Pariſienſis*, qui librũ edidit hunc pręferentem titulum: *Determinatio Fr. Joannis de Pariſiis Prædicatoris de modo exiſtendi Corporis Chriſti in Sacramento Altaris alio, quam ſit ille, quem tenet Eccleſia*. In hoc libro *Joannes de Pariſiis* explicandum ſuſcipit, non ſolùm per converſionem ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti, ſed etiam per aſſumptionem ejuſdem ſubſtantiæ à Verbo Divino, modum, quo Corpus Chriſti exiſtit in Euchariſtiæ Sacramento. Hunc librum *Joannis de Pariſiis* ex MS. Codice S. *Victoris* Pariſienſis eruit, & præmiſsâ Diſſertatione Hiſtorica *de Dogmate Tranſubſtantiationis* anno MDCLXXXVI. Londini edidit Pſeudo-Miniſter *Petrus Allix*, eumque Scriptorem in ſuas, ſeu Hæreticorum partes traxit, Sed non animadvertit Pſeudo ille Miniſter, ſe ex eo *Joannis de Pariſiis* libro nihil præſidii ad ſuum contra auguſtiſſimũ Euchariſtię Sacramentum errorem ſuffulciendum accerſere poſſe, tum quià cer-

certiſſimè conſtat, *Joannem de Pariſiis* realem Corporis Chriſti in Euchariſta præſentiam, quam *Petrus Allixius*, aliique ejuſdem farinæ Hæretici explodunt, nunquam negaſſe; tum quia etiam, *Joannes de Pariſiis* novam & peregrinam opinionem ſuam, quâ par eſt reverentiâ, Eccleſiæ judicio ſubjecit; tum quia denique, *Joannes de Pariſiis*, à *Guillelmo* Pariſienſi, *Ægidio* Bituricenſi, *Guillelmo* Ambianenſi Epiſcopis, & à Magiſtris Facultatis Pariſienſis diligentiùs examinatâ ejus doctrinâ, damnatus eſt, & prohibitus prælegere, docere, prædicare & diſputare Pariſiis. Ineptè ergo *Petrus Alixius* in ſua laudata Diſſertatione, & *Joannes Clericus* Tomo III. *Bibliothecæ Univerſalis*, exiſtimarunt, eâ *Joannis de Pariſiis* opinione evinci poſſe, Dogma Tranſubſtantiationis, ſeu Converſionis ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia ſub finem decimi tertii, & initium decimi quarti Eccleſiæ Sæculi necdùm apud Catholicos fuiſſe communitèr receptum. Hæc ſiquidem frigida ac inanis utriuſque Hæretici conjectura nullo negotio falſi convincitur ex perpetua SS. Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum traditione, & ex conſenſione omnium ætatum, Nationum, & Eccleſiarum, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hanc uſque ætatem Dogma de Reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, & de Tranſubſtantiatione cõſtantèr propugnarunt, & illos, à quibus univerſalis Eccleſiæ fides oppugnata fuit, aut diris devoverunt, aut ad canendam palinodiam adegerunt, ſicut in ſuo aureo Opere *de Perpetuitate fidei* pluribus probat doctiſſimus *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus.

nicus. Sed hæc de *Joanne Pariſienſi* Ord. Prædicatorum, de quo in quinto Colloquio iterùm redibit ſermo, obitèr dicta ſint.

D. Narraſti in Colloquio ſuperiori Schiſma, quod *Ludovicus Bavarus* Imperator Sæculo decimo quarto contra *Joannem* vulgò dictum vigeſimum ſecundum, conflavit: nunc autem ſcire velim, an illi, qui à partibus *Ludovici Bavari* ſteterunt, in aliquos errores impegerint, & an fidem aliquam mereantur in his quæ adversùs *Joannem XXII.* Pontificem Maximum ſcripſerunt.

M. Poſtquàm *Joannes XXII.* ſententiam excommunicationis anno MCCCXXIV. tuliſſet in *Ludovicum Bavarum*, Imperatorem in ſua malitia obſtinatum, in rabiem actus perduellis ille Imperator, conductitiâ nonnullorum Theologorum doctrinâ & calamo fretus Epiſtolam vulgavit, quâ *Joannem XXII.* ut injuſtum innocentum perſecutorem, clavium Eccleſiæ ſubverſorem, Canonum violatorem, Sacramentorum prophanatorem, Terræ Sanctæ deſertorem, Eccleſiæ temeratorem, denique incorrigibilem, & hæreticum notorium declarare, ſeu potiùs infamare auſus eſt. Inter illos Scriptores, qui *Ludovico Bavaro*, Schiſmatico Imperatori, adversùs *Joannem XXII.* Pontificem Maximum, & Eccleſiaſticam authoritatem venales calamos commodarunt, recenſentur *Marſilius de Menandrino* Patavinus, & *Joannes Jandunus*, Peruſinus, Viri Politici magis quàm Chriſtiani. Hi quippè impii ac malè feriati homines peſtiferum librum de juriſdictione Imperiali & Pontificia conſarcinarunt, quem inſcripſerunt, *Defenſorem Pacis*, eumque *Ludovico Bavaro* nuncuparunt. Hunc malè natum librum

librum graviſſimis reſperſerunt erroribus, & primò in eo docent, Chriſtum Dominum, quandò ſolvit tributum Cæſari, id ex neceſſitate, non ex arbitrio vel ex pietate feciſſe; ex quo inferunt bona temporalia Eccleſiæ ita Imperatoris dominio ſubjecta eſſe, ut velut ſua pro nutu & libito repetere illa poſſit. II. Aſſerunt, Chriſtum in Cœlos aſcendentem nullum in Eccleſia viſibile caput conſtituiſſe, nullum Vicarium reliquiſſe; nec S. *Petrum* plus auctoritatis quàm Apoſtolos reliquos accepiſſe. III. Pertendunt, ad Imperatorem ſpectare Pontifices inſtituere, deturbare ac punire; de capacitate promovendorum ad Sacros Ordines judicare, Eccleſiarum, ſacrorumque Miniſtrorum numerum decernere, Beneficia Eccleſiaſtica conferre, Religioſos Ordines approbare, Concilia congregare, jejunia, & feriationem à mechanicis operibus indicere &c. IV. Negant, totam Eccleſiam ſimul junctam poſſe ullum hominem punitione coactivâ coercere, & Epiſcopum, aut Sacerdotem excommunicationis vel Interdicti in quemquam ferre poſſe ſententiam abſque authoritate Imperatoris. V. Sacerdotes omnes ſive Pontifices, ſivè ſimplices Presbyteros, ex inſtitutione Chriſti eſſe æqualis auctoritatis ac juriſdictionis affirmant, & non minus Epiſcopos communitèr aut diviſim excommunicare poſſe Romanum Pontificem, quàm illos Pontifex Eccleſiaſticâ communione privare poſſit. VI. Statuunt, Eccleſiam bona temporalia poſſidere haud poſſe. VII. Ajunt, Imperatorem ſuccedere Romano Pontifici, & Eccleſiam, Sede vacante, regere poſſe. VIII. Imperatori adjudicant poteſtatem diſpenſandi in contrahendis matrimo-

nijs,

niis, quæ humanâ, non divinâ lege prohibita ſunt, & auctoritatem filios non ex legitimo thoro procreatos declarandi, ac faciendi legitimos, non ſolùm quantùm ad civiles effectus,ſed etiam quantùm ad Officia & Beneficia Eccleſiaſtica. Hos peſtilentes errores, quibus poteſtas Eccleſiaſtica ab imis fundamentis convellitur, eruditè confutavit ac damnavit *Joannes XXII.* in ea, quam adversùs *Marſilium*, & *Jandunum*, eorumque libros tulit, ſententiâ, quæ legitur apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCXXVII. Num. 27. Scripſerunt etiam adversùs eoſdem errores *Alvarus Pelagius* Epiſcopus Silvenſis, *Alexander de S. Elpidio*, qui ex Priore Generali Auguſtinianorum factus eſt Archiepiſcopus Ravennas, in libro *De juriſdictione Imperii & Auctoritate Summi Pontificis*, & *Petrus de Palude* Ordinis Prædicatorum inſignis Theologus, in libro *De cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis*. His duobus peſtilentiſſimis Scriptoribus *Marſilio*, & *Janduno* in *Joannem XXII.* debacchantibus,adjunxerunt ſe quoque *Michaël Caſenas, Guillelmus Okamus, & Bonagratia* Minoritæ, quos famam *Joannis XXII.* calumniis proſcindere, eumque hæreſeos inſimulare non puduit, afferentes, Summum illum Pontificem apertè docuiſſe, prædicaſſe ac propugnaſſe, Sanctorum Animas, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim atque corporibus ſolutæ ſunt, Deum non videre, nec eo frui, ſed earum Beatitudinem procraſtinari uſque ad ſupremum Generalis Judicii diem. Quod putidum commentum refellemus in Colloquio ſexto, ubi agendo de Doctrina, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia obtinuit, oſtendemus, *Joannem XXII.* ejuſmodi errorem nun-

quàm ex animo propugnaſſe, nec illum ex Cathedra, ut ajunt, definiiſſe, quidquid contra obſtrepant hæretici noſtri temporis,quamvis negari haud poſſit *Joannem XXII.* tanquàm privatum Doctorem, vehementèr propendiſſe in ſententiam quorumdam veterum Patrum, circà dilationem Viſionis Dei, quæ ſententia tum temporis necdùm eliquata erat, & decretorio Eccleſiæ judicio proſcripta, licèt quodam modo contraria videatur Fidei Formulæ, quam *Clemens IV.* & *Joannes XXI.* Græcis ad Eccleſiæ Latinæ communionem redeuntibus præſcripſerant, in qua diſertis verbis aſſerebatur, Animas, *quæ fuerunt purgatæ, mox in Cœlum recipi*, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCLXVII. Porrò nullam fidem merentur *Michaël Cæſenas*, *Okamus*, *Bonagratia*, & alii fautores *Ludovici Bavari* Schiſmatici Imperatoris, apud quem ſeſe receperant, ut liberiùs adversùs *Joannem XXII.* cujus acerrimi inſectatores fuerunt, ſcriberent, eique hæreſeos notam impudentiùs inurere poſſent. Ferenda etiam non eſt horrenda calumnia, quā *Joanni XXII.* importare auſus eſt *Calvinus*, procaciſſimus poſt homines natos Hæreſiarcha, qui libro IV. Inſtit. Cap.7. Sect. 28. perfrictâ fronte aſſerit, hunc Summum Pontificem docuiſſe, Animas eſſe mortales, eaſque unâ cum corporibus uſque ad Reſurrectionem interire, & Cardinalium neminem tantæ inſaniæ ſe oppoſuiſſe. Sic enim ſcribit: *Expungant è numero Pontificum oportet Joannem XXII. qui palàm aſſeruit, animas eſſe mortales, unàque cum corporibus interire uſque ad diem Reſurrectionis. Atque ut videas totam Sedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe, nemo Cardinalium huic ſe tantæ in-*
ſaniæ

ſaniæ oppoſuit. Sed Schola Pariſienſis Regem Galliæ impulit, ut ad palinodiam hominem cogeret. Rex ejus communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret; idque de more publicavit per Præconem. Hac neceſſitate adactus ille, errorem abjuravit. Hactenùs, effrons ille Hæreſiarcha, qui, ut optimè obſervat *Bellarminus* libro quarto *de Romano Pontifice* capite decimo quarto, tam horrendum mendacium excogitavit, quia ſententiam de dilatione beatitudinis uſque ad extremum judicii diem, in quam nondùm ab Eccleſia proſcriptam propendebat Joannes vigeſimus ſecundus, ut Doctor particularis, tanquàm veriſſimam propugnavit *Calvinus*, etſi probè ſciret, eam ceù hæreticam poſt *Joannis XXII.* tempora in Concilio Florentino fuiſſe confixam. Sic enim mentem ſuam *Calvinus* lib. 3. Inſtit. cap. 25. disertè aperit his verbis: *Valdè ſe torquent multi diſputando, quem locum occupent, & an Cœleſti gloria jam fruantur (Sancti) nec ne? Atqui ſtultum & temerarium eſt de rebus incognitis altiùs inquirere, quàm Deus nobis ſcire permittat.... Quod ſinus Abrahæ dicitur beata Sanctorum Spiritum collectio, nobis abundè eſt ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium Patre, ut nobiſcum fidei ſuæ fructum communicet. Intereà: cùm Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam eò uſque differat, contenti ſimus his finibus divinitùs nobis præſcriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum lætitia, fruitionem promiſſæ gloriæ expectant, atque ità omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redemptor.* Potuitne, amabo, *Calvinus* hanc ſententiam, de procraſtinatione beatitudinis uſque ad extremum

mum judicii diem, quam tamen certiſſimè norat fuiſſe tanquàm hæreticam ab univerſali Eccleſia damnatam, clarioribus verbis adſtruere? *Quoniam igitur videbat Calvinus*, verba ſunt *Bellarmini* loco mox à me laudato, *id, quod alii reprehendebant in Joanne Papa, non poſſe à ſe reprehendi, & tamen nolebat ullam occaſionem Pontificis accuſandi prætermittere, confugit ad Magiſtrum ſuum Patrem mendaciorum, & ab eo inſignem illam calumniam mutuatus eſt*, ut infamaret *Joannem XXII.* Pontificem Maximum. Sed ad confutandam atrocem illam calumniam plura addere opus non eſt, cùm certum ſit apud omnes, qui rectè ſentiunt, quatuor *Inſtitutionum* libros, quos *Calvinus* edidit, nihil aliud eſſe à capite ad calcem, quàm totius impietatis quaſi Encyclopediam, & Satyram calumniarum, conviciorum & mendaciorum contra Eccleſiam Romanam, ejuſque Pontifices, feraciſſimam.

D. Agnoſco callidam audaciam iſtius Sycophantæ, qui in proferendis mendaciis, & affingendis calumniis callum obduxit, ſibique omnem omninò fidem abrogavit. Eo itaque in malam peſtem, malumque cruciatum abire juſſo, alios, ſi placet, percurramus errores, quos Sæculo XIV. Novatores diſſeminare tentarunt.

M. Nonnulli extiterunt Sæculo decimo quarto Novatores, qui erroneas propoſitiones ventilantes à Sacra Facultate Pariſienſi fuerunt damnati. Primus inter illos Novatores à Sacra Facultate Pariſienſi damnatos fuit *Joannes de Mercuria* Ciſtercienſis Ordinis Profeſſor, qui anno MCCCXLVII. Pariſiis multos erroneos propoſuit articulos, quorum præcipuos hìc ſubjicere non pigebit. In primis

mis aſſerebat, *poſſibile eſſe, Chriſtum voluntate humana aliquid voluiſſe nunquàm eventurum, & fieri itidem potuiſſe, ut Chriſtus diceret falſum*. Secundò, docebat, *Deum efficacitèr velle quidquid vult*. Tertiò, blaſphemabat, *facere Deum quòd aliquis*] *peccet, & velle voluntate beneplaciti ut ille ſit peccator*. Quarto, pertendebat, *quòd aliquis habens uſum liberi arbitrii, tam gravi tentatione extimuletur, ut illi reſiſtere haud poſſit, & moveatur ad illecebram, cum aliena uxore, adulterium non committit rem habendo cum illa, idemque de aliis peccatis ferendum eſſe judicium* effutiebat. Quintò, dictitabat, *non eſſe pejorem in genere moris illum, qui vitioſo habitu cum actu fœdatus eſt, altero homine, qui conſimili habitu vitioſo ſine actu eſt inquinatus*. Sextò, exiſtimabat, *probabile eſſe, ſi una ratio, ſecluſa fide, conſulatur, nulla eſſe Accidentia, ſed res omnes extantès eſſe ſubſtantias*. Ab hoc errore in *Joanne de Mercuria* damnato, quo pacto recentiores Philoſophi, qui vulgò Carteſiani audiunt, doctrinam ſuam vindicare poſſint, judicent viri eruditi. Hos, & alios hujuſmodi errores vel ineptè, vel impiè, vel perridiculè à *Joanne de Mercuria* prolatos tacitus mecum ipſe dùm cogito, indignerne, an rideam, an utrumque? ſi quæris, vix ſatis ſcio. Hoc unum certiſſimè ſcio, nonnullos ex his *Joannis de Mercuria* errores renovatos non ita pridèm fuiſſe ab hæreticis *Quietiſtis*, Diſcipulis *Michaelis de Molinos*, qui fœditates & abominationes ſuas Deo non modò permittenti, ſed volenti tribuere non verebantur, atque veterum *Gnoſticorum* & *Beguardorum* ſpurciſſima dogmata ſecuti, non ſolùm obſcænas carnis illecebras, & libidinum monſtra negabant eſſe pecca-

ta, ſed, quod horrendum eſt, animum iis purgari, & ad majorem perfectionem provehi impiè aſſerebant. Alterum Novatorem, ſeu *Nicolaum de Vltricuria*, ſacra facultas Pariſienſis an. MCCCXLVIII. compulit ad publicam articulorum plurimorum de rebus Philoſophicis & Theologicis à ſe propoſitorum revocationem; qui quidem à Sede Apoſtolica primùm damnati fuerant omnes ut falſi, plerique ut hæretici. Horumce articulorum dicti Magiſtri *Nicolai de Vltricuria*, qui in Bibliothecis Patrum referuntur, aliquos tantùm hìc indicabo, quorum duo maximam cum moderna Carteſianorum Philoſophia affinitatem habere videntur. Primus articulus hic eſt: *in rebus naturalibus unus eſt motus localis congregationis, & diſgregationis, ita ut cùm tali motu colliguntur atomi, & naturâ unius ſuppoſiti ſortiuntur, fit corruptio, cùm verò atomorum acceſſio ad motum ſuppoſiti, vel ad naturalem ipſius operationem nihil confert, alteratio eſt.* Alter Articulus his verbis conceptus eſt: *Lumen nihil aliud eſt quàm corpuſcula quædam, quæ nata ſunt ſequi motum Solis vel alterius corporis luminoſi, fitque hujuſmodi corpuſculorum ad corporis luminoſi præſentiam confluxu. Et ſi obiiciatur, motu locali non fieri, cùm momento fiat illuminatio: Reſpondetur fieri in tempore, ſicut ſonum, etſi non percipiamus.* Inter alios articulos *Magiſtri Nicolai de Vltricuria*, qui ad Theologiam ſpectantes, tanquàm hæretici proſcripti ſunt, hi tres præcipui recenſentur. Primus hic eſt: *Si adoleſcens ingenuus aliquem inveniat, qui brevi edocere ipſum valeat ſcientiam omnem, quæ de rebus creatis haberi poteſt, centum librarum pretio conſtituto, quas adoleſcens furto dumtaxat comparare poteſt,*

eo

eo caſu furtum licitum eſt. Secundus Articulus: *Deus rationali creaturæ præcipere poteſt, ut ipſum odio habeat, cui mandato obediens, mereretur magis, quàm ſi ipſum ex præcepto diligeret; quoniam id faceret majori conatu & contra propriam propenſionem*. Tertius Articulus: *Si quis voluntatem ſuam divinæ conformare voluerit, alterutrum neceſſe eſt, vel quod Deus omnia neceſſaria ad ſalutem ipſum edoceat, ita ut errare non poſſit; vel ſi errare ipſum permittat, vitio non vertatur error, immò actus conſequens magis vel æque ſit meritorius*.

Tertius Novator, quem anno MCCCLI. confodit, & ad palinodiam adegit Sacra Pariſienſis Facultas, fuit *Magiſter Simon*, qui ſeptem illas propugnaverat erroneas & hæreticas propoſitiones. Dixerat primò, *Nomen* Jeſus *de Deo dicitur accidentariò*. Secundò, *Jeſus poteſt eſſe, & non eſſe Deus*. Tertiò, *nulla res eſt, aut eſſe poteſt, quæ modò non ſit Deus, & aliquandò poſſit eſſe Deus*. Quartò, *Deus poteſt aliqualiter ſe habere, qualiter ſe non habet, & aliqualis etiam eſſe, qualis non eſt*. Quintò, *quamvis Jeſus fuerit ab Æterno Patri coæqualis, tamen aliquandò fuit Deus, quandò non fuit Jeſus*. Sextò, *Filius Dei incœpit eſſe*. Septimo, *Nunquam hic homo, qui Chriſtus eſt, factus eſt Chriſtus*. Has erroneas propoſitiones à ſe in *Actu*, ut vocant, *Veſperiarum*, propugnatos, jubente Facultate Pariſienſi, revocavit *Magiſter Simon*, cujus retractationis Inſtrumentum editum eſt in Bibliotheca Patrum. Eamdem ſortem anno MCCCLIII. nactus eſt Frater *Guido*, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & ſacræ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Theologus, qui nonnullos errores, in quos impegerat, ex

ejuſdem Facultatis Decreto palàm revocare compulſus eſt. Hi ſunt præcipui errores, in quos lapſus eſt iſte *Guido*. Primò, aſſerebat, quòd *Charitas, quæ ſemel amittitur, nunquàm fuit vera Charitas*. Secundò, *quòd Præſcitus, exiſtens in charitate, actum vitæ æternæ meritorium elicere non poteſt*. Tertiò, quòd *homo vitam æternam ità de condigno meretur, ut hanc ipſi Deus abſque injuria negare non poſſit*. Quartò, quòd *ſi nullum eſſet liberum arbitrium, adhuc eſſet peccatum*. Quintò, quòd *bonum meritum ita eſt à Deo, ut nihil ſit à voluntate, & quòd Deus homini viatori neceſſitatem quandòque imponit præveniendo voluntatem ad bonum actum, ita ut poteſtas ad oppoſitum non remaneat*. Hos, & alios id genus errores, quos poſteà *Wicleffus*, *Lutherus*, & *Calvinus* recoxerunt, cùm propugnaſſet Frater *Guido*, illos mandato Sacræ Facultatis Pariſienſis coactus eſt ejurare ac retractare, cujus retractationis Inſtrumentum extat in Bibliotheca Patrum. Non multò poſt, ſeu anno MCCCLXII. Magiſter quidam *Ludovicus*, juſſu Sacræ Facultatis, aliquot propoſitionum, quas docuerat vel propugnaverat, publicam edidit retractationem. Erat ille Magiſter argutias Dialecticæ apprimè edoctus, & ita paſtus chymæris, ut Deum ad libidinem minutim diſcerperet, inciſim diſtraheret, particulatim divideret, eſſe reale Dei diſtingueret ab eſſe formali, & attributa Dei ab ejus eſſentia neſcio quibus præſtigiis ſecerneret. Hinc dicebat primò, *quòd licèt perfectæ voluntatis, ſeu divinæ eſſentiæ quodlibet intrinſecum ſit abſolutè neceſſarium ſecundùm ſuum eſſe reale, tamen eſt aliquid intrinſecus contingens, & non eſt neceſſarium ſecundum ſuum eſſe formale*. Secundò, aſſerebat,

quòd

quòd aliquid eſt Deus ſecundùm ſuum eſſe reale, quod tamen non eſt Deus ſecundùm ſuum eſſe formale. Quam propoſitionem damnavit Sacra Facultas Pariſienſis *tanquam fidei diſſonam*. Tertiò, docebat, *volitionem, qua Deus vult A. eſſe, non minùs diſtingui à volitione qua vult B. eſſe, quàm Deus diſtinguitur à materia prima realiter*. Quartò, affirmabat, *in Deo eſſe contradictoria, quæ immensè formalitèr repugnant*. Præter illos errores, quos è Dialectices fæce in Theologiam invexerat ſubtilis ille Pariſienſis doctor, alios propoſuerat, quorum duos abſurdiſſimos hìc proferam. Primus eſt: *quod divina voluntas non poteſt immediate nolle peccatum eſſe, & peccatum non eſt immediatè odibile à perfecta*, ſeu divina, *voluntate*. Alter error eſt, quòd *divina voluntas non diligit intentiùs prædeſtinatum, quàm præſcitum, nec plus Deus diligit ſe ipſum, quam Diabolum ſecundùm naturam*. Hos, & ſimiles errores Magiſter *Ludovicus* revocare juſſus eſt à Sacra Facultate Pariſienſi, ejuſque Inſtrumentum retractationis inſertum eſt in Bibliotheca Patrum. Miſſas facio quaſdam propoſitiones malè ſonantes, quas Magiſter *Joannes de Calore* in actu Veſperiarum anno MCCCLXXXIII. propugnaverat, quaſque ex Decreto Facultatis Pariſienſis ejuravit ac revocavit ſolemni retractatione, quæ edita eſt in Bibliotheca Patrum. At hìc prætermittere haud poſſum damnationis ſententiam, quam Facultas Pariſienſis tulit in Fratrem *Dionyſium Soulechat*, Ordinis Minorum, in Sacra Facultate Pariſienſi Baccalaureum Theologum, qui damnatos à *Joanne XXII.* Pontifice Maximo errores de paupertate Evangelica apud ſuos docere auſus fuerat. Hunc temerarium Pontifi-

tificiæ definitionis transgreſſorem Sacra Facultas Pariſienſis, ad quam delatus fuerat, proſcripſit, erroneas ejus propoſitiones cẽſorio ſtigmate confixit, eique docendi munere interdixit. Hanc Facultatis Pariſienſis ſententiam *Urbanus V.* qui Avenione ſedebat, auctoritate Apoſtolicâ confirmavit, juſſitque *Dionyſio Soulechat*, ut Pariſiis errores revocaret, ſicut videre eſt in litteris, quas Summus ille Pontifex ad *Joannem* Cardinalem Epiſcopum Bellovacenſem eâ de re ſcripſit anno MCCCLXVIII. quaſque *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum Num. XVI. refert. Tandem Frater *Dionyſius Soulechat* damnatos errores Pariſiis in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ejuravit, cujus retractationis publicum documentum extat in Bibliothecis Patrum.

D. Nihil hactenùs dixiſti de Wicleffiana Hęreſi, quam tamen Sæculo decimo quarto prodiiſſe, ac multas in Eccleſia excitaſſe tragędias, me anteà præmonuiſti.

M. Quâvis Wicleffiana hæreſis Sæculo XIV. ſeu anno MCCCLXXV. ſub *Eduardo Seniore* Angliæ Rege ex inferis eruperit, Authore *Joanne Wicleffo*, natione Anglo, in Lincolnienſi Diæceſi Parocho, & acris ac ſuperbi ingenii Theologo, illius tamen peſtilentis hæreſeos ortum, progreſſum atque interitum commodiùs referam in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam decimi quinti ſæculi, maximè, cùm plena impietatis dogmata, quæ evomuit ille Hæreſiarcha, Huſſitarum, Lutheranorum, & Calviniſtarum Patriarcha, fuerint damnata in Concilio Generali Conſtantienſi convocato anno MCCCCXIV. cujus etiam Concilii juſſu, *Wicleffus*, poſt habitum

tum prævium, diligens,& accuratum ſuper ejus impœnitentia finali ac pertinacia, examen, hæreticus fuit declaratus, ejuſque (jam licèt multis abhinc annis vitâ functi, & ſepulti) oſſa effoſſa ſunt, exhumata, exuſta, & cineres in profluentem abjecti. De Wicleffiana itaque Hæreſi,nihil in præſentia dicemus, ſed integram ejus ſeriem in Colloquiis in Hiſtoriam Sæculi XV. exhibere, & ſingula, quæ ad illam ſpectant, deſcribere ſatagemus. Antequàm tamen huicce colloquio noſtro finem imponamus; non abs re erit quoſdam hìc in medium proferre Sectarios, qui Sæculo decimo quarto erroribus *Wicleffi* proluſerunt. Inter illos Sectarios jure optimo numerari debent *Lollardi*, ita dicti à *Lollardo* quodam *Waltero*, eorum Anteſignano, qui fœdiſſimis per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam ſparſis erroribus, peculiarem conflavit Sectam, cujus errores *Trithemius* refert in Chronico Hirſaugienſi ad annum MCCCXV. Videlicet dicebant iſti *Lollardi*, Miſſam, Baptiſmum, & Extremam Unctionem, nihil prodeſſe; Luciferum cum aliquibus Dæmonibus iniuſtè Cœlo pulſos fuiſſe, & fore aliquandò reſtituendos; *Michaelem* autem, cæteroſque Angelos æternis cruciatibus deputandos: Beatiſſimam Virginem poſt partum non manſiſſe Virginem: Dominicum Corpus in Sacramento eſſe Deum fictitium: Matrimonium eſſe juratum meretricium: Deum neſcire, aut certè non punire mala, quæ ſub terra fierent, unde & coibant promiſcuè in ſpeluncis & locis ſubterraneis: Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem Laicis committebant, acceptâ (ut ridiculè ajebant) poteſtate ligandi atque ſolvendi ab *Elia* & *Enocho*: Eccle-

Eccleſiæ Prælatos & Statuta contemnebant:Romanam Eccleſiam non Chriſti, ſed infidelium eſſe dicebant: carnes quovis tempore edebant, & dies feſtos non obſervabant: merita & interceſſiones Sanctorum irridebant: periurium non eſſe peccatum, aſſerebant, & alia impia profitebantur dogmata iſti hæretici *Lollardi*, qui in Auſtria, Bohemia,finitimiſq; Provinciis adeò propagati ſunt,ut, teſte citato Abbate *Trithemio*, pluſquam octoginta millia hominum in eam Sectam jurati & ſprofeſſi numerarentur, quorum multi in diverſis Auſtriæ locis combuſti, in ſuis erroribus uſque ad mortem pertinaciſſimè, & magna cum alacritate permanſerunt. *Lollardus Walterus*, eorum Coriphæus ac Princeps, Coloniæ exuſtus eſt anno MCCCXXII. ut refert idem *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi. Hos Hæreticos, omni execratione dignos, ſe tanquam Patres ac Magiſtros habere glorientur, quantùm voluerint, Wicleffiſtæ,Huſſitæ, Lutherani, & Calviniſtæ, qui, dùm vacillantibus ſuis Sectis aliquam antiquitatem conciliare nituntur, ſuam turpitudinem apertè produnt, ſeque in malitia & obſtinatione Majoribus ſuis ſimillimos exhibent, juxta veterem Paræmiam: *Mali Corvi malum Ovum*.

Circa annos MCCCLXXII. & MCCCLXXIV. duo alii Novatores *Wicleffo* præiverunt, videlicèt *Albertus* Alberſtadenſis in Germania Epiſcopus, & *Milleczius* Presbiter & Canonicus Pragenſis. Prior, ſcilicèt *Albertus* Epiſcopus Alberſtadenſis, anno MCCCLXXII. inter cætera dogmata pravitatis hæreticæ nefandiſſimâ labe aſperſa, aſſerebat contra Catholicam fidem, & Sanctorum Patrum defini-

finitiones, omnia in hoc modo ex neceſſitate evenire, & Fata cuilibet homini vitæ ac mortis neceſſitatem imponere, ſubindeque non eſſe habendum conſilium, nec deliberandum de aliquo, cùm omnes actus hominum, etiam à libero arbitrio procedentes, noſcantur ex neceſſitate cœleſtis influentiæ provenire. Hinc negabat neceſſitatem bonorum operum, liberum arbitrium, merita & demerita hominum, nec non invocationem divini auxilii & Sanctorum. Alter, *Milleczius*, Canonicus Pragenſis anno MCCCLXXIV. ſub ſpecie ſanctitatis multos errores vulgavit, eòque dementiæ prorupit, ut diceret, jam Antichriſtum veniſſe, Eccleſiam omninò defeciſſe, nullam in Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, cæteriſque Clericis eſſe veritatem, ſed ſe ſolum cum ſuis Sectatoribus viam ſalutis docere, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLXXIV. Num. XIII. Hunc *Millecziumꝰ*, inſignem blateronem, ejuſque contumaces Sectatores, tanquam hæreticos puniri juſſit *Gregorius XI.* Pontifex Maximus in Litteris, quas ad Archiepiſcopum Pragenſem, ejuſque ſuffraganeos ſcripſit. Perniciosum etiam librum, qui tum temporis in Germania per manus hominum volitabat, inſcriptum: *Speculum Saxonum*, hæreſibus ac deliriis ſcatentem flammis addixit idem Pontifex, & Germaniæ Archiepiſcopos ejus damnationem promulgare; & *Carolum IV.* Imperatorem opem ferre monuit litteris Idibus Octobris anni MCCCLXXIV. datis, ſicut refert *Spondanus* ad annum MCCCLXXIV. Poſtremò, ſuos habuit *Wicleffus* in Anglia præcurſores & emiſſarios, ut conſtat ex erroribus XXX. quos in Provincia Cantuarienſi ab incertis auctoribus

ribus proſeminatos *Simon Langham* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Angliæ primas, congregato Virorum Theologorum & Juriſperitorum cœtu, confixit ſententiâ, quam tulit Lambethæ quinto Idus Novembris anni MCCCLXVIII. Complures ex his triginta erroribus ad hoc principium relabuntur, ſcilicet omnes homines, etiam Saracenos, Judæos, & Paganos, nec non pueros in utero materno extinctos habere claram Dei viſionem ante mortem ſuam, eâque viſione manente, habere omnes electionem liberam convertendi ſe ad Deum, vel recedendi ab eo, ita ut ſi quis tunc elegerit converti ad Deum, ſalutem æternam ſit adepturus, ſi verò nolit, perpetuæ damnationi ſit addicendus. Ex hoc ſemel jacto principio inferebant Novatores, Sacramentum Baptiſmi non eſſe neceſſarium ad ſalutem conſequendam, neminem damnari poſſe pro ſolo peccato originali, immò nec pro peccato actuali, niſi ille, à quo committitur, recuſaverit ſe convertere ad Deum ſtante clara Dei Viſione. Tunc enim peccatum ità irremiſſibile & irremediabile eſſe docebant, ut pro illo Paſſio Chriſti ſatiſfacere non poſſet. Non minus abſurda & impia cæteræ propoſitiones continebant, præſertim iſtæ: *Pater in divinis eſt finitus, filius in divinis eſt finitus, & ſolus Spiritus Sanctus eſt infinitus. Chriſtus, Beata Maria, & omnes homines beati, adhuc veraciter ſunt mortales. Beata Virgo, omnes Beati, tam Angeli, quàm homines, excepto Chriſto, ſunt peccabiles & damnabiles. Omnes homines damnati in Inferno, & omnes Dæmones ſunt & ſemper erunt reparabiles ad beatitudinem conſequendam.* Sed deteſtabiles illos errores retuliſſe ſufficiat.

D. Hi

D. Hi ſunt igitur omnes Hæretici, qui Sæculo decimo quarto virulenta dogmata ſparſerunt?

M. Præter illos Hæreticos, quos hactenùs in medium produxi, ſeptem alii non magni ponderis recenſentur, quos tamen prætermittere haud debemus, ut integram habere poſſis Hiſtoriam omnium Hæreſum, quæ Sæculo XIV. Eccleſiam infeſtarunt. Primus inter illos ordine reponendus eſt *Arnaldus de Villanova*, natione Catalanus, Profeſſione inſignis Medicus, qui eruditionem, quâ pollebat, pravis de religione opinionibus turpiter fœdavit. Ex nefariis ſiquidem libris ab ipſo editis multos errores excerpſit *Joannes Longerius*, Fidei Inquiſitor, Ordinis Prædicatorum, quorum quindecim Capita recenſet *Eymericus* ejuſdem Ordinis in *Directorio Inquiſitorum* Part. 2. quæſt. 11. Inter cætera abſurdiſſima, quæ effutiit, dogmata, auſus eſt aſſerere, *omnes Chriſtianos in Infernum detrudi: omnes Monachos adulterare doctrinam Chriſti, eos Charitate deſtitutos eſſe, & æternùm damnari: Opera miſericordiæ eſſe Deo gratiora Sacrificio Altaris: Fundationis Capellarum, aut Præbendarum, ſeu etiam Miſſarum pro Defunctis non eſſe opera Charitatis, ſed res ad vitam æternam promerendam prorsùs inutiles*. Denique, Miſſis aliis ejus erroribus, ariolabatur, Mundum anno MCCCXXXV. deſiturum. Omnes *Arnaldi de Villanova* errores damnati fuerunt à *Joanne Longerio* Inquiſitore, & ab Eccleſiæ Tarraconenſis Præpoſito Vicarioque Generali, Sede vacante, anno MCCCXVII. juſto autem Dei judicio naufragio miſerrimè periit *Arnaldus de Villanova*, de quo legeſis *Bernardum Lutzemburgum in* Cata-

Catalogo Hæreticorum, & *Prateolum* Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſ.* Cap. LXIX.

Alter Hæreticus fuit *Ceccus Aſculanus*, Caroli Ducis Calabriæ Aſtrologus, qui in Tractatu, quem Bononiæ edidit, in Sphæram, Stellarum influxibus neceſſitatem abſolutam tribuens, affirmabat omnia in Mundo neceſſariò evenire, quodque magis impium eſt, ſtultè dicebat, ex poſitura Syderum accidiſſe, quòd Chriſtus fuerit neceſſariò incarnatus, pauper natus, & turpem mortem obierit; cùm è contra Antichriſtus, ex poſitura ſyderum in ejus nativitate futurâ, neceſſariò dives ac ſplendidus ſit futurus. Alia hujuſmodi vana & blaſphema (teſte *Joanne Villani* lib.10. cap.41.& 42.) cùm garriret iſte Aſtrologus, tandem Florentiæ captus eſt, & ab Inquiſitore Fidei de Hæreſi, & pravo Aſtrologiæ judiciariæ uſu damnatus, igni addictus eſt anno MCCCXXVII.

Tertii Hæretici, qui fuit *Bertholdus de Rorbrach*, natione Germanus, meminit *Nauclerus* tomo 2. Generatione 46. his verbis: *Poſt hæc tempora judicabatur Spiræ Beghardus Bertholdus de Rorbrach. Hic antea in Herbipoli quoſdam articulos reclamaverat, videlicet quòd Chriſtus in paſſione ſua ſic fuerat à Patre derelictus, quòd præ nimio dolore dubitaverit, ſalvarine anima ſua deberet. Secundus articulus, quòd Chriſtus in Cruce propter nimiam paſſionem, & dolorem maledixerit B. Mariæ Virgini. Tertius, quòd maledixerit terræ, quæ ſuſcepit ejus ſanguinem de Cruce. Propter præmiſſa fugiens*(Bertholdus de Rorbrach) *ad Diœceſim Spirenſem venit, ubi articulos hos veros aſſeruit. Addidit etiam, quòd homo in hac vita in tantùm proficere poſſit, quòd nec orare, nec je-*

junare

junare oporteret, item quòd Laicus illuminatus poſſit plus proficere in docendo, & plus ſit ſibi credendum, quàm Evangelio, aut Doctoribus Sacræ Scripturæ. Item quòd homo devotus in perceptione cibi communis poſſit percipere tantam gratiam, ac ſi acciperet Euchariſtiæ Sacramentum. Et quia relapſus, tradebatur Curiæ Sæculari, & eſt incineratus, anno MCCCLIX.

Circà idem tempus prodiit quartus Hæreticus, ſeu *Martinus Gonſalvus*, Conchenſis, qui multa perridicula, fatua, hæretica & impia cùm propalaret in Hiſpania, ab Archiepiſcopo Toletano damnatus eſt, & à Sæculari Magiſtratu igni, ut merebatur, traditus. Docebat homo ille lymphatus, *ſe germanum eſſe Archangeli Michaëlis, & locum ex quo cecidit Lucifer, ſibi à Deo ſervari*. Secundò, *ſe primam veritatem & Scalam Cœli* appellabat, *ſingulisque diebus Cœlum ſe aſcendere, & illud oſculari* dicebat. Tertiò, *ſe advenientem Antichriſtum ad ſingulare certamen provocaturum, & Cruce Chriſti diademate ſpineo ornata proſtraturum*. Hos inſulſos errores huic dementiſſimo homini tribuit noſter *Franciſcus Diago* in Hiſtoria Provinciæ Aragoniæ lib. 1. cap. 24.

Eâdem tempeſtate quintus ejuſdem farinæ, pariſque dementiæ prorupit Hæreticus *Nicolaus Calaber*, qui iſtos *Martini Gonſalvi* errores Barcinone publicavit, addiditque, præfatum *Gonſalvum eſſe Dei Filium in Cœlis ab æterno genitum, quamvis in terris patrem & matrem habuiſſe videretur*: *illum nunquam moriturum*: *ad ejus Prædicationem Mundum univerſum converſum iri, & in extremo Judicii die omnes ad inferorum ſupplicia damnatos precibus ejuſdem Gonſalvi ſalutem conſecuturos*. Sic aſinus

aſinum fricat, & ſimiles inveniunt labra lactucas. Hos, & alios errores proſcripſerunt noſter *Eymericus* Inquiſitor, & Vicarius Generalis Barcinonenſis Epiſcopi. Ipſe verò *Nicolaus Calaber* Curiæ Sæculari traditus eſt, flammis abſumendus, ut refert idem *Eymericus* parte 2. *Directorii Inquiſitorum* quæſtione 11.

Sub *Urbano V.* Pontifice Maximo ſextus ſurrexit Hæreticus, dictus *Bartholomæus Janovezius*, Majoricanus, qui libellum edidit hæreſibus ſcatentem. Aſſerebat quippè inter multos alios errores, Antichriſtum die Pentecoſtes anni MCCCLX. venturum, & omnia Eccleſiæ Sacramenta, atque Incruentum Sacrificium tempore Antichriſti defitura. Suos tamen errores à noſtro *Eymerico* Inquiſitore damnatos, pœnitentiam publicè profeſſus, ſolemni ritu ejuravit ille hæreticus, ſicut ipſemet *Eymericus* refert loco mox à me laudato, & poſt ipſum *Prateolus*.

Denique, anno MCCCLIII. ſub *Innocentio VI.* Pontifice Maximo *Berengarius de Montefalcone*, Ciſtercienſis Ordinis, docuit: *omnia, quæ facimus, bona, puro Dei amore, non ob aliam rationem, nec ſpe mercedis æternæ eſſe facienda*. Hunc errorem, quem noviſſimè ſuſcitarunt ſpirituales Quietiſtæ, ſolemni judicio damnarunt *Nicolaus Roſelli* Inquiſitor Ordinis Prædicatorum, & *Sancius* Tarraconenſis Archiepiſcopus ex Ordine Fratrum Minorum aſſumptus.

Prætermitto, brevitatis ergo, Fratres *Joannem de Latone*, & *Petrum de Bonageta* Ordinis Minorum Profeſſores, qui anno MCCCLXXI. hos errores è ſacro ſuggeſtu in Provinciis Tarraconenſi & Ca-

Cæſarauguſtana publicarunt. Primò, quòd ſi hoſtia conſecrata cadat, ſeu projiciatur in cloacam, lutum, ſeu turpem quemvis locum, ſpeciebus remanentibus, ſub eis eſſe definit Corpus Chriſti. Secundò, quòd ſi Hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeu à bruto quovis ſumatur, ſimile ferendum ſit judicium. Tertiò, quotiès Euchariſtia ſumitur ſive ab homine juſto, ſive à peccatore, dum ſpecies dentibus teruntur, Chriſtus ad Cœlum rapitur, nec in hominis ſtomachum trajicitur. Quas propoſitiones ne quis deinceps prædicare præſumeret, diſtrictè prohibuit *Gregorius XI.* Pontifex Maximus, litteris datis ad Tarraconenſem & Cæſarauguſtanum Epiſcopos, quas refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXII. Num.XI. Prætermitto etiam Fratrem *Arnaldum Montanerii*, è Catalonia oriundum, & Ordinis Minorum Profeſſorem, quem à noſtro *Eymerico* Inquiſitore, & *Berengario* Urgelitano Epiſcopo tanquam Hæreticum damnatum *Gregorius XI.* capi juſſit, & vinctum ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti. Errores, propter quos *Arnaldus Montanerii* damnatus fuit, refert idem *Eymericus* parte 2. *Directorii Inquiſitorum*, quæſtione 11. Docebat ſcilicet, *Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe proprium vel commune*: *Nullum poſſe damnari, qui deferat habitum Sancti Franciſci*: *Ad Purgatorium ſingulis annis deſcendere Sanctum Franciſcum, & indè in Paradiſum extrahere quotquot Ordinem ſuum profeſſi ſunt*, denique, *Ordinem S. Franciſci in perpetuum duraturum*. Has propoſitiones *Arnaldi Montanerii* jure merito proſcriptas *Dermitius Thaddæus* Ordinis Minorum magno quidem, ſed inani labore vindicare adnititur in ſua *Nitela Franciſcanæ Religionis*,

in qua cùm benè multa non tam ſtudio veritatis, quàm ſuâ ergà Sacrum Ordinem, quem profitebatur, pietate motus ſcripſerit, mirum videri non debet, quòd ſæpiùs in Annalibus Eccleſiaſticis ab *Odorico Raynaldo* pro meritis ſuis caſtigetur, quamvis *Lucas Wadinghus* Franciſcanus in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, ſuo affectui plus æquo itidem indulgens, eum maximo commendet elogio. Sed hæc de Hæreſibus, & Controverſiis, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia obortæ ſunt, dicta ſufficiant.

D. Verè dixit Spiritus Sanctus per os & calamum Apoſtoli Pauli 1. epiſt. ad Corinth. cap. 11. v. 19. *Oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*, dum videlicet fideles indivulsè adhærent Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt ſola vera Sponſa Chriſti, & cujus veritatis hoc probatiſſimum ſignum eſt, quòd cùm omnes hæreſes & Schiſmata adversùs eam vexillum erexerint, ipſa tamen ſemper inconcuſſa ac victrix perſtiterit, juxta Chriſti Domini Oraculum Matthæi cap. 16. *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*. Sed Eccleſiæ triumphos accuratiùs expendemus in Colloquio, quod craſtinâ luce habituri ſumus de Conciliis tam Oecumenicis, quàm Nationalibus, in quibus ſerpentes confoſſæ ſunt Hæreſes, & reſtituta fuit Eccleſiæ Diſciplina.

COL-

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis tam Oecumenicis, quàm Nationalibus, in quibus gliſcentes Sæculis XIII. & XIV. Hæreſes fuerunt damnatæ, & reſtituta eſt Eccleſiæ Diſciplina.

MAGISTER. QUanti ſint operæ pretii ac momenti Conciliorum definitiones, Statuta, & Canones, documento ſunt ipſi Eccleſiæ hoſtes, Hæretici hodierni, qui, poſtquam Sanctorum Patrum & Theologorum doctrinam, quaſi pura hominum inventa conati ſunt diſſipare, non ibi quieverunt, neque his finibus ſuas coercuerunt impietates; ſed ulteriùs proſilientes, Romani Pontificis, & Conciliorum, quæ ab ipſo convocantur, authoritatem ab ipſo Chriſto Domino profectam impugnare auſi ſunt, & apertâ aggreſſione, ubicumq; prævalent, Romani Pontificis Primatum everterunt, Paſtorum Romano Pontifici ſubditorum auctoritatem ſubalternam à ſe prorsùs abdicarunt, jugum ſuis cervicibus à Chriſto impoſitum, quaſi furentes & indomiti tauri excuſſerunt, & ſacrilegis aſſertionibus, atq; impiis dogmatibus avitâ Eccleſiæ Catholicæ fidem corruperunt. Cùm igitur Conciliorum potiſſimùm definitionibus configantur Hæreticorum errores, & ſacris, qui in eis conduntur, Canonibus ſanciatur Eccleſiæ Diſciplina, permagni tua intereſt, ut ſcias omnia Concilia, quæ Sæc. XIII. & XIV. tam ad profligandas Hæreſes, quàm ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis fuerunt convocata.

 D. Cùm

D. Cùm Oecumenica Concilia longè majori in Eccleſia polleant auctoritate, quàm Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, noſtrum, ſi placet, incipiamus Colloquium à Conciliis Generalibus, quæ Sæculo XIII. fuerunt celebrata, quorum convocationis cauſam, tempus, locum, Præſidem, numerum Patrum, & ſingula, quæ tum ad proſcribendas hæreſes, tum ad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam in his geſta & ſtatuta ſunt, à te in præſentia diſcere percupio.

M. Tria Concilia Generalia Sæculo Eccleſiæ decimo tertio indicta fuerunt, videlicet Lateranenſe IV. Lugdunenſe I. & Lugdunenſe II. quorum hiſtoriam hìc deſcribam, & Canonum, rerumq; præcipuarum in his geſtarum notitiam tibi compendioſâ narratione tradam. In primis, Concilium Generale Lateranenſe IV. quod eſt inter Concilia Oecumenica duodecimum, convocatum eſt ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo anno MCCXIII. ut conſtat ex Diplomate illius convocationis, quod datum eſt ab eodem Summo Pontifice, XIII. Kalendas Maji ejuſdem anni; & cujus exemplaria ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & Priores tranſmiſſa ſunt. Cauſas convocationis illius Concilii indicat Summus hic Pontifex in eodem Diplomate, ubi aſſerit, ſe iſtud Generale Concilium, juxtà priſcam Sanctorum Patrum conſuetudinem, convocaſſe ad recuperationem Terræ Sanctæ, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, ad eliminandas hæreſes, ad roborandam fidem, ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, & libertatem fovendam. Poſt bien-

biennium ab illa convocatione habitum eſt Romæ anno MCCXV. Concilium Generale Lateranenſe IV. ita dictum, quòd in Lateranenſi Baſilica fuerit celebratum. Ei præfuit *Innocentius III.* Pontifex Maximus, interfueruntque duodecim ſupra quadringentos Epiſcopi, Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus; Primates, & Metropolitani ſeptuaginta ſeptem, Abbates & Priores ultrà octingentos, abſentium Prælatorum, & Capitulorum Procuratores innumeri; adfuerunt etiam (ut teſtantur Abbas Urſpergenſis, hujus temporis Scriptor, & *Matthæus Pariſius*) Imperatoris Conſtantinopolitani, qui Latinus erat, & Imperatoris Occidentis, Regumque Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Cypri, aliorumque Principum, Magnatum & Civitatum Legati. Patriarcha verò Antiochenus gravi infirmitate detentus venire non potuit, ſed Epiſcopum Antheradenſem miſit, qui ejus locum ſupplevit. Alexandrinus etiam Patriarcha, qui ſub Saracenorum tyrannide gemebat, *Germanum* Diaconum, qui ſuas in Concilio vices ageret, deputavit. *Laurentius Surius* in Præfatiuncula ac Concilium Lateranenſe IV. ait iſtud Concilium fuiſſe Oecumenicum, quia in eo *de negotiis Religionis, de Græcæ & Latinæ Eccleſiæ concordia tractatum eſt, cui interfuere Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, Archiepiſcopi tum Latini, tum Græci, ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti undecim ...... nec defuere Legati Græci & Romani Imperatoris, Regum Hieruſalem &c.* At, undè iſthæc hauſerit Carthuſianus ille Scriptor eruditiſſimus? planè me ignorare profiteor. Adfuiſſe Concilio Lateranenſi IV. Latinorum Orientalium Patriarchas,

chas, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum, quin etiam, ut mox dixi, Patriarcham Antiochenum, nonniſi propter valetudinem, & Patriarcham Alexandrinum propter Saracenorum, quâ premebatur, tyrannidem ad Concilium Lateranenſe IV. accedere haud potuiſſe, *Laurentio Surio*, aliisque lubens conceſſero. Tunc enim illæ civitates Latinis Principibus parebant, ſicut oſtendimus in Colloquiis primo & ſecundo. Nec etiam inficias ibo, Epiſcopos Græcos diverſarum regionum, quas Latini itidem ſubegerant, illùc conveniſſe. Sed Græcos Antiſtites, quorum Imperator *Theodorus Laſcaris*, captâ à Latinis Conſtantinopoli anno milleſimo ducenteſimo quarto, Nicæam conceſſerat, ad Concilium Lateranenſe IV. acceſſiſſe, nè veriſimile quidem puto, maximè cum Patres iſtius Concilii Canonem quartum condiderint contra Græcos, qui tunc temporis vehementiùs in Eccleſiam Romanam frendebant, & Latinos tanto odio proſequebantur, ut in Altaribus, in quibus Latini Sacrificium obtulerant, ipſi offerre nollent, niſi prius ea velut per hoc inquinata laviſſent, & pueros à Latinis baptizatos denuò baptizarent. Quapropter, nullatenùs exiſtimo, Epiſcopos Græcos, qui erant ſub dominio *Theodori Laſcaris*, Græcorum Imperatoris, ad Concilium Generale Lateranenſe IV. veniſſe, ac ſubindè in eo de Græcæ & Latinæ Eccleſiæ concordia tractatum fuiſſe.

D. Jam probè teneo cauſas convocationis Concilii Lateranenſis IV. tempus illius celebrationis, locum, Præſidem, & numerum Patrum, qui huic interfuerunt. Expendamus modò, ſi placet, ſingula, quæ in eo Concilio tam ad configendas hæreſes,

quàm

quàm ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt ſtatuta.

M. Congregatis ſimul omnibus Epiſcopis in Baſilica Lateranenſi, *Innocentius III.* Pontifex Maximus die XI. menſis Novembris S. *Martino* ſacrâ anni MCCXV. Concilium aperuit eleganti, pio, atque erudito ſermone, ſumptis pro themate his Chriſti Domini verbis apud *Lucam* cap. 22. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*. Poſteà, contra varios Hæreticorum errores explicata eſt Catholicæ Eccleſiæ fides, Albigenſium damnata Hæreſis, decretumque, ut Ditio *Raymundi* Comitis Toloſani, Albigenſium Hæreticorum acerrimi fautoris, eſſet inpoſterum in plena poteſtate ac poſſeſſione *Simonis* Comitis *Montisfortis*, viri ſtrenui & Catholici, qui plus cæteris in debellandis Albigenſibus laboraverat, ac plures terras ejuſdem *Raymundi* Comitis Toloſani armis occupaverat. Sententiæ hujus conceſſionis factæ *Simoni* Comiti *Monfortio* à Concilio Lateranenſi IV. meminit *Petrus de Valle Cernaii* in ſua *Hiſtoria Albigenſium* cap. LXXXIII. Extat etiam eadem Concilii ſententia tomo 7. *Spicilegii*, ubi eam *Lucas Dacherius*, doctiſſimus Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, edidit, & inde in poſtrema Conciliorum Collectione tranſcripta eſt. Inſanam *Almarici* Hæreſim, & librum Abbatis *Joachimi* damnarunt itidem Patres Concilii Lateranenſis IV. Quæ omnia, cùm in ſuperioribus Colloquiis fuerint jam à nobis obſervata, levi brachio hìc attingimus.

Confixis in hoc Concilio Hæreticorum erroribus, *Innocentius III.* cui ad recuperandam Terram Sanctam acres ſtimulos admoverat memorabilis illa

illa, cujus in primo Colloquio mentionem fecimus, victoria, quâ Latini ſacro bello fœderati Græcos expugnarunt, Conſtantinopolim ſubegerunt, & Imperatorem Conſtantinopolitanum crearunt *Balduinum* Flandriæ Comitem, hoc, inquam, fauſto Latinorum ſucceſſu excitatus *Innocentius III.* Expeditionem in Terram Sanctam unanimi Patrum conſenſu decrevit, varia privilegia & indulgentias ad eam properantibus conceſſit, triginta millia librarum, ad hoc opus donavit, non ſolùm omnes omninò Clericos tam ſubditos, quàm Prælatos, ſed ſe ipſum quoque cum Cardinalibus ad decimæ collationem in ſubſidium Terræ Sanctæ obſtrinxit, Cruceſignatos ab oneribus publicis immunes eſſe juſſit, Piratas & eorum fautores; item, Chriſtianos, qui Saracenis arma, naves, aut machinas bellicas ſuppeditarent, excommunicatione perculit, poſtremò, præcepit omnibus Principibus Chriſtianis, ut pacem inirent, eamque per quadriennium conſervarent, & neceſſaria ad bellum ſacrum peragendum ſubſidia compararent.

D. Condiditne Concilium Generale Lateranenſe IV. aliquos Canones?

M. Sunt nonnulli Scriptores, qui leviſſimis adducti conjecturis aſſerunt, nihil à Concilio Lateranenſi IV. ſancitum eſſe, ſed Canones nomine hujuſce Concilii inſcriptos, unius *Innocentii III.* Pontificis Maximi opus eſſe arbitrantur. Inter illos Scriptores recenſentur *Antonius de Dominis* Spalatenſis Archiepiſcopus, & *Joannes Barclajus* in vindiciis adversùs librum Cardinalis *Bellarmini* de poteſtate Pontificis in rebus temporalibus. Ficulneas utriuſque Scriptoris conjecturas recoxit noviſſimus Scriptor

ptor *Ellias Dupinus*,SacræFacultatis Pariſienſis Doctor, in libro, quem edidit *De antiqua Eccleſiæ Diſciplina* Diſſertatione 7. parag. 4. pag. 572. ubi ad probandum iſtos Canones,qui ſub nomine Concilii Generalis Lateranenſis IV. circumferuntur, non à toto Concilio, ſed ab *Innocentio III.* conditos fuiſſe, has duas profert conjecturas, quarum prima petitur ex teſtimonio *Matthæi Pariſii*, qui in Hiſtoria Angliæ ad annum MCCXX. hæc ſcribit: *Facto priùs ab ipſo Papa exhortationis Sermone, recitata ſunt in pleno Concilio Capitula ſexaginta, quæ aliis placabilia, aliis videbantur oneroſa*. Ex quo infert *Dupinus*,hæc Capitula non à Concilio, ſed ab *Innocentio III.* confecta fuiſſe, ejuſque juſſu in Concilio lecta. Altera conjectura deſumitur ex ipſiſmet Canonibus,qui tribuuntur Concilio Lateranenſi IV. In his quippè citatur Concilium Generale, quaſi jam fuiſſet celebratum, ut videre eſt in Canone XI. qui ſic habet: *in Lateranenſi Concilio pia fuit inſtitutione proviſum.* In Canone etiam XV. *in Lateranenſi Concilio noſcitur fuiſſe prohibitum*, & in Canone XXXIX. *De multa providentia fuit in Lateran. Concilio prohibitum &c.* idem legitur in pluribus aliis Canonibus, qui adjudicantur huic Concilio Lateranenſi IV. Ex quo loquendi modo infert *Dupinus*, hos Canones non fuiſſe editos in hoc Concilio Lateranenſi IV. quia ſi iſtud Concilium de ſe ipſo loqueretur, diceret potius: *Hæc Sancta & Oecumenica Synodus Lateranenſis ſtatuit &c.* Hæ ſunt duæ *Dupini* conjecturæ, quæ, cùm jejunæ & ſubleſtæ admodùm ſint, levi flatu exſufflari poſſunt. Et primò quidem, quid ex teſtimonio *Matthæi Pariſii* in ſuæ ſententiæ præſidium extundere poſſit *Dupinus*, certè non video.

Ait

Ait *Matthæus Pariſius*, Canones fuiſſe lectos & promulgatos in Concilio Lateranenſi IV. Hoc nemo negat. Sed indè colligi debet, hos Canones editos fuiſſe à Concilio Lateranenſi IV. quoniam Capitula, ſeu Canones in Conciliis legere & promulgare, niſi qui Sacro approbante Concilio ſanciti fuiſſent, in more & Diſciplina Eccleſiæ poſitum nuſquàm fuit. Ait inſuper *Matthæus Pariſius*, horum Canonum, ſeu Capitulorum, quæ lecta ſunt in Concilio Lateranenſi IV. nonnulla aliis *placabilia*, aliis viſa fuiſſe *onerosa*. Id profectò *Dupino* non ſuffragatur. Eſto enim nonnulli ex his Canonibus lectis in Concilio Lateranenſi IV. ad diſciplinam ac judiciorum ordinem ſpectantibus, omnibus non arriſerint, potiori tamen parti Patrum placuerunt, quorum ſuffragiis accedente Innocentii Pontificis auctoritate, ſanciti, approbati, atque promulgati fuerunt. Sed demus etiam *Dupino*, reverà *Matthæum Pariſium* ſcripſiſſe, nullos à Concilio Lateranenſi IV. editos fuiſſe Canones, non tamen illius Scriptoris teſtimonio ſuam ſententiam fulcire poſſet *Dupinus*, tum quia *Matthæus Pariſius* in ea narratione ſtatim in apertum labitur errorem, aſſerens ſexaginta Capitula, ſeu Canones lectos fuiſſe in Concilio Lateranenſi IV. cùm tamen apud omnes in confeſſo ſit, ſeptuaginta Canones lectos & promulgatos fuiſſe in hoc Concilio Lateranenſi IV. Tum quia etiam teſtimonium *Matthæi Pariſii* præponi haud debet teſtimoniis probatiſſimæ fidei omnium Authorum, qui à Concilii Lateranenſis IV. temporibus ſcripſerunt, quique ſeptuaginta illos Canones Concilio Oecumenico Lateranenſi IV. conſtanter tribuerunt, eoſque velut totius Orbis Chriſtiani conſenſu editos

tos ſemper laudarunt. Quod adeò verum eſt, ut ipſimet Centuriatores Magdeburgenſes, quibus, ob doctrinam Tranſubſtantiationis, & Confeſſionis Sacramentalis, exoſa ſine dubio fuit Generalis iſta Synodus Lateranenſis IV. hos tamen ſeptuaginta Canones ab eadem Synodo conditos & approbatos fuiſſe nunquam negare, aut in dubium revocare auſi ſunt, ſicut videre eſt in *Centuria XIII.* cap.9. *De Synodis*. Demùm, *Matthæus Pariſius* in his, quæ narrat de Romanis Pontificibus, & de doctrina Eccleſiæ Romanæ, nullam meretur fidem, quia proluſit hæreticis noſtri temporis, & in Romanos Pontifices petulantis linguæ fuit, ſicut facilè colligitur ex his, quæ de *Innocentio III.* qui præfuit Concilio Lateranenſi IV. ſcripſit *Matthæus Pariſius* in Hiſtoria minori, ut refertur in Antiquitatibus Britannicis in Vita Stephani Langthoni: *Concilium iſtud Generale* (ſeu Lateranenſe IV.) inquit Matthæus Pariſius, *quod more Papali grandia prima fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcomma, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, omnesque ad Concilium accedentes ludificatus eſt* (ſeu Innocentius III.) *deſiit. Illi enim, cùm jam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi, veniam ſigillatim petierunt, quibus Papa non conceſſit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent, Mercatoribus Romanis prius accipere mutuò, Papæque ſolvere coacti ſunt, antequàm diſcedere Roma potuiſſent. Papa, jam accepta pecunia, quæſtuoſum hoc Concilium diſſolvit gratis, totusque Clerus abiit triſtis*. Quæ omnia à veritate hiſtoriæ penitùs aliena, & contra *Innocentium III.* & Patres Concilii Lateranenſis IV. à *Matthæo Pariſio* de induſtria fuiſſe conficta certiſſimè conſtat. Nec minùs facilè re-

fel

ſellitur altera conjectura, quam poſt *Antonium de Dominis*, & *Joannem Barclajum* adducit *Ellias Dupinus*. Hallucinantur quippè illi Scriptores, dum ea, quæ in hiſce Lateranenſis Concilii IV. Canonibus laudantur, velut in Concilio Lateranenſi IV. conſtituta fuiſſe putant, cùm potiùs referenda ſint ad Concilium Lateranenſe III. ſub *Alexandro III.* Pontifice Maximo celebratum, cujus plurimas ſanctiones Concilium Lateranenſe IV. ſub *Innocentio III.* in Chriſtianæ rei commodum innovandas duxit ac confirmandas. Non igitur *Innocentius III.* poſt Concilium Lateranenſe IV. hos ſeptuaginta Canones edidit, ut falsò ſibi perſuaſerunt mox laudati Scriptores, ſed Concilium Lateranenſe IV. nonnullis Decretis, quæ à præcedenti Concilio Oecumenico Lateranenſi III. ſub *Alexandro III.* in eadem Lateranenſi Baſilica celebrato condita fuerunt, novum robur per Canones à ſe confectos addidit, eorumq; executionem imperavit. Unde hæc verba: *In Lateranenſi Concilio noſcitur fuiſſe prohibitum*, vel *in Lateranenſi Concilio fuit pia inſtitutione proviſum*; hæc, inquam, & alia ſimilia verba, quæ leguntur in aliquibus Canonibus, ſeu Capitulis, quæ à Concilio Lateranenſi IV. condita ſunt, innuunt dumtaxat, Concilium IV. Lateranenſe in ſuis Canonibus approbaſſe, & executioni mandari voluiſſe, quædam Decreta, quæ Conc. Gener. Lateran. III. in Canonibus Concilii Lateranenſis IV. citatum jam antehàc promulgaverat, ſicut clariùs conſtabit ex his, quæ mox dicturi ſumus explicando Canones Concilii Generalis Lateranenſis IV.

D. Cùm nimis longum eſſet ſeptuaginta illos Canones à Concilio Generali Lateranenſi IV.

con-

conditos hìc attingere, & ſingillatim explanare, abundè ſufficiet præcipuorum Canonum Synopſim ſubjicere, eosque, ſi quam difficultatem patiantur, breviter dilucidare.

M. Canon primus Concilii Generalis Lateranenſis IV. continet fidem de Sanctiſſima Trinitate, de rerum omnium creatione, de Verbi divini Incarnatione, & de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento. Hæc autem Fidei expoſitio neceſſaria fuit propter Hæreticos Albigenſes, qui prædamnatos iis de articulis errores innovarunt. Canon ſecundus damnat libellum Abbatis *Joachimi* contra *Petrum Lombardum*, & inſanam atque hæreticam *Almarici* doctrinam. Tertius Canon Excommunicationem & pœnas etiam temporales in Hæreticos decernit, quos Sæcularibus Magiſtratibus poſt damnationem tradi jubet, eorumque bona confiſcari. Pœnas etiam ſtatuit in Dominos temporales, qui terras ſuas ab Albigenſis hæreſeos fœditate purgare neglexerint, eorum Vaſſallos à fidelitatis Sacramento abſolvit, & terras illorum Catholicis occupandas exponit. Circa hunc tertium Concilii Lateranenſis IV. Canonem duæ potiſſimùm moventur difficultates, quarum prima eſt, utrùm Concilium Lateranenſe IV. pœnas temporales in Hæreticos Albigenſes rectè decreverit? Altera difficultas eſt, utrùm juſtum fuerit bellum adversùs Albigenſes à *Simone Montisfortis* Comite, & à Principibus Chriſtianis confectum? Ad primam difficultatem reſpondeo: Patres Concilii Lateranenſis IV. jure optimo Albigenſes Hæreticos tradidiſſe, ſeu reliquiſſe Sæculari poteſtati, pœnis temporalibus puniendos. In eo ſiquidem con-

contra Hæreticos Albigenſes ſanciendo Canone Patres Concilii Lateranenſis IV. non ſolùm ſecuti ſunt doctrinam Sancti *Auguſtini*, qui lib. I. contra duas Epiſtolas *Gaudentii*, hæretici Donatiſtæ, & lib. I. contra Epiſtolam *Parmeniani* itidem Donatiſtæ, & Epiſtolâ XCIII. aliàs XLVIII. ad *Vincentium* Donatiſtam, pluribusque aliis in locis, conſtantèr docet, Hæreticos Donatiſtas à *Conſtantino Magno* Imperatore capitali ſententiâ juſtè damnatos eſſe, & legum pœnalium, quæ adversùs contumaces Hæreticos à Sæculari poteſtate feruntur, multiplicem fructum exponit; verùm etiam, Patres Concilii Lateranenſis IV. dum Hæreticos Albigenſes Sæculari poteſtati pœnis temporalibus puniendos tradiderunt, ſecuti ſunt perpetuum Eccleſiæ uſum, quo Imperatores, & Principes Chriſtiani obſtinatos Hæreticos, quos in ordinem Eccleſia redigere minimè poterat, ultimo ſupplicio afficiebant; ſicut conſtat ex benè multis exemplis, quæ paſſim in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam adduximus, & quæ hìc ſimul collecta referre non abs re erit. *Theodoſius* & *Valentinianus* Imperatores Manichæos è civitatibus pelli, & ultimo ſupplicio tradi ſanxerunt. *Marcianus*, & *Valentinianus* Imperatores ultimo itidem ſupplicio Eutychianos, & Apollinariſtas coërceri debere ſtatuerunt. *Theodoſius* & *Honorius* Imperatores pœnam capitis decreverunt in Donatiſtas. *Juſtinianus* Imperator Manichæos capite plectendos eſſe edixit. *Alexius Comnenus*, Orientis Imperator, *Baſilium*, Hæreticorum Bogomilorum Principem, flammis addici juſſit. *Robertus* Galliarum Rex igne damnavit *Stephanum* & *Liſoium*, aliosque in urbe Aurelianenſi detectos hære-

hæreticos. *Petrus de Bruis* Hæreſiarcha in Villa Sancti Ægidii vivus combuſtus eſt, & *Arnaldus de Brixia*, alter Hæreſiarcha, juſſu *Friderici* Imperatoris captus, ad rogum Romæ damnatus eſt. Ex his luculentiſſimis exemplis colligere debes primò, Patres Concilii Lateranenſis IV. juxta antiquam Eccleſiæ praxim, Albigenſes pervicaces Hæreticos Sæculari poteſtati pœnis temporalibus puniendos juſtè tradidiſſe, nè eorum mortale venenum latiùs ſerperet. Secundò, colligere debes, Hæreſiarcham *Calvinum* eſſe malè feriatum nebulonem, quippè qui non ſolùm Fidei Inquiſitores, qui in Hæreticos debitis pœnis animadvertunt, *Incendiarios* & *Papæ Carnifices* inſolentèr ac impiè vocat, ſed etiam ſuppliciorum, quibus affecti ſunt Calviniſtæ, aliique Hæretici, eorum Anteceſſores, Relationem, *Hiſtoriam Martyrum* inſcribere auſus eſt; cùm tamen idem ille impudentiſſimus Hæreſiarcha, calidum & frigidum ſimul ex eodem ore perflans, *Michaëlem Servetum*, Hæreticum, Perſonarum in Deo diſtinctionem negantem, & inſanabilem, Sæculari Magiſtratui anno MDLV. tradiderit, cujus ſententiâ è medio ſublatus eſt. Errorum etiam *Michaëlis Serveti* refutationem edidit *Calvinus*, in qua multis adversùs ipſum rationibus probat, Hæreticos jure gladii coërceri poſſe, capitisque pœnâ plecti Hæreſum Authores ac pertinaces defenſores. Sic nefandus ille Hæreſiarcha nunquam ſibi conſtabat, ſed utroque genu claudicans, modò in hanc, modò in illam, prout ſibi conducebat, abripiebatur ſententiam.

Ad alteram difficultatem, utrùm videlicèt juſtum fuerit bellum adversùs Hæreticos Albigenſes

à *Simone Montisfortis* Comite, & à Principibus Chriſtianis ſuſceptum? Reſpondeo, bellum adverſùs Albigenſes confectum fuiſſe juſtiſſimum, tum quia Albigenſes publicam Deo injuriam irrogabant, Eccleſiæ inſultabant, in ſacratiora Catholicæ Religionis Myſteria, & in Sacerdotes crudelitatem inauditam exercebant, multaſque in Galliarum Regno turbas excitabant, ut videre eſt in Albigenſium Hiſtoria coævis ab Authoribus conſcripta: tum quia etiam Principes Chriſtiani, præcipuè *Philippus Auguſtus*, Galliarum Rex, ac *Simon Monfortius* Comes, quos ad illud bellum gerendum meritò adhortatus eſt *Innocentius III.* Pontifex vigilantiſſimus, non alium finem ſibi in eo bello conficiendo præfixerunt, quàm Hæreticorum emendationem, perduellium punitionem, Religionis, Eccleſiæque defenſionem. Quò factum eſt, ut piam illorum intentionem, bellique æquitatem Deus pro Catholicis pugnans frequentibus miraculis, quæ ab Authoribus Albigenſis Hiſtoriæ referuntur, comprobaverit. Suis etiam Ditionibus juſtè exutus eſt *Raymundus* Comes Toloſanus, quia Hæreticis Albigenſibus apertè favebat, & *Petrum de Caſtronovo*, Virum Sanctiſſimum & Sedis Apoſtolicæ Legatum, ſicariis immiſſis, occidi juſſit. *Simon* verò *Monfortius* Comes, Cruceſignati Dux exercitus, Ditiones *Raymundi* Comitis Toloſani, quas armis occupaverat, jure belli obtinuit, eaſque electione Epiſcoporum, necnon Baronum Occitaniæ & Provinciæ in Synodo Monſpelienſi, Concilii Oecumenici Lateranenſis judicio, & Galliarum Regis, qui Comitatus Toloſani principalis Dominus erat, conceſſione & Inveſtiturâ ſibi juſtiſſimè vendicavit.

Dilu-

Dilutis duabus hiſce difficultatibus, alios ejuſdem Concilii Lateranenſis IV. Canones percurramus. Canon quartus damnat, ut ſuperiùs obſervavimus, Græcos, qui non priùs ſacrificare volebant in Altaribus, in quibus Latini ſacrificaſſent, quàm ea laviſſent, quique baptizatos à Latinis iterùm baptizabant. Quintus Canon de Sedium Patriarchalium ordine agit, jubetque ut poſt Romanam Sedem, Conſtantinopolitana primum locum obtineat; Alexandrina ſecundum; Antiochena tertium; & Hieroſolymitana quartum. Canon ſextus præcipit, ut ſingulis annis Provincialia celebrentur Concilia à Metropolitanis. Canon undecimus, Concilii Generalis Lateranenſis tertii Canonem de Magiſtris in qualibet Eccleſia Cathedrali inſtituendis, qui Clericos gratis doceant, jubet obſervari, ſicut *in Lateranenſi Concilio pia fuit inſtitutione proviſum*, ideſt in Concilio Generali Lateranenſi III. cujus nonnulla Decreta Concilium Generale Lateranenſe IV. in ſuis Canonibus confirmavit, eorumque executionem imperavit, ſicut jam obſervavimus contra *Dupinum*, & alios, qui in hac re decepti ſunt, non animadvertentes, ea, quæ ſub nomine Concilii Lateranenſis laudantur in Canonibus conditis à Concilio Generali Lateranenſi IV. non eſſe referenda ad iſtud Concilium Generalė Lateranenſe IV. ſed referri debere ad Concilium Generale Lateranenſe III. ab *Alexandro III.* Pontifice Maximo convocatum, cujus plurima Decreta Concilium Oecumenicum Lateranenſe IV. ſub *Innocentio III.* habitum in ſuis Canonibus approbavit, eaque in rem Eccleſiæ executioni mandari præcepit. Canon XIV. Clericos incontinentes puniri jubet. Canon XV.

lum Parochum intelligendum volunt, quorum ſententiam *Joannes Launojus* Doctor Sorbonicus in libro qui inſcribitur: *Explicata Eccleſiæ Traditio circa Canonem*: Omnis utriusque ſexus, mordicùs tenet, ac prolixè probat. Alii nomine *proprii Sacerdotis* Summum Pontificem, Diœceſanum Epiſcopum, & Parochum deſignari contendunt. Alii denique nomine *proprii Sacerdotis* intelligendos eſſe putant omnes promiſcuè Presbyteros tam Sęculares, quàm Regulares à Romano Pontifice & Epiſcopo Diœceſano ad audiendas Confeſſiones ſine reſtrictione approbatos. Hanc graviſſimam quæſtionem magno animarum æſtu hinc inde ventilatam, quæ me longiùs abduceret, hìc diſcutiendam non aggredior, ſed ſolùm inhærendo veſtigiis Sancti *Thomæ*, Doctoris Angelici, quo Magiſtro glorior ac triumpho, quod mihi hac in re veritati magis conſonum videtur, brevitèr aperire non gravabor. Cenſeo itaque cum Doctore noſtro Angelico, nomine *proprii Sacerdotis* intelligendum eſſe Parochum, ſalvâ tamen Summi Pontificis in toto Orbe Chriſtiano, & Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus auctoritate, ita ut qui peccata ſua ſemel in anno ipſis vel Presbyteris, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, quos ad id muneris abſque ulla reſtrictione delegarunt, confeſſi fuerint, Canoni *Omnis utriuſque ſexus* paruiſſe ac feciſſe ſatis cenſendi ſint. Et primò quidem, quòd nomine *proprii Sacerdotis* intelligendus ſit Parochus, id diſertè docet S. *Thomas* in Supplemento 3.partis ſuæ Summæ quæſt. 8. art.4. ubi inquirit, *utrùm ſit neceſſarium, quòd homo confiteatur proprio Sacerdoti*? Reſpondet S. Thomas affirmativè, idque in Argumento ſecundo *Sed contra* pro-

bat hac ratione: *Sicut Epiſcopus ſe habet ad Diœceſim ſuam, ita Sacerdos ad ſuam Parochiam, ſed non licet uni Epiſcopo in Diœceſi alterius Epiſcopale officium exercere ſecundùm ſtatuta canonum, ergo non licet uni Sacerdoti Parochianum alterius audire*. Ex quibus verbis liquet, S. *Thomam* nomine *proprii Sacerdotis* intellexiſſe Parochum, ſicut poſt Sanctum Thomam benè multæ Synodi Nationales, quæ variis in locis fuerunt convocatæ,& quas longum eſſet hìc recenſere, eodem planè ſenſu nomen *proprii Sacerdotis* acceperunt, pro Parochiali ſcilicet Presbytero. Secundò, S. *Thomas* Artic. 5. jam laudatæ quæſtionis principalem movet difficultatem, *Utrùm aliquis poſſit alteri, quàm proprio Sacerdoti, confiteri ex privilegio vel mandato Superioris*? Et poſtquam partem affirmantem probavit, reſpondens ad objectionem ſibi quarto loco propoſitam, hæc habet: *Nullus tenetur confiteri peccata, quæ non habet, & ideò ſi aliquis Pœnitentiario Epiſcopi, vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti confeſſus fuerit, cùm ſint ſibi dimiſſa peccata, & quoad Deum, & quoad Eccleſiam, non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcumque petat*. Et infrà: *Bonum eſt, quòd ille, qui auctoritate Epiſcopi confeſſionem audit, inducat confitentem ad hoc quod confiteatur proprio Sacerdoti: quòd ſi noluerit, nihilominus eum abſolvere debet*. Denique, S. *Thomas* in Opuſculo contra impugnantes Religionem, poſtquam oſtendit, Sacerdotes Regulares ex commiſſione Epiſcoporum, & Superiorum Prælatorum eſſe idoneos ad Prædicationis & Confeſſionis exercenda officia, inter diluendas ſibi propoſitas objectiones, ad eam, quæ ex Canone XXI. Concilii Lateranenſis IV. *Omnis utriuſque ſexus*, petita

tita eſt, ſic reſpondet: *Sacerdos proprius non eſt ſolùm Parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus, quàm ad Sacerdotem, ut multiplicitèr oſtenſum eſt. Proprium enim hìc non accipitur, ſecundùm quod dividitur contra commune, ſed ſecundùm quod dividitur contra alienum. Undè qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti*. Quo loco innuit S. *Thomas*, proprii Sacerdotis nomine in Lateranenſi Canone ita deſignari Parochum, ut tamen Summus Pontifex, Epiſcopi, eorum Pœnitentiarii, & quivis Sacerdotes, cùm Sæculares, tùm Regulares abſque reſtrictione ad excipiendas Fidelium Confeſſiones approbati, nequaquam excludantur, nec incurrant pœnas Canonis, qui apud ipſos peccata ſemel in anno depoſuerint, immò præcepto Eccleſiæ omninò ſatisfaciant. Hanc genuinam Sancti Thomæ interpretationem circa ſenſum Canonis Lateranenſis, *Omnis utriuſque ſexus*, approbarunt Romani Pontifices, quotquot fuerunt à tempore *Gregorii IX.* ad noſtra uſque tempora, ut liquet ex eorum Conſtitutionibus, in quibus concedunt Religioſis Mendicantibus licentiam abſque ulla limitatione audiendi Confeſſiones Fidelium, jubentque Epiſcopis, ut eos ad id muneris obeundum benignè ſuſcipiant. Inter illos Romanos Pontifices, *Joannes*, dictus vigeſimus ſecundus, damnavit in Extravaganti *Vas electionis*, anno MCCCXXI. *Joannem de Poliaco* Theologum Pariſienſem, quòd aſſereret, Cõfeſſiones Sacerdotibus Religioſis factas iterandas eſſe Parocho, neq; Pontificem Sacerdotibus Regularibus dare poſſe facultatem, ut Fideles tempore Paſchali alteri, quàm Eccleſiæ ſuæ Parocho,

confiterentur. Eoſdem *Joannis de Poliaco* errores, quos nonnulli anno milleſimo quadringenteſimo nono vindicare, ac mordicùs defendere temerario auſu præſumebant, *Alexander V.* confixit Diplomate, quod incipit: *Regnans in excelſis &c.* Sed hæc ad veram aſſequendam intelligentiam hujus Canonis Lateranenſis, *Omnis utriuſque ſexus*, brevitèr dicta ſufficiant. Conſule, ſi plura deſideres, *Natalem Alexandrum* Diſſertatione IV. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæcul.XIII. & XIV. *De ſenſu Canonis, Omnis utriuſque ſexus*.

Alii Canones, qui conditi ſunt in Concilio Generali Lateranenſi IV. pertinent vel ad inhibendam ſimoniam, quæ tùm in diſpenſandis Sacramentis, tùm in conferendis Beneficiis, tùm in Monialibus ad Monaſterium admittendis committi ſolebat; vel ad judiciorum Eccleſiaſticorum formam ſpectant; quorum omnium explicationem, ut brevitati ſtudeam, hìc non trado. Hoc unum dumtaxat te monitum velim, nempè in Jure Canonico, quotiès ſine addito Concilium Generale laudatur, intelligi Concilium Lateranenſe IV.

D. Quandònam, à quo, & quibus de cauſis indictum eſt Concilium Generale Lugdunenſe primum?

M. Concilium Lugdunenſe I. quod eſt inter Oecumenica decimum tertium, anno MCCXLV. die Lunæ proximâ poſt Feſtum Nativitatis S. *Joannis Baptiſtæ* cæptum eſt Lugduni in Galliis apud Ædes Monachorum S. *Juſti*. Ei præfuit *Innocentius IV.* Pontifex Maximus, à quo fuit convocatum. Adfuere etiam, præter Cardinales, qui, jam purpurati, novum in hoc Concilio ex rubri pilei Inſigni honorem

norem ſuſceperunt, tres Patriarchæ Latini, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejenſis, centum & quadraginta Epiſcopi, *Balduinus* hujus nominis *II.* Conſtantinopolitanus Imperator Latinus, & Regum Galliæ, Angliæ, aliorumque Principum Oratores. Ad iſtud Concilium citatus *Fridericus II.* Imperator, ut in eo cauſam diceret, venire renuit malè ſibi conſcius, Legatos ſuos tamen miſit, quorum præcipuus fuit *Thadæus de Sueſſa* Imperialis Cameræ Judex, Vir Belli, Juriſque peritiſſimus, & eloquentiæ vehementis. Peractis ſolemnibus cærimoniis, quæ in his ſacris cætibus actitari ſolent, *Innocentius IV*, peroravit in hæc verba: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, & in ea Oratione quinque protulit cauſas, quibus permotus fuerat ad iſtud celebrandum Concilium. Potiſſima cauſa, quæ huic convocando Concilio occaſionem dedit, fuit dura illa perſecutio, quâ *Fridericus II.* Imperator jam à multis annis Eccleſiam miſerum in modum divexabat. Ille ſiquidem ingratus ac impius Princeps, quem à tenera ætate parente ſuo *Henrico* inter Imperatores hujus nominis *V.* orbatum, & multis civilibus Bellis laceſſitum in ſuam tutelam ſuſceperat *Innocentius III.* Pontifex Maximus, ei Apuliæ Siciliæque Regnum conſervaverat, aditumque ad Imperium munierat, depulſo in ejus gratiam *Othone*, qui quartus hujus nominis fuerat inauguratus Imperator; ille, inquam, ingratus ac impius Princeps non modò tot beneficiis, quibus Sedi Apoſtolicæ erat devinctus, gratiam nullam rependit, ſed etiam, ut in Colloquiis primo & ſecundo obſervavimus, arma, quæ ex voto con-

contra Saracenos ad Sacra Palæſtinæ loca recuperanda conferre tenebatur, in Romanos Pontifices convertit. Graves cum *Innocentii III.* ſucceſſoribus *Honorio III.* & *Gregorio IX.* ſimultates aluit, & immanes concepit iras, præſertim adversùs *Gregorium IX.* qui eum anathemate perculerat, quòd Exercitum Chriſtianum in Syriam ducens, turpem cum Sultano pactionem iniiſſet, indèque reverſus in Occidentem, complures Eccleſiæ Romanæ terras, quà proditionibus, quà marte aperto invaſiſſet, totamque Italiam armis depopulatus eſſet, excitatâ in hoc ipſum Factione Gibellinorum, qui ei adhærebant, contra Guelphos, qui Romani Pontificis defenſionem ſuſceperant; ex qua Gibellinorum, & Guelphorum factione, in acerrima odia mutuò exardeſcente, innumeræ clades, direptiones, captivitates, incendia, omneſque hoſtiles & barbaricæ immanitates totâ Italiâ impunè graſſatæ ſunt. Quin, eò uſque proceſſit *Friderici* Imperatoris in *Gregorium IX.* furor, ut non ſolùm litteras adversùs Sanctiſſimum illum Pontificem calumniis, probris, ac minis refertas ſcripſerit, ſed etiam, teſte *Matthæo Pariſio* in Hiſtoria Anglicana, hos verſiculos ſparſerit, & in cubiculum Pontificis immitti curaverit:

Fata docent, ſtellæque monent, aviumque volatus,
Totius Mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Totius Mundi deſinet eſſe caput.

His Imperatoris verſiculis Pontificem hocce Diſticho reſpondiſſe ſcribit idem *Matthæus Pariſius*:

Fama refert, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tua vita brevis, pœna perennis erit.

Tot

Tot diris ac luctuoſis malis, quibus id temporis premebatur Eccleſia, ut occurreret atque præſentiſſimum afferret remedium *Gregorius IX.* & nefarios furentis Imperatoris ſaltem ex parte reprimeret auſus, Generale Concilium anno MCCXL. Romæ indixit, quod tamen celebrare non potuit, quia Epiſcopi, qui ex Gallia, & Hiſpania cum aliquibus Cardinalibus Genuenſium triremibus vecti ad illud accedebant, à *Friderici* Imperatoris claſſe Ditionis Pontificiæ terras infeſtante capti ſunt, & ad Imperatorem perducti, cujus juſſu fuerunt carceribus mancipati, ut conſtat ex litteris Præſulum, qui è clade evaſerunt, ad *Gregorium IX.* & ex Epiſtolis conſolatoriis ejuſdem *Gregorii* Pontificis ad ipſos, quas in Annalibus Eccleſiaſticis deſcribit *Odoricus Raynaldus*. Eo, de tam gravi & infauſto Epiſcoporum, Cardinaliumque caſu, accepto nuncio, *Gregorius IX.* paulò poſt præ animi dolore exceſſit è vita, eique ſucceſſit *Cæleſtinus IV.* qui poſt ſeptemdecim dies ab electione ſua è vivis itidem ereptus eſt. Tandem *Innocentius IV.* ſucceſſor *Cæleſtini IV.* ſtatim ac ad ſupremum evectus eſt Pontificatus culmen, de concordia Sacerdotium inter & Imperium ineunda ſeriò cogitavit, miſſis ad Imperatorem Legatis, qui poſtularent, ut Præſules, qui pugnâ navali capti, iniuſtè ab ipſo detinebantur, libertati reſtituerentur, aliaſque æquiſſimas ei proponerent pacis conditiones. *Fridericus* Imperator oblatas ſibi à Legatis Summi Pontificis conditiones pacis ſe obſervaturum promiſit per ſuos Oratores, quos ad Sedem Apoſtolicam de pace tractaturos miſit. At ſuperbum, infidum, verſipellem, ſibique non conſtantem Principem, promiſſo-

miſſorum, pactorumque brevi pœnituit. Cùm igitùr *Fridericus*, depoſitâ pœnitentiæ laruâ, inſolentiùs ſe gereret, ac nulla ſupereſſet ſpes conciliandæ pacis, *Innocentius IV.* propoſitum & mentem *Gregorii IX.* ſecutus, Concilium Generale ad reprimendam *Friderici* temeritatem convocare decrevit. Sed quia difficile admodùm erat illud Romæ celebrare, cùm tota Italia bellorum ac ſeditionum motibus tum temporis jactaretur, Summus Pontifex ſtructas à *Friderico* inſidias fugiens, annuente Sanctiſſimo Rege *Ludovico IX.* in Gallias, tutiſſimum Romanorum Pontificum azylum, ſeſe recepit, ubi ad celebrandum Concilium, Lugdunum, urbem clariſſimam, delegit. Hæc igitur perſecutio, quâ *Fridericus II.* Imperator diù vexavit Eccleſiam, potiſſima cauſa fuit convocandi iſtud Concilium Lugdunenſe primum.

D. Hæc mota in Eccleſiam à *Friderico II.* Imperatore perſecutio, fuitne ſola cauſa convocandi Concilium Generale Lugdunenſe primum?

M. Præter hanc perſecutionem, quâ *Fridericus* Imperator exagitavit Eccleſiam, quæque celebrando Concilio Generali Lugdunenſi primo occaſionem dedit, alias quatuor hujus Concilii convocandi cauſas recitat *Innocentius IV.* in Oratione, quam in ipſo Concilio habuit, & in litteris, quibus Epiſcopos ad illud Concilium evocavit. Una ex his cauſis fuit neceſſitas ferendi ſubſidium Orientalibus Chriſtianis adversùs Saracenos, qui, captâ Hieroſolymorum urbe, præſentem ruinam toti populo fideli minabantur, nec non extremam Imperio Conſtantinopolitano cladem, cujus tunc Latini vix reliquias tuebantur; conſpirantibus adver-

verſùs ipſos Græcis, finitimiſque barbaris, ſublata omni ſpe obtinendi ſubſidium, propter continua bella, quibus *Fridericus* Imperator Occidentem diſtinebat, & omnia in Eccleſia ſùs dèque miſcebat. Alteram cauſam celebrandi Concilium Generale Lugdunenſe I. præbuit funeſta illa Tartarorum irruptio, quæ iis temporibus Chriſtianæ Reipublicæ incubuit. Gens quippè Tartarorum armis furens, devaſtatâ primum, inſtar torrentis rapidiſſimi, utrâque Armeniâ, deindè direptis quæ inter Maria Caſpium & Euxinum interjacent Provinciis, Georgianorum, & Mengrelinorum, Moſcoviam, Poloniam, Tranſylvaniam, & Hungariam cædibus & incendiis populata eſt. Tertia cauſa convocationis iſtius Concilii Generalis Lugdunenſis primi fuit Schiſma Græcorum, quod in dies augebatur. Quarta tandem cauſa fuit exceſſus Prælatorum ac Clericorum, qui mores non exigebant ad Sacrorum Canonum regulas. Diutina ſiquidem bella, & pullulantes ubique factiones in cauſa fuerant, cur collapſa eſſet Eccleſiaſtica Diſciplina, moreſque Clericorum in graviora quotidiè vitia dilaberentur. Ad hanc igitur tollendam morum perverſitatem, & ut Eccleſia priſtinum, qui jam penè obſoleverat, dignitatis ſplendorem recuperaret, hoc Concilium Oecumenicum Lugdunenſe primum convocavit *Innocentius IV.* Pontifex Maximus.

Fuitne diù prorogatum Concilium Generale Lugdunenſe primum?

M. Brevi temporis ſpatio, & Actionibus, ſeu Seſſionibus tribus abſolutum eſt hoc Concilium Generale Lugdunenſe primum. Prima Actio, ſeu

Seſſio

Seſſio habita eſt quarto Kalendas Julii anni MCCXLV. Altera poſt elapſos dies octo, & tertia, eaque poſtrema, paulò poſt, hoc eſt, XVI. Kalend. Auguſti celebrata fuit. His tribus Seſſionibus finis impoſitus eſt Concilio Generali Lugdunenſi primo.

D. Expone, quæſo, uberiùs ea quæ acta ſunt in tribus illis Seſſionibus Concilii Generalis Lugdunenſis primi.

M. In priore Seſſione conqueſtus eſt *Innocentius IV.* de Prælatorum exceſſibus. Infelicem Chriſtianorum tùm in Oriente, tùm in Septentrione, ſtatum expoſuit, multaque dixit de ſæviente *Friderici* Imperatoris in Eccleſiam perſecutione, quamvis *Thadæus* procurator *Friderici*, ut Summi Pontificis, & Eccleſiæ gratiam magnificis promiſſis Domino ſuo conciliaret, multa ſtatìm in ipſo Concilii limine ſpopondiſſet, videlicet *Fridericum* ereptas Eccleſiæ Romanæ ditiones redditurum, & pro illatis damnis, irrogatiſque injuriis, facturum ſatis, Græcorum Imperium ad obedientiam Eccleſiæ reducturum, Tartaros, & Saracenos propriis ſumptibus impugnaturum, & profligatas Terræ Sanctæ res priſtino ſplendori reſtituturum. At, cùm montes aureos *Fridericus* Imperator per ſuum Procuratorem *Thadæum* polliceretur, ut Eccleſiæ illuderet, ejuſque judicium declinaret, tam ſplendidis promiſſis Imperatoris, qui totiès fefellerat, ſtare minimè voluit *Innocentius IV.*

In Actione ſecunda Summus Pontifex *Friderici* Imperatoris ſacrilegia, tyrannidem, cenſurarum Eccleſiæ contemptum, initum cum Saracenis fœdus, & impudici cum Saracenis mulieribus amoris commercia, perjuria, aliaque ſcelera oculis

lis Patrum ſubjecit, quæ omnia *Thadæus*, Procurator *Friderici*, utcumque diluere conatus eſt, ſed cùm objecta crimina infirmâ defenſione repelleret, inducias petiit, ut Dominum ſuum de his, quæ in Concilio gerebantur, certiorem faceret. Regis Chriſtianiſſimi, & Regis Anglorum Oratoribus preces *Thadæi* commendatione ſuâ ſuſtentantibus, conceſſæ ei ſunt duarum Hebdomadum induciæ. Sed monitus *Fridericus* Imperator, & in furorem actus Pontificem & Patres Concilii diris devovit, judiceſque recuſavit. Quo reſponſo ad Concilium perlato, multi, qui à *Friderico* ſtabant, ab ejus partibus receſſerunt, & Patres Concilii, præſertim Hiſpaniæ Epiſcopi, contenderunt in *Fridericum* Imperatorem animadvertendum eſſe ſecundùm formam juris.

In tertia & ultima Seſſione *Innocentius IV.* ſententiam in *Fridericum* Imperatorem, *ſacro præſente Concilio*, tulit, quâ illum damnavit, è Fidelium communione dejecit, & Imperii dignitate atque Siciliæ Regno privavit. In ea autem *Innocentii IV.* adversùs *Fridericum* ſententia ſingillatim recenſentur ſcelera & ſacrilegia, quorum impius ille Imperator fuit inſimulatus; nempè declaratur reus violatæ pacis inter Eccleſiam & Imperium initæ; Sacrilegii in captione & violenta detentione Cardinalium, & aliorum Antiſtitum, qui ad Concilium à *Gregorio IX.* Romæ indictum proficiſcebantur; Pontificiæ Authoritatis famoſis in *Gregorium IX.* epiſtolis læſæ; invaſionis patrimonii Sancti Petri; contemptus cenſurarum, quibus à *Gregorio IX.* fuerat innodatus; Eccleſiæ in ſacris præſertim electionibus oppreſſæ; tyrannidis in Clericos, quos duella

la ſubire coegerat; denique fruſtratæ Eccleſiæ Romanæ cenſu debito pro Regno Siciliæ, quod ab Eccleſia Romana Beneficiario jure tenebat. Has ob cauſas *Innocentius IV.* Pontifex Maximus, ſententiam in *Fridericum* Imperatorem tulit.

D. Quo animi ſenſu hanc in ſe latam ſententiam excepit *Fridericus* Imperator?

M. Furibundo animo hanc in ſe latam ſententiam excepit *Fridericus* Imperator, quippè qui ſtatim ac de ea certior factus eſt, coronam capiti impoſuit, & Pontifici inſultans: *Non adhuc*, inquit, *coronam meam perdidi, vel Papali impugnatione, vel Synodali Concilio, nec ſine cruento perdam certamine.* His dictis, arma corripuit, graviſſima damna Pontifici & Eccleſiæ intulit, Principes contra Romanum Pontificem commovere conatus eſt, datis ad eos Encyclicis litteris, & quamvis Germaniæ Principes, poſt ejus exauctorationem, novum Imperatorem *Henricum Lantgravium* de mandato Romani Pontificis elegiſſent, ſeſe tamen, quamdiù vixit, Imperatorem geſſit, hincque factum eſt, ut Principes ac populi in diverſas factiones abierint, ex quibus innumeræ clades & calamitates in Rempublicam Chriſtianam redundarint uſque ad mortem perduellis illius Imperatoris, qui tandem à Longobardis, qui in ipſum rebellarant, prælio victus, profugus in Siciliam ſeceſſit, & anno MCCL. in Arce quadam Apuliæ obiit, morte ipſi illatâ à *Manfredo*, proprio ſuo, ſed illegitimo filio, quem, pulvinari ori ægrotantis *Friderici* impoſito, ſuis manibus illum ſuffocaſſe, aſſerunt *Ptolomæus Lucenſis, Martinus Polonus, Villanius, S. Antoninus, & Cuſpinianus.*

D. Edi-

D. Ediditne Concilium Generale Lugdunenſe primum aliquot Canones ad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam?

M. Septemdecim Canones, ſeu Decreta, condidit Concilium Generale Lugdunenſe I. quorum duodecim priora conſulunt formæ Judiciorum Eccleſiaſticorum. In aliis verò ſequentibus agitur de cohibenda uſura, de ſubſidio ferendo periclitanti Latinorum Imperio Conſtantinopolitano, de impediendis Tartarorum excurſionibus, de Cruciatis, hoc eſt, de jis, qui acceptâ cruce profectionem in Palæſtinam voverant, quos cenſuris Eccleſiaſticis, ipsâ etiam excommunicatione, cogi debere ſtatuit ſancta Synodus, ut votum ſuum in Terræ Sanctæ ſubſidium fidelitèr exequantur. Multa Decreta ex his ſeptemdecim, quæ à Concilio Lugdunenſi primo condita ſunt, *Bonifacius* Papa *VIII.* inſeruit in libro ſexto Decretalium, eaque juxta Ordinem, quem eadem in libro ſexto Decretalium ſub diverſis titulis habent, refert *Joannes Cabaſſutius* Cong. Oratorii Presbyter in *Notitia Eccleſiaſtica*, ad Sæculum Eccleſiæ decimum tertium, pag. 451. & ſeqq. ubi etiam nonnullas omiſſiones ſupplet, quæ *Binii*, Conciliorum Collectoris, diligentiam effugerunt. Teſtatur *Matthæus Pariſius*, quòd cum hæc Decreta, ſeu *Statuta ad notitiam audientium perveniſſent, in conſpectu omnium Sapientium placuerunt, & in hoc tàm favorem, quàm gratiam Dominus Papa promeruit univerſorum. Verumtamen quædam eorum ante Concilium, quædam durante Concilio, quædam verò poſt Concilium ſunt Statuta*. Denique, in Concilio Generali Lugdunenſi primo Octava Nativitati Beatæ Mariæ Virginis

ginis decreta eſt, ad implendum votum à Cardinalibus emiſſum eo tempore, quo, poſt *Cæleſtini IV.* Romani Pontificis obitum, vacabat Sedes, & plus nimiò retardabatur futuri ſucceſſoris electio, eò quòd aliquot Cardinales à *Friderico II.* Imperatore capti, in carcere Amalphitano iniuſtè detinerentur, ſicut obſervavimus in Colloquio ſecundo.

D. Duo Concilia Oecumenica Lugduni in Galliis Sæculo Eccleſiæ decimo tertio celebrata memoraſti, & de primo, quod habitum eſt anno MCCXLV. ſatis hactenus diſſeruiſti; nunc itaque continenti ordine Concilii Generalis Lugdunenſis ſecundi convocationis Epocham, cauſam, Præſidem, numerum Patrum, Acta, & Canones breviter percenſere debes.

M. Concilium Generale Lugdunenſe II. quod eſt inter Oecumenica XIV. convocatum fuit à *Gregorio X.* Pontifice Maximo anno MCCLXXII. quod tamen poſt biennium, hoc eſt, anno MCCLXXIV. celebratum eſt Lugduni in Galliis in Baſilica Principe S. *Joannis* die VII. menſis Maii ejuſdem anni. Ei præfuit *Gregorius X.* Quod enim duo Summi Pontifices *Sixtus IV.* & *Sixtus V.* ajunt, S. *Bonaventuram* Epiſcopum & Cardinalem, huic Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo præſediſſe, ſic intelligi debet, ut in vita S. *Bonaventuræ* obſervat *Galeſinus*, quòd ei Summus Pontifex curam *dirigendi Concilii* commiſerit, providendi nimirùm quæ in eo eſſent proponenda. Nemo quippè dicet unquam, *Bonaventuram*, præſente Romano Pontifice, loco, & ordine primas in Concilio tenere potuiſſe. Præter Patriarchas Orientis Latinos Conſtantinopolitanum, & Antiochenum, adfuere huic Con-

Concilio quingenti Epiſcopi, ſeptuaginta Abbates, Prælati inferiores mille, ſicut teſtatur noſter *Ptolomæus Lucenſis* Scriptor Coævus lib. XXIII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Cap. III. Ad illud etiam acceſſerunt Oratores Regum Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ, & Tartariæ. Ineunti Concilio interfuit *Jacobus* Rex Aragoniæ, ſed poſt ſecundam Seſſionem diſceſſit. Falluntur autem nonnulli Scriptores, quos inter cenſentur *Blondus, Trithemius, Platina, Voſſius*, & alii, qui aſſerunt, *Michaëlem Palæologum*, Græcorum Imperatorem, ad Concilium Lugdunenſe II. veniſſe. Certiſſimè ſiquidem conſtat, *Michaëlem Palæologum* miſiſſe dumtaxat ad Concilium Lugdunenſe II. ſuos Oratores, qui totum conciliationis Eccleſiæ Græcæ cum Latina negotium peragerent, & initam pacem ejus nomine jurarent. Quod, ut clariùs intelligas, obſervare debes, quòd *Michaël Palæologus*, poſtquàm, devictis in Oriente Latinis, Urbem Conſtantinopolitanã an. MCCLXI. recepiſſet, & Imperium Conſtantinopolitanum ad Græcos revocaſſet, ingruentem ſibi cum exercitu *Carolum*, Siciliæ Regem, valdè pertimeſcens, Romanum Pontificem in ſuas partes trahere ſtuduit, adeòque utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ unionis negotium ſæpius propoſitum ſine mora promovere decrevit. Quocircà, cùm *Gregorius X.* Generale Concilium *Lugdunenſe II.* convocaret, Oratores ſuos illùc deſtinavit, quorum præcipui erant *Germanus* quondàm Patriarcha, *Theophanes* Nicænus, *Joannes*, frater Imperatoris *Michaëlis Palæologi* & *Georgius Acropolita*, quibus utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ fœdus ſanciendi curam commiſit, ſicut teſtatur *Nicephorus Gregoras*

goras lib. v. *Hiſtoriæ* his verbis: *Proindè*, inquit, *tot difficultatibus circumventus Imperator* (Michaël Palæologus) *penè ad deſperationem compulſus, Legatos ad Papam mittit de ineunda Veteris & Novæ Romæ Eccleſiarum concordia, modò Caroli expeditionem averteret. Ea legatio à Pontifice benignè audita eſt. Ea ſe facilè, quæ Imperator petiviſſet, confecturum eſſe pollicetur &c.* Porrò, ſi huic Concilio Lugdunenſi II. adfuiſſet *Michaël Palæologus* Græcorum Imperator, quorsùm igitur ille Imperator Legatos ad hoc Concilium miſiſſet, qui ejus nomine pacem Eccleſiæ Græcæ cum Latina jurarent? quorsùm etiam Litteræ ejuſdem Imperatoris, à ſuis Legatis delatæ, lectæ fuiſſent in hoc Concilio? Quorsùm denique *Gregorius XI.* poſt iſtud Concilium Lugdunenſe ad *Michaëlem Palæologum* litteras ſcripſiſſet, quò eum certiorem faceret de his omnibus, quæ in ſacro illo cætu geſta fuerant, & potiſſimùm de ſumma illa & incredibili lætitia, quâ omnes Prælati hujuſce Concilii, ob initam Eccleſiæ Græcæ cum Latina concordiam, perfuſi ſunt. Hæc, ni mea me fallat mens, apertè probant, *Michaëlem Palæologum* Græcorum Imperatorem non adfuiſſe Concilio Generali Lugdunenſi II. Præter Patriarchas, Epiſcopos, & Abbates, vocavit ad iſtud Concilium *Gregorius X.* Viros duos doctrinâ & ſanctitate celeberrimos, omnique exceptione majores, *Thomam Aquinatem*, & *Bonaventuram*, quorum Prior, ſcilicet S. *Thomas*, Doctor Angelicus, cùm ad Concilium pergeret, in Monaſterio Foſſæ Novæ lethali ægritudine correptus, ad vitam migravit immortalem, magnumque ſui reliquit deſiderium. Sanctus vero *Bonaventura*, Doctor Seraphicus, in ipſo

ipſo Lugdunenſi Concilio Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis creatus eſt, cujus mors, quæ ante finem Concilii contigit, omnes Patres gravi mœrore affecit.

Præcipua cauſa convocandi iſtud Concilium Lugdunenſe II. fuit Eccleſiæ Græcæ cum Latina conjunctio, & Catholicorum Dogmatum adversùs Græcorum Schiſmaticorum errores confirmatio. Ad iſtud ſiquidem maximi momenti conficiendum negotium ſuos legatos *Michaël Palæologus*, Græcorum Imperator, miſerat ad Concilium, in quo tamen nullæ de Proceſſione Spiritus Sancti, aut de aliis Græcos inter & Latinos controverſis capitibus diſputationes habitæ ſunt, eò quòd de iis jam ſatis ſuperque tractatum eſſet Conſtantinopoli à quatuor Fratribus Minoribus, quos *Gregorius X.* ante Concilium miſerat ad *Michaëlem Palæologum* cum Formula Fidei, quam ipſe cum ſuo Patriarcha Conſtantinopolitano, & Epiſcopis, Cleroque Eccleſiæ Græcæ profiteri deberet. Poſt Legatorum *Michaëlis Palæologi* Græcorum Imperatoris adventum, Summus Pontifex Miſſam ſolemnem celebravit, in qua Symbolum Græcè & Latinè decantatum eſt, illaque verba: *Qui à Patre Filioque procedit*, ter à Græcis repetita ſunt. Imperatoris *Michaëlis Palæologi* litteræ, quæ lectæ ſunt in quarta Seſſione hujus Concilii, amplam Fidei profeſſionem, juxta Formulam Fidei ab Apoſtolica Sede ipſi præſcriptam, atque inter alia, Proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre Filioque, Purgatorii pœnas, & Romani Pontificis Prim atum continebant, in fine autem poſtulabat *Michaël Palæologus* Imperator, ut Symbolum à Græcis, adjectâ voce, *Filioque*, innu-

mutari non juberetur: *Ut Eccleſia noſtra dicat Symbolum*, inquit, *prout dicebat ante Schiſma, uſque in hodiernum diem*. Huic exoptatiſſimæ concordiæ Græcos inter & Latinos in Concilio Generali Lugdunenſi II. initæ *Joſephus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Latinis erat infenſus, & eâ de cauſa ab Imperatore *Michaële Palæologo* Conſtantinopoli detentus & ad Concilium venire prohibitus fuerat, aſſenſum præbere pertinaciter detrectavit, unde in ordinem redactus eſt ab eodem Imperatore, & in ejus locum *Joannes Beccus*, ſeu *Veccus*, vir ſummâ pollens integritate & eruditione ſubrogatus eſt, qui, ut jam diximus in Colloquio II. agendo de Patriarchis Conſtantinopolitanis, coegit frequentem Epiſcoporum Synodum, in qua confirmavit omnia, quæ geſta ac definita fuerant in Concilio Generali Lugdunenſi II. Complures verò Græcorum reconciliationem cum Latinis obſtinatiùs deteſtati, carceribus, plagis & exiliis, ac tandem in Synodo altera communionis privatione multati ſunt. Irridendi itaque potiùs, quàm confutandi ſunt Græculi quidam, quos fingere non puduit, Concilium Lugdunenſe ſub *Michaële Palæologo* Imperatore celebratum in partes Græcorum abiiſſe, & dogmata Latinorum condemnaſſe. Quam fabulam ab ipſis malè conſarcinatam refert, eâdemque operâ refellit *Joannes Pluſiadenus*, Dialogo *de Synodo Florentina*, apud *Leonem Allatium* libro ſecundo *de perpetuo conſenſu utriuſque Eccleſiæ* cap. xv.

Præter hanc coniunctionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, duæ aliæ fuerunt convocandi Concilium Generale Lugdunenſe II. cauſæ, videlicet ſubſidium Terræ Sanctæ, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, mo-

morumque tum Cleri, tùm plebis Chriſtianæ reformatio. Infra tres menſes Concilium iſtud ſex Seſſionibus abſolutum eſt. Pontifex, Cardinales, & Epiſcopi polliciti ſunt, ſe daturos decimas omnium proventuum Eccleſiaſticorum pro belli Hieroſolymitani ſubſidio, & ad Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, morumque reformationem Canones, ſeu Conſtitutiones xxxi. ediderunt, quas deinde *Bonifacius* Papa *VIII.* in libro ſexto Decretalium collegit. Inter illas xxxi. Conſtitutiones, quæ à *Gregorio X.* ſacro approbante Concilio Generali Lugdunenſi II. conditæ ſunt, tres, quas hìc breviter expendemus, ſunt magni momenti. In prima Conſtitutione definitur, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, tanquam ex uno, non autem tanquam ex duobus Principiis. Qua de re legeſis doctiſſimam Diſſertationem Critico-Hiſtoricam *De Proceſſione Spiritus Sancti*, quæ prima eſt inter Diſſertationes Damaſcenicas, quas eruditus noſter *Michaël Lequien* præfixit caſtigatiſſimæ, quam nuper adornavit, Editioni Operum S. *Damaſceni*. In ſecunda Conſtitutione, ſeu Canone ſecundo præſcribitur modus, quo Cardinales, defuncto Summo Pontifice, ſeſe in Conclavi gerere, & Pontificis electionem accelerare debent, ita ut ſi infra tres dies Pontifex electus non fuerit, unum dumtaxat ferculum tam in prandio, quàm in cœna, quinque diebus ſequentibus illis miniſtretur. Quibus elapſis, nihil ipſis obſonii, præter panem, vinum & aquam porrigatur, donec electio conſummetur. Adhæc, Cardinales vehementer obſecrat & obteſtatur *Gregorius X.* ut omni privato affectu, partiumque ſtudiis depoſitis, & cujuslibet pactionis,

conventionis, & obligationis vinculo ſoluti, publicam dumtaxat Eccleſiæ utilitatem in Summi Pontificis electione præ oculis habeant, & pro viribus procurare ſtudeant. Ea de Electione Romani Pontificis Conſtitutio revocata quidem fuit à Summis Pontificibus *Hadriano V.* & *Joanne* dicto *XXI.* ſed poſteà renovata eſt à *Cæleſtino V.* & à *Bonifacio VIII.* relata in ſextum Decretalium librum titulo *De electione & electi poteſtate* cap. *Ubi*. In duodecima Conſtitutione, ſeu Canone XII. damnantur excommunicatione ipſo facto incurrendâ hi, qui *Regalia* de novo uſurpare conantur, & omnes, qui hæc fieri procurant. Nomine autem *Regalium* intelligitur quoddam Jus, quod aliqui Reges ſibi vendicant fruendi redditibus Eccleſiæ vacantis, & conferendi Beneficia curam animarum non habentia, quę ab Epiſcopo conferri ſolent, donec novus Epiſcopus Juramentum fidelitatis Regi præſtiterit, Inveſtituram bonorum Eccleſiaſticorum ab eo acceperit, ac Regias litteras, Sacramenti ſui teſtes, impetraverit, quibus manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri jubeat. Cùm autem hæc *Regalia* cederent in damnum Eccleſiarum, novamque illis imponerent ſervitutem, Concilium Lugdunenſe II. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibuit, ne quis deinceps *Regalia* uſurpare conaretur, ut legitur in iſto Canone XII. his verbis concepto: *Generali Conſtitutione ſancimus, univerſos & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam, ſive guardiam advocationis, vel defenſionis titulum in Eccleſiis & Monaſteriis, ſive quibuslibet aliis piis locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium*

tium occupare præſumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum, & perſonas cæteras locorum eorumdem, qui hæc fieri procurant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjicere. Clericos, qui *Regalia* de novo uſurpantibus ſeſe non oppoſuerint, privat idem Canon proventibus earum Eccleſiarum aut Locorum, in quibus *Regalia* de novo uſurpantur: *illos verò Clericos, qui ſe, ut debent, talia facientibus non opponuntde proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum, pro tẽpore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictiùs prohibemus*. Jubet tandem idem Canon, ut hi, *qui ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine, jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudentèr abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſollicitè faciant abſtinere, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus ſive redditus provenientes vacationis tempore, non uſurpent, nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent*. Ex quo Canone colligitur, quòd licèt Concilium Lugdunenſe II. *Regaliam*, quam vocant, non damnaverit, quoad illa loca, in quibus conſtabat, eam non fuiſſe contra jus uſurpatam, ſed antiquo uſu firmatam & receptam eſſe; reprobavit tamen nonnullos abuſus, qui in eam irrepſerant, & diſtrictè prohibuit, ne quis deinceps *Regaliam* de novo uſurpare præſumeret, aut eam extenderet ad Eccleſias, Monaſteria, & in loca, in quibus ante iſtius Decretum Synodi hæc conſuetudo non erat recepta.

D. Mittamus, ſi placet, iſtud *Regaliæ* negotium, & poſt eam, quam jam prælibavimus, notitiam

titiam Conciliorum Generalium, quæ ſæculo Eccleſiæ decimo tertio fuerunt celebrata, veniamus ad Concilia Nationalia, & ab his incipiamus, quæ eodem ſæculo ad exterminandam Albigenſium hæreſim habita eſſe, memini te obſervaſſe in ſuperiori ſæculo, ſeu Eccleſiæ duodecimo, ubi Hiſtoriam Hæreſis Albigenſium deſcripſiſti.

M. Cùm peſtilentiſſima Albigenſium hęreſis, nacta ſæculo Eccleſiæ decimo tertio *Raymundi* Comitis Toloſani patròcinium, impunè graſſaretur, & innumeras Eccleſiæ clades inferret, ad eam profligandam indictum eſt Sacrum Bellum, de quo in præcedenti Colloquio ſat egimus, & complura habita ſunt Concilia, quæ hìc breviter indicabo. In primis, anno MCCVIII. injuſtè & per ſummam immanitatem occiſo ad Rhodanum in Galliis uno ex tribus Legatis à Sede Apoſtolica miſſis, *Petro* videlicèt de *Caſtro novo*, juſſu *Raymundi* Comitis Toloſani, eo ſolo nomine, quòd Sanctiſſimus ille vir conſtanti & impavido animo ei improperaſſet protectionem, quâ Hæreticos Albigenſes, quorum fautor ac defenſor erat, dignabatur, ſicut ſcribit *Petrus de Valle Cernaii* cap.IX. *Hiſtoriæ Albigenſium*, ad hanc dijudicandam *Raymundi* Comitis Toloſani cauſam indictum eſt à *Milone*, Sedis Apoſtolicæ Legato, Concilium *Montilenſe* anno MCCIX. in quo *Milo* ſecutus conſilia Epiſcoporum, *Raymundo* Comiti Toloſano, qui ſimulatâ pœnitentiâ, Oratores ad *Innocentium III.* miſerat, ut ipſius nomine ſummam in omnibus Pontifici promitterent obedientiam, diem dixit, & ut apud Valentiam coram Partibus ſeſe ſiſteret, juſſit. Comparuit ſtatâ die *Raymundus* Comes Toloſanus, cùmque ingentem

tem ſacri belli formidaret apparatum, promiſit ſe in omnibus voluntati *Milonis* Sedis Apoſtolicæ Legati obtemperaturum. Quin, in pignus obſtrictæ fidei ſeptem Provinciæ Caſtra tradidit, conſenſitque, ut niſi promiſſa juramento firmata executioni mandaret, ſeptem Caſtra in commiſſum Eccleſiæ Romanæ caderent; Meglorienſis Comitatus ad eamdem itidèm reverteretur: ipſe verò Excommunicationi, totaque ejus Ditio Eccleſiaſtico Interdicto ſubjaceret. Iſtud Juramentum, quo *Raymundus* Comes Toloſanus omnes imperatas ſibi à *Milone* Summi Pontificis Legato conditiones adimpleturum ſe ſpopondit, extat Manuſcriptum in Archivis Urbis Carcaſſonæ in Galliis, & integrum refertur à Domino *de Catel* cap. VI. libri ſecundi *Hiſtoriæ Comitum Toloſanorum* pag. 245. Facto illo Juramento, *Raymundus* Comes Toloſanus venit cum *Milone* Legato ad Villam S. *Ægidii*, quæ eſt in Diæceſi Nemauſenſi, ubi nudus ante fores Eccleſiæ ſtetit, moxque Legatus Summi Pontificis, ſtolâ in ejus collum injectâ, ipſum verberibus caſtigatum à cenſuris abſolvit, & in Eccleſiam introduxit, ut videre eſt apud *Petrum de Valle Cernaii* cap. XI. & XII. *Hiſtoriæ Albigenſium*, & apud clariſſimum *Catellum* libro ſecundo *Hiſtoriæ Comitum Toloſanorū*. Eccleſiæ reconciliatus *Raymundus*, Comes Toloſanus, promiſſis non ſtetit, & eam ob rem in Concilio quod Avenione à *Milone* Sedis Apoſtolicæ Lagato an. MCCX. convocatum eſt, comminatoria excommunicatio adversùs eum lata eſt, ſi abjurata pedagia uſurparet, Toloſanis etiam civibus omni Sacrorum uſu interdictum, quòd promiſſa Legatis & Cruceſignatis de Hæreticorum è Toloſa expulſione necdùm

dùm adimplere curaſſent, ſicut refert *Petrus de Valle Cernaii* cap.XXXI. *Hiſtoriæ Albigenſium*. Tentavit tamen *Raymundus* ſeſe purgare de crimine hæreſeos, & de nece ſancto viro *Petro de Caſtro novo*, Sedis Apoſtolicæ Legato, illata. At Epiſcopi in Concilio eâ de re in Villa Sancti *Ægidii* eodem anno, ſeu MCCX. congregati decreverunt, purgationem *Raymundi* Comitis Toloſani non eſſe admittendam, quòd juramenta de mandatis Sedis Apoſtolicæ implendis ſolemni ritu præſtita palàm violaſſet, undè in eum, omneſque illius fautores & adjutores promulgata eſt excommunicationis ſententia. Interim, Comes *Simon Monfortius*, Cruceſignati Dux exercitus, multas urbes Caſtraque *Raymundo* Toloſano Comiti armis eripuit, nec non Fuxenſi Comiti, aliiſque ad hæreticorum defenſionem conjuratis. Ut autem tota illa Ditio, quam armis ſubegerat *Simon Monfortius*, bonis moribus ac legibus temperari, & penitùs Hæreſis exterminari poſſet, neceſſarium eſſe judicarunt Epiſcopi celebrare Concilium in Caſtro Appamiarum, in quo ſapientiſſimas leges condiderunt, quę ipſorum, & Comitis *Simonis Monfortii* ſigillo munitæ ſunt, earumque obſervantiam viri nobiles, & omnes milites juraverunt. Ægrè amodùm tulit *Raymundus* Comes Toloſanus, quòd ſuis Ditionibus à *Simone Monfortio* Comite exueretur, & de iniuria ſibi illata conqueſtus eſt cum *Petro* Aragonum Rege, qui ejus ſortem dolens rogavit Epiſcopos, quos *Arnaldus*, Archiepiſcopus Narbonenſis & Sedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio anno MCCXIII. in Caſtro *Vauri* pro negotio Albigenſium adunaverat, ut *Raymundo* Toloſano Comiti ſatiſfactionem offe-

offerenti, & obedientiam Eccleſiæ ſpondenti, aut ſaltem ejus filio, Terras à *Simone Monfortio* Comite ereptas reſtitui imperarent, eamdemque gratiam concederent Comitibus Convenarum, & Fuxenſi, & Gaſtoni Bearnenſi, ſub conditione ſatiſfactionis ab eis ad Eccleſiæ arbitrium exhibendæ. Regis Aragonum preces repulit Synodus, quòd *Raymundus* Toloſanus Comes, nec non Fuxenſis, & Convenarum Comites, & *Gaſto* Bearnenſis eſſent Hæreticis confœderati, ipſorum fautores manifeſti, & ob hoc, aliaque crimina excommunicatione percuſſi. Hoc Epiſcoporum Reſponſo ad iram concitatus *Petrus* Aragonum Rex, ſuppetias tulit *Raymundo* Comiti Toloſano, & aliis Comitibus Hæreticorum inſanis fautoribus, ductoque centum millium armatorum exercitu *Murellum* ſeu *Muretum* obſedit. At Comes *Simon Monfortius* pręlium intrepidus commiſit, & Cœlo pro Cruceſignatorrum exercitu pugnante, inſignem, de qua in ſuperiori Colloquio diximus, victoriam reportavit, in cujus victoriæ præmium *Petrus Beneventanus*, Sedis Apoſtolicæ Legatus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, aliique viri Eccleſiaſtici in Concilio Montiſpeſſulano anno MCCXIV. celebrato *Simonem* Comitem *Monfortium*, Hæreticorum debellatorem, & Fidei Catholicæ invictum propugnatorem, conſentientibus conſiliis & ſuffragiis elegerunt Principem Toloſæ, & omnium terrarum quas juſto bello Cruceſignatorum exercitus *Raymundo* Comiti Toloſano eripuerat. Hanc electionem approbavit *Innocentius III.* & Concilium Generale Lateranenſe IV. ſub eodem Pontifice anno MCCXV. habitum, decrevit ut Ditio *Raymundi* Comitis Tolo-
ſani

ſani, quæ Cruceſignatorum armis parta fuerat, & quam *Innocentius III.* Comiti *Simoni Monfortio* cuſtodiendam commendaverat, in plena ejuſdem Comitis *Simonis Monfortii* poteſtate ac poſſeſſione inpoſterum permaneret. Voluit tamen *Innocentius III.* ut Terræ, quas *Raymundus* Comes in Provincia habuerat, cuſtodirentur, donec de illis proviſio fieret vel in parte, vel in toto, filio dicti Comitis, *Raymundo juniori*, ſi tamen patris non imitaretur exemplum, ſed certæ fidelitatis, & bonæ converſationis indiciis ſe miſericordia dignum proderet. Denique, ad extirpandas Albigenſium hæreſis reliquias, *Romanus*, S. Angeli Diaconus Cardinalis & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Concilium Toloſæ anno MCCXXIX. indixit, in quo pro hæreſi profliganda & pace firmiùs ſtabilienda Canones XLV. editi ſunt, cùm *Raymundus* junior Comes Toloſanus anno præcedente Eccleſiæ fuiſſet reconciliatus, & acceptis pacis conditionibus, quas ipſi Sanctus *Ludovicus* Galliarum Rex obtulit, jurejurando pollicitus eſſet, ſe pro ſuis viribus in hæreticos quoſcumque inquiſiturum, pœniſque ſtatutis animadverſurum, filiam verò ſuam *Alphonſo* Pictonum Comiti, & S. Ludovici Galliarum Regis fratri, cum Toloſani Comitatus dote in matrimonium collocaſſet, ſicut jam obſervavimus in ſuperiori Colloquio.

D. Ut omnia Concilia Nationalia, quæ Sæculo Eccleſiæ decimo tertio ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam variis in locis habita fuerunt, perſpicuo, & ad meam juvandam memoriam perquàm appoſito ordine percenſere poſſis, ea juxta ſeriem Chronologicam diſponere debes, incipiendo ab his

Con-

Conciliis Nationalibus, quæ Eccleſia Gallicana celebravit.

M. Benèmulta Concilia Nationalia ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ Diſciplinam Sæculo decimo tertio habita ſunt in Galliis, quæ hìc juxtà Ordinem Chronologicum diſpoſita brevitèr indicabo. Primum Concilium Nationale ad ſanciendam Diſciplinam Avenione anno MCCIX. *Hugo* Regienſis Epiſcopus, & *Theodiſius*, Sedis Apoſtolicæ Legati, indixerunt, in quo pro Clericorum, & Laicorum correctione morum, qui, ob graſſantem in illis partibus Albigenſium hæreſim, corrupti erant, conditi ſunt Canones XXI. qui extant Part. I. Tomi XI. Concil. pag. 41. *Robertus de Corceone*, S. R. E. Cardinalis & Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legatus, Concilium anno MCCXII. Pariſiis convocavit, in quo plurima ad reſtituendam Eccleſiæ Diſciplinam conſtituta ſunt. Extant illius Concilii Canones in quatuor partes diviſi. Prima pars, quæ ſpectat Clericos ſæculares, complectitur Canones XX. Altera pars, quæ ad viros Regulares attinet, viginti ſeptem habet Canones. Tertia pars, quæ eſt pro Monialibus, continet Canones XXI. Poſtrema pars, quæ pertinet ad Archiepiſcopum & Epiſcopos, exhibet Canones XXI. qui omnes Canones habentur Part. I. Tom. XI. Concil. pag. 55. *Petrus Beneventanus* Sedis Apoſtolicæ Legatus anno MCCXIV. Concilium Monſpelienſe congregavit, in quo, ut mox diximus, *Raymundi* Comitis Toloſani Ditio *Simoni Monfortio* Comiti adjudicata eſt, & ſancita Eccleſiæ Diſciplina XLVI. Canonibus, qui inſerti ſunt Tomo XI. Concil. Part. I. pag. 103. Sub *Ludovico VIII.* Galliarum Rege *Pe-*

trus

trus, Narbonenſis Archiepiſcopus, Provinciæ ſuæ Concilium anno MCCXXVII. convocavit, in quo decem Canones *de excommunicatis, perjuris, Judæis coercendis, condendis teſtamentis &c.* ſanciti ſunt, & extant Part. I. Tomi XI. Concil. pag. 304. Biennio poſt celebrationem iſtius Concilii Narbonenſis, ſeu anno MCCXXIX. *Romanus* Sedis Apoſtolicæ Legatus Concilium Toloſæ menſe Novembri indixit, in quo actum eſt *de inquirendis & extirpandis Hæreticis, de libris Sacræ Scripturæ à Laicis non retinendis, de libertatibus Eccleſiarum*, deque aliis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Capitibus. Extant Canones XLV. in hoc Concilio Toloſano conditi Part. I. Tomi XI. Conciliorum pag. 427. Paulòpoſt, Archiepiſcopus Turonenſis Concilium Provinciæ ſuę anno MCCXXXI. apud *Caſtrum Gonterii* coegit, in quo Canones triginta ſeptem de Diſciplina editi ſunt, *de dirimendis clandeſtinis matrimoniis, de cauſis matrimonialibus, de modo inſtituendi Rectores Ecclaſiarum, de Reſidentia Rectorum, ſeu Curatorum, de Procurationibus, de pœnis infligendis Clericis, qui ſunt libidinoſi & ſcortatores, de Monachis, quibus Regularis obſervantia diſciplinæ, ſilentium, abdicatio peculii, & abſtinentia à carnibus imperantur; de puniendis uſurariis, de Judæis arcendis ab Officiis publicis & à teſtimoniis contra Chriſtianos ferendis*, & de aliis id genus Capitibus, quæ Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant. Hos triginta ſeptem Canones Concilii Gonterienſis Conciliorum Collectores inſeruerunt Tomo XI. Conciliorum Part. I. pag. 439. *Walterus*, Epiſcopus Tornacenſis & Sedis Apoſtolicæ Legatus, anno MCCXXXIII. *Biterris* Concilium habuit, in quo viginti ſex Decreta conſtituta

tuta ſunt *de extirpandis Hæreticis Albigenſibus, & eorum fautoribus ſingulis diebus Dominicis excommunicandis. De ſcientia, moribus, examine, & titulo patrimonii eorum, qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi. De Conſtitutionibus Lateranenſis Concilii Oecumenici circa vitam & honeſtatem Clericorum diligenter obſervandis, de patronis Eccleſiarum, & de Regulari Diſciplina Monachorum*, quibus *in virtute obedientiæ, & ſub obteſtatione divini Judicii* præcipitur Canone XIV. ne quidquam proprium poſſideant, *quia*, ſunt verba Canonis, *abdicatio proprietatis, ſicut cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Extant viginti ſex illi Canones Concilii Biterrenſis Tomo XI. Concil. Part. I. pag. 452. Elapſo anno à celebratione Concilii Biterrenſis, *Joannes* Arelatenſis Archiepiſcopus Concilium Provinciale anno MCCXXXIV. in ſua Metropoli convocavit, in quo confecti ſunt Canones XXIV. *de executione Statutorum Concilii Lateranenſis IV. De Epiſcopis, qui in ſuis Diœceſibus Verbum Dei per ſe, vel per alios frequenter prædicare debent. De juramento, quod Sæculares Poteſtates, Magiſtratus, & Domini præſtare debent de exterminandis Hæreticis, qui, eorumque fautores, diebus Dominicis & feſtivis excommunicati denunciandi ſunt, & bonorum confiſcatione, carcere, aliiſque pœnis ſecundum Canones & Leges Principum plectendi &c.* Referuntur iſti Canones viginti quatuor Concilii Arelatenſis Tomo XI. Concil. Part. II. in Appendice pag. 2340. In Concilio Narbonenſi, quod anno MCCXXXV. habitum eſt, *Petrus Amelius* Narbonenſis, *Joannes* Arelatenſis, *Raymundus* Aquenſis, Archiepiſcopi,

cæterique Præſules, piiſſima conſilia, jubente Romano-Pontifice, dederunt Fratribus Prædicatoribus, qui his in Provinciis Sacræ Inquiſitionis Officium Auctoritate Apoſtolica contra Hæreticos Albigenſes exercebant, ut videlicèt ſaluberrimis illis conſiliis inſtruerentur de muneris iſtius rectè obeundi ratione, ſeu quo pacto contra Hæreticos ſeſe gerere deberent. Capitula XXIX. quæ hunc in finem in eo Concilio Narbonenſi ſtatuta ſunt, habentur Tomo XI. Concil. Part.I. pag.487. In Concilio Turonenſi I. quod *Juhellus* hujus urbis Archiepiſcopus anno MCCXXXVI. celebravit, quatuordecim conditi ſunt Canones, quorum primus Cruceſignatos occaſione alicujus delicti à Judice ſæculari detentos, ab Eccleſiaſtico judice repeti jubet, adhibito etiam, ſi neceſſe ſit, cenſurarum terrore. Canones II. III. & IV. Advocatos recipi vetant, niſi ſolido triennio Juri ſtuduerint: Officiales niſi quinquennio: Notarios, niſi ſtylum Curiæ & Statuta noverint. Canone VIII. Infames declarantur, & flagellis digni, qui binas nuptias vel Sponſalia eodem tempore contrahunt, eademque pœna in ſortilegos decernitur Canone IX. & in falſos teſtes Canone XII. Prætereà, Epiſcopis Canone XIII. præcipitur,ut curam ſingularem gerant de Neophytis, ſeu recens ad Fidem Catholicam converſis ab hæreſi aut Judaiſmo, eos in fide erudiant, & commodè ſuſtentent, ne cogente paupertate ad vomitum redeant. Denique, Canone XIV. Abbatibus & Prioribus commendatur hoſpitalitas, maximè erga Religioſos, qui propter Chriſtum bona, quæ habebant in ſæculo, dimiſerunt. In Concilio Campiniacenſi,quod *Gerardus* Burdegalenſis Archiepiſcopus

copus cum Epiſcopis Provinciæ ſuæ an.MCCXXXVIII. peregit, Eccleſiaſtica Diſciplina triginta & octo Canonibus ſancita eſt. Canon III. excommunicat ſæculares homines, qui Eccleſias, Xenodochia, vel alias quaſcumque Religioſas domos aut perſonas importunis exactionibus gravare præſumpſerint. Canon X. præcipit, ut Cauſarum Matrimonialium cognitio committatur viris dumtaxat peritis & prudentibus, qui & per ſe ipſos teſtes examinent, vel ſaltem per eos, qui Canonicas Sanctiones non ignorant. Canon XII. vetat, ne Monachi, vel Canonici Regulares Advocatos aut Procuratores agant, niſi pro Eccleſiæ ſuæ evidenti utilitate, & obtentâ à Superioribus licentiâ. Canon XIV. Advocatũ pauperibus à Curia dari jubet. Canon XIX. decernit, ut qui Clericos capiunt ac verberant, non ſolùm excommunicatione percellantur, ſed nullus de poſteritate ipſorum ad tertiam uſque generationem ad Eccleſiaſticum Beneficium & ordines admittatur. Monaſticæ Diſciplinæ multis Canonibus in hoc Concilio conditis conſulitur, & inter cætera, quæ ſtatuuntur Decreta, prohibetur Canone XX. Abbatibus, *ne aliquos recipiant pacto vel pecunia mediante*, ſed ſi Monaſterii non ſufficiunt facultates, minuatur Monachorum numerus, & Canone XXV. inhibetur Monachis, *ne peculium habeant, & ſi in morte habuerint, nec Superiori ſuo humilitèr ac devotè reddiderint, careant ſepultura*. Capitula hæc triginta octo pro Diſciplina tàm Eccleſiaſtica, quàm Monaſtica in iſto Concilio Campiniacenſi ſtatuta extant Tomo XI. Concil. Part. I. pag. 557. In Concilio Turonenſi ſecundo, quòd *Juhellus* ſupra laudatus ejuſdem urbis

bis Archiepiſcopus anno MCCXXXIX. indixit, duodecim Canonibus ſancita eſt Eccleſiæ Diſciplina. Primus Canon tres teſtes in qualibet Parochia conſtitui jubet, qui de ſcandalis interrogati ab Archiepiſcopo, vel Archidiacono, dicant veritatem. Canone III. præcipitur Sacerdotibus, ut in publicum procedant cum habitu, qui Ordinem ſuum deceat. Canones IX. & X. cavent, ne præcipiti motu, ſed maturè præmiſſis monitionibus legitimis, feratur excommunicatio. Canone XI. Vita communis in Monaſteriis accuratè ſervanda præſcribitur. Habentur duodecim Concilii Turonenſis II. Canones Tomo XI. Concil Part. I. pag. 556. Idem *Juhellus* Archiepiſcopus Turonenſis anno MCCXLII. Synodum Provincialem apud *Vallem Guidonis* in Diæceſi Cœnomanica celebravit, in qua ſeptem præfiguntur Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Monaſticæ capita. In primo ſtatuitur, ut Viri Religioſi ſuam Regulam, & Regularis obſervantiam Diſciplinæ diligenter cuſtodiant. In aliis verò ſequentibus Capitibus agitur de juriſdictione Archidiaconorum, Archipresbyterorum, & Diaconorum. *Guillelmus* Narbonenſis Archiepiſcopus anno MCCXLVI. cum Provinciæ ſuæ Epiſcopis Concilium *Biterris* celebravit, in quo quadraginta ſex Capita Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia condita ſunt, ſeu potiùs collecta ex ſuperioribus Conciliis, præſertim ex Lateranenſi IV. Oecumenico. Conſilia etiam ſaluberrima, quæ triginta ſeptem Capitulis continentur, Epiſcopi in hoc Concilio congregati dederunt Fratribus Ordinis Prædicatorum, quâ ratione videlicet in Sancti Officii executione, & in modo procedendi contra Hæreticos ſeſe ge-

rere

rere deberent. Extant iſtius Concilii Biterrenſis Capita pro Eccleſiæ Diſciplina quadraginta ſex, unà cum illis triginta ſeptem Capitibus, quæ complectuntur conſilia Fratribus Prædicatoribus Fidei Inquiſitoribus data ab ejuſdem Concilii Epiſcopis, Tomo XI. Concil. Part. I. pag. 677.

Anno MCCXLVIII. *Petrus* Albanenſis Epiſcopus, & *Hugo* S. Sabinæ Presbyter S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legati cum Epiſcopis quatuor Provinciarum, Narbonenſis, Viennenſis, Arelatenſis, & Aquenſis, Concilium celebrarunt Valentiæ ad Rhodanum in Delphinatu pro fide, pace & libertate Eccleſiæ, quibus viginti tribus Capitulis proſpexerunt, & Capitulis XXII. & XXIII. in *Fridericum II.* Imperatorem pacis Eccleſiæ perturbatorem, & in omnes ejus fautores ſententiam excommunicationis promulgarunt. Triennio poſt, ſeu anno MCCLI. *Joannes* Archiepiſcopus Arelatenſis Concilium Provinciale *Inſulæ*, quæ Vindaſcini Comitatus in Provincia Villa eſt, congregavit, in quo circa Diſciplinam Eccleſiaſticam, videlicet *de inquirendis Hæreticis, de Decimis, de Clandeſtinis Matrimoniis &c.* tredecim conditi ſunt Canones, qui extant tomo XI. Concil. par. 2. in Appendice pagina 2349. Concilium Salmurienſe anno MCCLIII. convocavit *Petrus de Lamballe* Turonenſis Archiepiſcopus, in quo de rebus ad Diſciplinam Eccleſiaſticam attinentibus, videlicet *de celebratione Divinorum Officiorum, de cuſtodia Sacramentorum, de Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis ruralibus, de his, qui ad Ordines promovendi ſunt, de Procurationibus, de Commendis Eccleſiarum, de Monachis &c.* Capitula XXII. ſancita ſunt, quæ habentur tom. XI.

 Con-

Concil. par. 1. pag. 707. Anno ſequenti, ſeu MCCLIV. *Zoen* Archiepiſcopus Avenionenſis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Concilium apud *Albiam* indixit multis Narbonenſis, Bituricenſis, & Burdegalenſis Provinciarum concurrentibus Epiſcopis & Prælatis. In eo pro ſancienda Eccleſiæ Diſciplina unum & ſeptuaginta ſtatuta ſunt Capitula, quorum viginti octo priora *de Hæreticis inquirendis & exterminandis* multa decernunt. Capitulum XXIX. imperat executionem Canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, de Confeſſione ſemel in anno facienda, & obligat Fideles ad Euchariſtiæ ſuſceptionem in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, ita ut Confeſſio Communionem præcedat. Alia Capitula de rebus bonum Eccleſiæ regimen ſpectantibus, maximè de Clericorum & Regularium veſtibus, vita & honeſtate ſtatuunt; eiſque aurum & argentum in veſtibus, fibulis, frænis, calcaribus & ſellis, alearum & taxillorum ludos, venationem cum avibus & canibus, puerorum è ſacro fonte ſuſceptionem prohibent. *Gerardus de Malemort* Burdegalenſis Archiepiſcopus anno MCCLV. Concilium in ſua Metropoli celebravit, in quo triginta Diſciplinæ Eccleſiaſticæ publicata ſunt Capita, *de reſidentia Clericorum Beneficia habentium*; *de Quæſtoribus, quibus ſine licentia Summi Pontificis, vel Epiſcopi in Eccleſiis prædicare non permittitur*; *de Presbyteris aliarum Diœceſeon, qui in Eccleſiis ad Sacrum Miniſterium abſque Epiſcopi licentia admitti non debent*; *de Reliquiis, quas publicè coli prohibetur, niſi fuerint auctoritate Romani Pontificis approbatæ*; *de decimis, quarum detentores excommunicantur*; *de Sacramentis & Beneficiis, quæ abſque ulla pretii exactione adminiſtrari, conferri & reci-*

recipi debent; *de Confraternitatibus*, *quarum abuſus reſcinduntur*. Extant iſtius Concilii Burdegalenſis triginta de Diſciplina Eccleſiaſtica Capita tom. XI. Concil. part. I. pag. 730. Idem *Gerardus de Malemort* Archiepiſcopus Burdegalenſis aliud Concilium anno MCCLVIII. *Roſſiaci* in Diœceſi Pictavienſi habuit, in quo Decem Capitulis ſancita eſt Eccleſiæ Diſciplina, quæ extant tom. XI. Concil. part. I. pag. 774. *Jacobus* Narbonenſis Archiepiſcopus eodem anno MCCLVIII. Concilium apud Montempeſſulanum coëgit, in quo octo promulgata ſunt in rem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Decreta, quorum primum rerum Eccleſiaſticarum invaſores, jurium Eccleſiaſticorum uſurpatores, libertatum, immunitatum, & perſonarum Eccleſiaſticarum violatores excommunicatione ferit. Extant hæc octo circà Diſciplinam Eccleſiæ Decreta tomo XI. Concil. par. I. pag. 778. *Florentinus* Arelatenſis Archipræſul Concilium cum ſuis Suffraganeis habuit anno MCCLX. in quo ſeptemdecim editi ſunt Canones, in quorum primo damnantur Phantaſtici, *Joachimi* Abbatis Sectatores, ſeu qui ejus nomine perniciosa ſua dogmata tuebantur. In aliis Canonibus multa ſtatuuntur circa Diſciplinam Eccleſiaſticam, videlicet *de baptizandis parvulis in neceſſitate*; *de Confirmationis Sacramento, nonniſi jejunis*, *& à jejunis adminiſtrando*; *de Clandeſtinis Matrimoniis, quæ ſub pœna excommunicationis prohibentur*; *de Vicariis perpetuis*, *quæ in Parochialibus Eccleſiis reſidere debent &c.* Habentur ſeptemdecim illi Canones Concilii Arelatenſis tomo XI. Concil. part. 2. pag. 2359. *Petrus* Burdegalenſis Archiepiſcopus eodem anno MCCLX. Provinciæ ſuæ Concilium apud *Copriniacum*, ſeu *Campi-*

piniacum celebravit, in quo undeviginti pro Diſciplina Eccleſiaſtica præſcripta ſunt Capitula *de Vigiliis in Eccleſiis vel Cæmeteriis, propter multos inde emergentes abuſus, non faciendis; de Commendis & collationibus vacantium Eccleſiarum, quæ ad unum Archiepiſcopum, vel Epiſcopum pertinere debent; de jure patronatus, de decimis, de ſepulturis, de modeſtia Clericorum in veſtibus ſervanda; de congrua portione Vicariis Eccleſiarum & Capellanis ſeu Curatis aſſignanda &c.* Extant undeviginti illa Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitula tom. XI. Concil. par. I. pag. 799. Idem *Petrus* Burdegalenſis Archiepiſcopus alterum Concilium Copriniacenſe anno MCCLXII. coëgit, in quo ſeptem Capitulis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ fuit proviſum. In primo, loca, in quibus res, vel perſonæ Eccleſiaſticæ detinentur, ſubjiciuntur Interdicto. In aliis Capitulis agitur de iis, qui impediunt juriſdictionem Eccleſiaſticam; de compellendis excommunicatis, ut Eccleſiæ pareant, & ſatisfaciant, atque ſub pœna excommunicationis prohibetur Parochianis, ne tempore Interdicti generalis ad Eccleſias, durante Interdicto, accedant. Habentur ſeptem illa Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitula tomo XI. Conciliorum parte I. pagina 821. *Vincentius* Turonenſis Archiepiſcopus anno MCCLXIV. Nannetenſe convocavit Concilium, in quo novem Decreta edita ſunt, in quibus prohibetur, *ne Prælati, vel Patroni ſe obligent ad collationem vel præſentationem Beneficii vacantis; ne Clerici ſint venatores; ne Beneficia plura poſſideant. Beneficiariis imperatur reſidentia; & quemcumque laicum, qui bona Clericorum occupaverit ac detinebit, Cenſuris per Ordinarios ad reſtituendum compellendum eſſe ſtatui-*

tuitur &c. Extant hæc novem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitula tom. XI. Concil. part. I. pag. 826. *Vincentius de Pilenis* Archiepiſcopus Turonenſis Concilium Gonterienſe ſeu apud *Caſtrum Gonterii* habuit anno MCCLXVIII. in quo octo præfixa ſunt Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Capita *contra bonorum Eccleſiaſticorum invaſores, qui excommunicantur, contra impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam, qui eidem pœnæ ſubjiciuntur; contra excommunicatos, qui per annum vel ampliùs, excommunicationem ſuſtinent, nec abſolutionem petunt, quibus Eccleſiaſticam Sepulturam denegari debere ſtatuitur &c.* Referuntur hæc octo Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita tomo XI. Concil. part. I. pag. 909. Duo Concilia Nationalia anno ſequenti MCCLXIX. videlicèt Andegavenſe, & Senonenſe fuerunt celebrata. Primum, ſeu Andegavenſe, duo Statuta edidit *de non prohibendis donationibus, eleemoſynis, & legatis Eccleſiis aliiſve piis locis faciendis: & de Clericis Beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus conſtitutis, quibus inhibetur, ne coram Sæcularibus Judicibus cauſas dicant:* Alterum Concilium, ſeu Senonenſe, ſex conſtituit Decreta *contra Clericos concubinarios, contra uſurarios, quos ſepultura Chriſtiana privari jubet, ſi in peccato deceſſerint; contra eos, qui Clericos trahunt ad Sæcularia Judicia, contra Privilegiorum abuſus.* Renovat etiam iſtud Concilium Senonenſe Canonem *Omnis utriuſque ſexus*, eumque præcipit obſervari. Hæc Decreta Conciliorum Andegavenſis & Senonenſis inſerta ſunt tomo XI. Concil. part. I. pag. 911. & 912. Sequuntur alia duo Concilia Nationalia, ſeu Compedienſe, & Avenionenſe, quæ anno MCCLXX. habita fuerunt. Concilii Compendienſis, quod *Joannes de*

de Courtenay Remenſis Archiepiſcopus convocavit, extant Conſtitutiones aliquot *de iis, qui occupant & detinent bona Eccleſiaſtica, excommunicandis* tomo XI. Concil. part. I. pag. 917. Concilii verò Avenionenſis Capitula octo de Eccleſiæ Diſciplina, videlicet *de alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum revocandis; de legata pecunia ad arbitrium Executorum in cauſas pias dividenda; de Clerico, qui Epiſcopum, Præpoſitum, &c. graviter læſerit &c.* Habentur tomo XI. Concil. part. I. pag. 920. *Joannes de Monte-ſorello* Archiepiſcopus Turonenſis Concilium Redonenſe in Britannia Minori anno MCCLXXIII. habuit, in quo ſeptem Statuta edita ſunt *contra eos, qui manus violentas Epiſcopo, Abbati, vel Abbatiſſæ intulerint, aut Virum Eccleſiaſticum occiderint, vel mutilaverint, quos anathemate ferit Concilium; contra bonorum Eccleſiaſticorum invaſores, qui etiam ipſo facto excommunicati denunciantur.* Præterea, Clericis præcipitur hoſpitalitas, *quia quidquid habent Clerici, pauperum eſt, & domus eorum debent eſſe communes*, inquiunt Patres iſtius Concilii Redonenſis, cujus Statuta ſeptem de Diſciplina Eccleſiaſtica habentur tomo XI. Concil. part. I. pag. 933. *Bertrandus de Sancto Martino* Arelatenſis Archiepiſcopus Concilium Provinciale circa annum MCCLXXV. in ſua Metropoli convocavit, in quo duo ſupra viginti condita ſunt Decreta, quorum quatuor priora deſiderantur; reliqua verò, quæ agunt *de Cenſuris obſervandis; de Calicibus non vendendis aut pignorandis; de Caſibus Epiſcopo, vel Papæ reſervatis; de uſurariis & adulteris publicis, qui diebus Dominicis & Feſtivis excommunicari debent, de Confeſſione annua proprio Sacerdoti facienda, de Confeſſione infirmorum &c.* Extans

tant tomo XI. Concil. part. 2. in Appendice pagina 2368. Duo anno ſequenti, ſeu MCCLXXVI. habita ſunt Concilia *Salmurienſe* & *Bituricenſe*. In Concilio Salmurienſi quatuordecim Canonibus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſultum eſt. Beneficiorum curam animarum annexam habentium pluralitas Clericis Canone III. prohibita eſt. De vita & honeſtate Clericorum ac Monachorum agitur in aliis Canonibus, qui referuntur tom. XI. Concil. par. I. pag. 1011. In Concilio Bituricenſi, quod *Simon* Tituli *Sanctæ Cæciliæ* Cardinalis celebravit, Decreta ſexdecim pro reſtauratione Diſciplinæ, & defenſione Juriſdictionis, immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ condita ſunt, quæ extant tom. XI. Concil. par. I. pag. 1017. *Joannes* Turonenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis Concilium habuit *Langeſii* (quod eſt Oppidum in Turonibus) anno MCCLXXVI. in quo ſexdecim Canones editi ſunt, quibus ſtatutum eſt, *ne Matrimonia clandeſtina contrahantur; ne Presbyteri filios ſuos in Sacris Ordinibus genitos ſecum retineant, vel ipſis aut concubinis aliquid legent; ne Monachi vel Moniales plures in Monaſteriis recipiantur; quàm ex ipſorum facultatibus ſuſtentari poſſint &c.* Sexdecim iſtius Concilii Langenſienſis Canones extant tomo XI. Concil. par. I. pag. 1038. *Guillelmus de Flavacuria* Rotomagenſis Archiepiſcopus anno MCCLXXIX. Concilium Provinciale apud *Pontem Audemari* celebravit, in quo Decretorum Concilii Bituricenſis contra juriſdictionis, immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ perturbatores imperatur executio, & nonnulla alia Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quàm Monaſticam ſpectantia ſtatuuntur in XXIV. Capitulis, quæ extant

tom.

tom. XI. Concil. part. I. pag. 1044. Eodem anno MCCLXXIX. *Bernardus* Arelatenſis Archiepiſcopus, Avenione Provinciale Concilium habuit, in quo præcedentium Conciliorum Canones contra libertatis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ perturbatores fuerunt renovati ac confirmati; prohibetur etiam Clericis, ne mercaturam exerceant, cauſas dicant, aut Magiſtratus gerant; Religioſis verò, vel Sæcularibus exemptis inhibetur, ne excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, ſeu uſurarios manifeſtos, ad Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittant &c. Hujus Concilii Avenionenſis Capitula XV. de Eccleſiaſtica Diſciplina habentur tom. XI. Concil. part. I. pag. 1050. Alterum Concilium Avenionenſe anno MCCLXXXII. indictum eſt à *Bertrando Almarico* Arelatenſi Archiepiſcopo, in quo XI. Canones editi ſunt *contra omnes uſurarios, qui ipſo facto excommunicati denunciantur; agitur quoque de non permittendis ſine conſilio & aſſenſu Epiſcopi alienationibus bonorum, & jurium Eccleſiarum; de inſtituendis Procuratoribus ad defenſionem Clericorum Beneficiatorum, qui ab improbis litigatoribus coram diverſis Judicibus fatigabantur laboribus & expenſis; de Eccleſiarum Parochialium frequentatione Dominicis & ſolemnibus diebus; de Eccleſiaſtica juriſdictione &c.* Extant XI. Canones illius Concilii Avenionenſis tomo XI. Concil. part. I. pag. 1174. *Joannes* Turonenſis Archiepiſcopus ann. MCCLXXIX. Andegavis celebravit Concilium, in quo V. Canones jura & libertates Eccleſiaſticorum unicè ſpectantes editi ſunt, & habentur tomo XI. Concil. part. I. pag. 1074. idem *Joannes* Turonenſis Archiepiſcopus anno MCCLXXXII. Concilium in ſua Metro-

poli

poli habuit, in quo decem condidit Canones *contra Vexatores; contra eos, qui ad rixas, vel ad lites incitant, in quos decernitur excommunicatio; contra fures librorum & ornamentorum Eccleſiaſticorum; contra Uſurarios, & Eccleſiaſticæ juriſdictionis ac libertatis oppreſſores, qui excommunicati denunciantur; contra eos, qui Viros Eccleſiaſticos, aut Eccleſiarum Miniſtros impediunt, ne decimas ad ipſos aut ad Eccleſias pertinentes colligant, aut percipiant*. Præcipitur etiam in eodem Concilio Turonenſi, *ut Proceſſiones ſecundùm piam conſuetudinem fiant Dominicis, ac feſtivis diebus, & diſtrictè prohibetur Clericis ac Religioſis, ne tabernas frequentent &c.* Proſtant Canones X. hujus Concilii Turonenſis tomo XI. Concil. par. I. pag. 1183. *Simon de Belloloco* Bituricenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis Concilium in ſua Metropoli anno MCCLXXXVI. habuit, in quo triginta quinque de Diſciplina Eccleſiaſtica promulgata ſunt Capitula *contra Matrimonia clandeſtina, contra Clericos, qui concubinas ſeu meretriculas in domibus habent, aut filios illegitimos alunt; contra impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam, contra Uſurarios publicos, contra tranſgreſſores Canonis, Omnis utriuſque ſexus, de Confeſſione ſingulis annis proprio Sacerdoti facienda*. Plura etiam de Monaſtica Diſciplina ſtatuta ſunt in hoc Concilio Bituricenſi, cujus Capitula XXXV. extant tomo XI. Concil. par. 2. pagina 1247. *Roſtagnus* Arelatenſis Archiepiſcopus eodem anno MCCLXXXVI. Concilium Inſulanum cum ſuis Suffraganeis habuit, in quo duodeviginti editæ ſunt Conſtitutiones *contra illos, qui propter damnum aliquod illatum excommunicati ſunt, qui abſolvi non debent donec ſatisfecerint; contra bonorum Eccleſiaſti-*

corum invaſores, vel libertatis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ oppreſſores; contra Sæculares Dominos & Magiſtratus, eorumque Miniſtros, qui Clericum ceperint, nec juſſi reſtituerint Epiſcopo, vel ejus Officiali cum omnibus ipſius bonis; quos excommunicatos denuntiari ſtatuitur; eadem excommunicationis pœna infligitur illis, qui toxica in mortem vel abortum dictant, vendunt, tradunt, aut miniſtrant, vel qui dantes aut miniſtrantes infrà menſem Epiſcopo tanquam Judici non revelaverint. Jubet etiam idem Concilium Inſulanum, ut Presbyteri Parochiales Baptiſmi ritum ac formam Parochianos ſuos doceant, quò parvulos urgente periculo baptizare poſſint, & ut Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, & Feſtum S. *Trophimi* ſolemni ritu per totam provinciam celebrentur &c. Extant illius Concilii Inſulani duodeviginti Conſtitutiones tomo XI. Concil. part.2. pag.1335. Denique, alia duo Concilia Provincialia Rotomagenſe nimirùm & Auſcitanum, in Galliis decimo tertio Sæculo habita fuerunt. Primum, ſcilicet Rotomagenſe, ab Archiepiſcopo Rotomagenſi an.MCCXCIX. fuit convocatum, & in eo ſeptem Decreta edita ſunt *de vita & honeſtate Clericorum; de religioſa Dominicæ diei & Feſtorum obſervantia*, prohibetur etiam Clericis, ne in factis perſonalibus ac delictis Sæculari juſtitiæ ſeſe ſubjiciant. Referuntur hæc ſeptem Concilii Rotomagenſis Decreta tomo XI. Concil. par.2. pag,1427. Concilium Auſcitanum anno MCCC. congregatum eſt incerto loco, quem etiam *Gabriel Coſſartius* in Collectione Conciliorum ſe ignorare ingenuè profitetur. In eo tredecim conſtituta ſunt Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita *de libertate electionum; de illis qui occupant bona va-*

can-

cantium Eccleſiarum ; de intruſis in Beneficia Eccleſiaſtica; de his, qui gaudent Jurepatronatus , quibus prohibetur, ne ab his,quos præſentant ad beneficia,aliquid prævio pacto extorqueant ; de temporibus ordinandi ; de Beneficiis Eccleſiaſticis, quibus annexa eſt cura animarum, quæ minori viginti quinque annis nemini conferri debere præcipitur, &, ſi ſecus factum fuerit, ipſo jure irritum eſſe &c. Extant hæc tredecim Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita tomo XI. Concil. par. 2. pag. 1468. Habes nunc brevem & compendiariam deſcriptionem omnium Conciliorum Nationalium, ſeu Provincialium , quæ Sæculo Eccleſiæ decimo tertio in Galliis fuerunt celebrata .

D. Conciliorum Nationalium ſeu Provincialium , quæ in Eccleſia Gallicana Sæculo decimo tertio habita fuerunt,ſylvam potiùs,quàm brevem, ut ais , deſcriptionem tradidiſti . Quapropter obſecro te, ut ſummatim dumtaxat attingamus cætera alia Concilia Provincialia , quæ eodem Sæculo decimo tertio in Hiſpania , Anglia , Germania , & Italia fuerunt convocata ?

M. Concilia Nationalia , ſeu Provincialia , quæ Sæculo Eccleſiæ decimo tertio in Hiſpania fuerunt celebrata, tanti non ſunt , ut in iis percenſendis ſigillatim immoremur . Plura quidem referuntur Concilia Tarraconenſia in Hiſpania eo Sæculo habita, quorum memoria vix ſupereſt, quò fit , ut de his Conciliis Tarraconenſibus , in quibus nihil alicujus momenti occurrit, perfunctoriè agant *Baluzius* lib.4. *Marcæ Hiſpanicæ* , & Cardinalis *Aguirrius* tom.3. *Conciliorum Hiſpaniæ* pag.495. 496. 498. 502.504.505. & 523. Prætermiſſis itaque iſtis Conciliis Provincialibus Hiſpaniæ , veniamus ad Con-

cilia

cilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ Sæculo XIII. in Anglia indicta fuerunt. In primis, *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus & Angliæ Primas Londini apud Weſtmonaſterium pro reformatione Eccleſiæ Anglicanæ celebravit Concilium anno ducenteſimo ſupra milleſimum, in quo XIV. conditi ſunt Canones de celebratione Miſſæ, & Divini Officii recitatione abſq; nimia feſtinatione aut protractione; de pœnitentiis à Sacerdotibus imponendis juxta Sacrorum Canonum ſtatuta, videlicèt poſt diligentèr attentas circumſtantias, ideſt, qualitatem perſonæ, quantitatem delicti, tempus, locum, cauſam, moram in peccato factam, & devotionem animi pœnitentis; de ſententia excommunicationis & ſuſpenſionis non ferendâ, niſi canonicâ monitione præmiſsâ; de Beneficiis non conferendis vel promittendis antequam vacent; de Decimis; de Matrimonii trina denunciatione & publica celebratione; de peculio Monachis interdicto &c. Extant hujus Concilii Londinenſis quatuordecim de Diſciplina Eccleſiaſtica Canones apud *Hovedenum* ad annum MCC. apud *Spelmannum* tomo 2. *Conciliorum Britanniæ*, & tomo XI. Concil. part. I. pag. 13. *Stephanus Langtonus* S.R.E. Cardinalis & Archiepiſcopus Cantuarienſis Concilium apud *Oxonium* anno MCCXXII. celebravit, cujus ad hunc annum meminere *Matthæus Pariſius*, & *Matthæus Weſtmonaſterienſis*. In hoc Oxonienſi Concilio multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus Eccleſiaſtici & Monaſticæ Religionis; Feſta, Vigiliæ, jejunia ſtabilita; Excommunicati Jurium Eccleſiaſticorum pervaſores, Regni perturbatores, Jurium Regalium uſurpatores, falſi teſtes, & qui eos ſubornant, Calumnia-

lumniatores &c. *Spondanus* ad annum MCCXXII. refert poſt *Matthæum Weſtmonaſterienſem*, paucis diebus ante iſtud Concilium Oxonienſe comprehenſum fuiſſe quemdam impoſtorem, qui ſuo lateri, pedibus ac manibus quinque vulnera crucifixionis Dominicæ ad ſeducendum populum impreſſerat: atque in eodem Concilio Oxonienſi ſimul cum eo alium nebulonem Hermaphroditum, ejus erroris fautorem, oblatum; utrumque ſceleris convictum, & publicè confeſſum, judicio Eccleſiæ punitum eſſe. Edidit iſtud Concilium Oxonienſe ad ſanciendam Diſciplinam Eccleſiaſticam quadraginta novem Capitula, quæ extant apud *Spelmannum* tom.2.*Concil. Britanniæ*, & inſerta ſunt tomo XI.Conciliorum part.1. pag.271. Alterum Concilium Londinenſe *Otto* Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ per Angliam Legatus, anno MCCXXXVI. congregavit, in quo ſancita eſt Diſciplina Eccleſiaſtica uno & triginta Decretis *de Eccleſiarum dedicatione; de digna Sacramentorum miniſtratione; de Rectorum reſidentia, de Beneficiorum pluralitate Sacris Canonibus prohibita; de Clericorum continentia; de Monaſtica Diſciplina; de Epiſcoporum officiis &c.* Extant hujus Synodi Londinenſis Acta & Decreta apud *Matthæum Pariſium* in Hiſtoria Anglicana ad annum MCCXXXVI. apud *Spelmannum* tomo 2. *Concil. Britanniæ*, & exinde inſerta ſunt tomo XI. Conciliorum part. 1. pag. 530. *Bonifacius* Cantuarienſis Archiepiſcopus anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo Concilium Provinciale habuit *Lambethæ* in Anglia, in quo de juriſdictione, libertate & immunitate Eccleſiaſtica actum eſt, & in earum violatores ac perturbatores lata fuit excommunicationis ſententia. Plures ea

de re in hoc Lambethenſi Concilio editæ Conſtitutiones extant tomo 2. *Concil. Britanniæ*, & tom.x1. Conciliorum par.1. pag. 803. *Ottobonus*, S. *Hadriani* Diaconus Cardinalis, an. MCCLXVIII. à *Clemente IV.* Pontifice Maximo miſſus Legatus Apoſtolicus ad reformandas Regnorum Angliæ, Scotiæ, atque Hiberniæ Eccleſias, inſtaurandamque in eis Sacrorum Rituum, morumque ſanctiorum inſtitutionem, Concilium Nationale Epiſcoporum totius Britanniæ, Hiberniæque Inſularum, Londini, quæ primaria eſt Angliæ civitas, convocavit; in quo Sanctiſſimæ Conſtitutiones conditæ ſunt *de Sacramentorum adminiſtratione gratis facienda*; *de Conſecratione Eccleſiarum infrà annum ab earum conſtructione gratis itidem ab Epiſcopo exhibenda*; *de Clericorum habitu, tonſura & continentia*; *de Matrimoniis*; *de fructu Eccleſiarum vacantium*; *de regreſſu ad Beneficia*; *de pluralitate Beneficiorum*; *de reſidentia Epiſcoporum*; *de Monaſtica Diſciplina*, & de aliis id genus tam Virorum Eccleſiaſticorum, quàm Monachorum reformationem morum ſpectantibus, quæ Capitulis quinquaginta quatuor continentur, & ab Anglis, Scotis, Hibernis ac Walliæ populis religiosè fuere obſervata uſque ad illorum à Romana Eccleſia ſub Henrico Rege VIII. defectionem. Denique *Joannes de Peckam* Archiepiſcopus Cantuarienſis, Angliæ Primas, Concilium Provinciale *Lambethæ* anno MCCLXXXI. cum ſuis Suffraganeis celebravit, in quo *Ottonis*, & *Ottoboni* Cardinalium, & Sedis Apoſtolicæ quondàm in Anglia Legatorum, Conſtitutiones fuerunt confirmatæ, & viginti ſeptem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſtituta ſunt Capitula, videlicet *de Sacramento Euchariſtiæ*; *de Annalibus & Anni-*

Digitized by Google

niverſariis celebrandis; de Baptiſmo & ejus effectu; de Sacramento Confirmationis; de Sacris Ordinationibus; de Confeſſione & Abſolutione; de informatione ſimplicium, ſive de catechizandis rudibus; de hoſpitalitate exhibenda, præcipuè Concionatoribus; de falſis procurationibus; de clandeſtinis inquiſitionibus rejiciendis; de Canonicis Regularibus Ordinis S. Auguſtini; de Profeſſione tacita Monachorum, & Monialium, quæ incurritur poſt annum probationis expletum; de filiis Presbyterorum, quos à parentum Beneficiis omninò arceri debere jubetur, ne contra juſtitiam in hæreditate Crucifixi locus pateat ſucceſſioni; de Clericis plura Beneficia, quæ curam habent annexam animarum, poſſidentibus, quibus præcipitur, ut ea liberè & abſolutè infra ſex menſes in Epiſcoporum ſuorum manibus reſignent, unico dumtaxat ſervato &c. Hæc viginti ſeptem pro reſtauratione Diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Concilio Lambethenſi condita Capitula extant apud *Spelmannum* tom.2. *Concil. Britanniæ*, & inſerta ſunt tom.XI. Conciliorum part.1.pag.1156. Plura non addam de Conciliis Provincialibus, quæ Sæculo XIII. in Anglia fuerunt celebrata, ex quibus facili negotio intelligere potes, quanta fuerit his temporibus Anglicanorum Præſulum in vindicanda juriſdictione Eccleſiaſtica conſtantia, in reſtauranda Diſciplinâ vigilantia, in conſervando avitæ fidei depoſito ſollicitudo. Quæ tamen omnia à Sapientiſſimis illis Præſulibus olim ad defenſionem Eccleſiæ Catholicæ conſtituta, nunc, proh dolor! in Anglia penitùs everſa ac profligata jacent, & Catholicis, qui in Regno Angliæ, variis hæreſibus miſerum in modum funeſtato, ingemiſcunt, hoc unum tantùm ſupereſt ſolatium, fore ut *Jacobus* hujus no-

minis tertius, verus ac legitimus illorum Rex, tot Catholicorum Regum nepos, hæresque non degener, quem incredibili gaudio paucis abhinc menſibus excepit, & aliquandiù Roma poſſidere meruit, fidem Catholicam priſtinum in gradum in Regno Angliæ reſtituat, damna per *Henricum VIII.* Eccleſiæ Romanæ importata magno cum fœnore reſarciat, ac tandem illud, quod omnes Fideles ardentibus votis hactenus optaverunt, aliquandò ſummo Numinis beneficio perficiat, ut videlicet fides in Anglia lætis auſpiciis lucem aſpiciat, & luctuoſa illa, quæ Religioni tanto ſanguine ſteterunt, jurgia & bella felicitèr extincta, gratuletur Eccleſia.

D. His omnibus Conciliis Provincialibus, quæ hactenùs percenſuiſti, ſi ea adjunxeris quæ in Germania & Italia habita ſunt, integram omnium Conciliorum Provincialium, quæ in toto Orbe Chriſtiano ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam Sæculo decimo tertio fuerunt coacta, ſeriem habebo.

M. *Conradus* Cardinalis Portuenſis & *S. Rufinæ* Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ in Germania Legatus, Concilium Provinciale anno MCCXXX. in Germania, loco tamen incerto, celebravit, in quo quatuordecim Eccleſiaſticæ Diſciplinæ condita ſunt Capitula *de Continentia Clericorum, de pœnis infligendis Clericis concubinariis; de Simoniacis; de Vicariis perpetuis, qui Parochialibus Eccleſiis cum portione congrua præfici debent; de his, qui Sanctimonialium pudicitiæ inſidiantur &c.* Hæc quatuordecim Concilii Germanici Capitula *Binii* & *Coſſartii* Notis illuſtrata extant tomo XI. Concilior. par. 1. pag. 295. Concilium Colonienſe anno milleſimo ducenteſimo

mo ſexageſimo *Conradus* Archiepiſcopus Colonienſis convocavit, in quo de reformatione Cleri, videlicèt contra Clericos concubinarios, negotiatores, illiteratos, & Simoniacos, condita ſunt Capitula XIV. quæ habentur tomo XI. Conciliorum par. I. pag. 785. Præter hæc quatuordecim de reformatione Cleri Capitula, alia viginti octo de reformatione Monachorum Benedictinorum in eodem Concilio Colonienſi ſtatuta ſunt, eaque recenſentur tom. XI. Conciliorum pag. 792. *Guido*, S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ in Saltzburgenſi Provincia & Diœceſi Pragenſi Legatus, Concilium Viennæ in Auſtria indixit anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, in quo undeviginti Capitula ſancita ſunt *de vita & honeſtate Clericorum; de puniendis Clericis concubinariis; de excommunicandis his, qui bona Eccleſiarum occupant ac detinent, aut Clericis vim inferunt; de pluribus Beneficiis, quibus annexa eſt cura animarum, quæ à Clericis, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, retineri prohibentur, de perſolvendis Decimis; de ferenda excommunicatione in Uſurarios tam Clericos, quàm Laicos; de Curatis, qui ad reſidentiam, ſubtractione fructuum, ab Epiſcopis compelli debent; de Abbatibus, quibus inhibetur, ne Calices vel patenas ſeu ſacras veſtes benedicere vel conſecrare, aut munia Epiſcopalia obire præſumant, niſi à Sede Apoſtolica ſpeciale obtinuerint privilegium*; denique *de Judæis coërcendis*, & de aliis rebus ad reformandam Eccleſiæ Diſciplinam neceſſariis multa decernuntur in his undeviginti Concilii Viennenſis Capitulis, quæ extant tomo XI. Conciliorum part. I. pag. 858. *Fridericus* Saltzburgenſis Archiepiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ

X 3 Le-

Legatus, Concilium Provinciale in ſua Metropoli pro recipiendis Decretis Cócilii Oecumenici Lugdunenſis II. anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto congregavit, in quo viginti quatuor edita ſunt Decreta *de Provincialibus Ordinis S. Benedicti Capitulis, quæ ſingulis annis ab Abbatibus cogi debere præcipitur, quia eorum neglecta celebratione obſervantia Regularis fuerat collapſa; de obedientia & delictis Monachorum, quæ illic puniri jubentur, ubi commiſſa ſunt; de Beneficiorum pluralitate Sacris Canonibus vetita; de reſidentia in Beneficiis, quibus cura animarum annexa eſt; de Vicariorum in Eccleſiis cum portione congrua inſtitutione; de pœna, cui ſubjacere debent Clerici non Viatores, qui in Sacris Ordinibus conſtituti tabernam ingrediuntur, aut ad aleas vel taxillos ludunt; de vagis Scholaribus, quibus aliquid erogari prohibetur; de ludis, quos vulgus vocabat* Epiſcopatum puerorum, *in Eccleſiis, & à perſonis Eccleſiaſticis fieri prohibitis, de celebrandis diebus feſtis Sanctorum Saltzburgenſis Eccleſiæ Patronorum* Ruperti, Virgilii & Auguſtini; *de Eccleſiarum Advocatis, qui admonentur, ut ab indebitis vexationibus Eccleſiarum, & bonis ipſarum abſtineant, debitiſque juribus ſint contenti*. Hæc & alia hujuſmodi Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quàm Monaſticam ſpectantia decernuntur in his viginti quatuor Concilii Saltzburgenſis in Bavaria Capitulis, quæ habentur Tomo XI. Conciliorum Part. I. pag. 998. *Siffridus* Colonienſis Archiepiſcopus, anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo Provinciale Concilium in ſua Metropoli habuit, in quo de vita, honeſtate & Officio Clericorum; de Sacramentorum adminiſtratione; de Clericis concubinariis; de Monacho-

chorum & Monialium diſciplina, & de aliis rebus Eccleſiaſticis condita ſunt duodeviginti Capitula, quę extant Tom.xi. Conciliorum Part.i. pag.1107. Paulòpoſt celebrationem iſtius Concilii Colonienſis, *Fridericus* ſupra laudatus, Archiepiſcopus Saltzburgenſis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, aliud Concilium in ſua Metropoli anno MCCLXXXI. congregavit, in quo Canones octodecim condidit *contra Eccleſiarum alienationes, Beneficiorum curam animarum annexam habentium pluralitatem, immodicos Viſitatorum ſumptus; contra Patronos & Judices, qui bona morientium Clericorum invadunt; Contra Clericos, qui de manibus Laicorum Eccleſias recipiunt, contra falſarios, contra eos qui violentas manus Clericis inferunt; de Monaſtica Diſciplina &c.* Extant illius Concilii Saltzburgenſis octodecim de Diſciplina Eccleſiaſtica Canones Tomo xi. Conciliorum Part. i. pag. 1151. *Joannes* Tuſculanus Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ in Germania Legatus, Nationale Concilium *Herbipoli* in Franconia anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo celebravit, in quo multa decernuntur de vita & honeſtate Clericorum, quibus veſtes immodeſtæ, tabernarum aditus, ludi taxillorum, frequentationes, ludi, & colloquia cum Monialibus, haſtiludia, & torneamenta, gravium interminatione pœnarum prohibentur, & Clerici, qui Concubinas retinent, Beneficiis ipſo facto privati denunciantur. De his & aliis rebus pro bono Eccleſiæ regimine quadraginta duo Capitula in iſto Concilio Herbipolenſi ſtatuta ſunt, quæ extant Tomo xi. Conciliorum Part. ii. pag. 1319. denique, prætermittere non debeo Concilium Budenſe, quod *Philippus* Firma-

nus Epiſcopus, in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia, Cumania, Sedis Apoſtolicæ Legatus; in Caſtro Budenſi, Veſprimienſis Diœceſis, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono celebravit, in quo LXIX. Canones conditi ſunt de Diſciplina Eccleſiaſtica, præſertim de habitu, vita, & honeſtate Prælatorum, omniumque Clericorum; de Epiſcopis ex Religioſis Ordinibus aſſumptis, vel deinceps aſſumendis, quibus præcipitur, ut ſui Ordinis habitum deferant, alioqui Eccleſiæ ingreſſu & Pontificalium executione prohibeantur; de Divino Officio cùm diurno, tum nocturno, quod diſtinctè & devotè à Sacerdotibus recitari jubetur; de Eccleſiaſtica juriſdictione; de publicis Concubinariis, qui ab Eccleſiæ ingreſſu arceri debent, nec non etiam illi, qui domos ſuas vel poſſeſſiones publicis meretricibus, adulteris, inceſtuoſis, aut aliis infamibus perſonis locant, vendunt, vel donant. De his, & aliis non minoris momenti Eccleſiæ negotiis extant hujus Concilii Budenſis Canones ſexaginta novem Tomo XI. Conciliorum Part. I. pag. 1073.

Quòd ſpectat Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ Sæculo decimo tertio ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam in Italia fuerunt celebrata, cùm pauca ſint, his levi digito defungemur. *Bonifacius* Archiepiſcopus Ravennas anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto Concilium in ſua Metropoli celebravit, in quo novem ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam condita ſunt Decreta *de joculatoribus & hiſtrionibus non recipiendis; de Indulgentiis, quas Epiſcopis, Abbatibus, Archidiaconis,*

conis, Præpoſitis, & aliis, qui alunt aut veſtiunt Pauperes, concedit prædicta Synodus Ravennatenſis; *De Decimis, & de excommunicatione in illos ferenda, qui eas perſolvere contemnunt; de Caſibus, qui Archiepiſcopo in Ravennate Provincia reſervantur; de abrogandis & penitùs abolendis Statutis, quæ libertati & conſuetudini Eccleſiæ ſunt contraria,* & de aliis rebus Eccleſiaſticis, quæ legi poſſunt in novem hujus Concilii Ravennatenſis Decretis inſertis Tomo XI. Conciliorum Part. II. pag. 1238. *Otto* Archiepiſcopus Mediolanenſis duo in ſua Metropoli celebravit Concilia, quorum primum habitum eſt anno MCCLXXXVII. & in eo decem pro Diſciplina Eccleſiaſtica ſtatuta ſunt Capitula, quæ ſummatim recenſet noſter *Bzovius* ad annum MCCLXXXVII. & habentur Tomo XI. Conciliorum Part. II. pag. 1331. Alterum Concilium Mediolanenſe convocavit idem *Otto*, Archiepiſcopus Mediolanenſis, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, in quo poſt multa ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam conſtituta, ſuppetiæ ad Terram Sanctam recuperandam decretæ ſunt, ut videre eſt apud mox laudatum *Bzovium* ad annum MCCXCI. Num. XI. Sed de Conciliis tàm Generalibus, quàm Nationalibus, quæ Sæculo XIII. variis in locis habita fuerunt, ſatis hactenùs dictum ſit. Nec enim in hoc ampliſſimo tractando argumento diutiùs verſari poſſumus, cùm nobis in hocce Colloquio adhuc differendum incumbat de Conciliis cùm Oecumenicis, tum Nationalibus ſeu Provincialibus, quæ Sæculo decimo quarto celebravit Eccleſia.

D. Fue-

D. Fueruntne decimo quarto Eccleſiæ ſæculo celebrata plura Concilia Generalia?

M. Unicum dumtaxàt Sæculo decimo quarto celebratum eſt Concilium Generale, *Viennenſe* videlicet in Galliis, quod inter Concilia Oecumenica decimum quintum cenſetur, fuitque indictum anno MCCCVII. à *Clemente V.* Pontifice Maximo ob quatuor potiſſimùm cauſas: primò, ob cauſam *Templariorum*, quorum Ordo, antehàc Sanctiſſimus, publicâ tum temporis graviſſimorum criminum infamiâ laborabat. Secundò, ob cauſam Fidei variis erroribus laceſſitæ; *Fratricelli* nimirum, *Dulciniſtæ*, *Beguardi & Beguinæ*, quibus omnibus, ut in ſuperiori Colloquio oſtendimus, præiverat Frater *Petrus Joannes Olivi* ex Ordine Minorum, varios errores ſparſerunt, ad quos compeſcendos præſentiſſimo remedio opus erat. Tertiò, ob ſubſidium Terræ Sanctæ. Quartò denique, ob reſtaurationem collapſæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ; quæ, ut faciliùs in integrum reſtitui poſſet, Archiepiſcopis & Epiſcopis ſingulis juſſit Summus Pontifex *Clemens V.* ut per ſe vel per alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia, quæ correctionis & reformationis limam expoſcerent, ſubtilitèr inquirerent, fidelitèr conſcriberent, & ad Concilii notitiam perferrent. Huic Summi Pontificis præcepto præ cæteris aliis morem geſſit, illudque executus eſt *Guillelmus Durandus* Mimatenſis Epiſcopus, doctrinâ & pietate conſpicuus, qui egregium edidit Tractatum inſcriptum: *De modo Generalis Concilii celebrandi.* Hæ quatuor cauſæ convocandi Concilium Generale Viennenſe, referuntur in Conſtitutionibus, quæ *Cle-*

Clementinæ vulgò dicuntur, & in convocationis Diplomate, quod incipit: *Regnans in Cœlis &c.*

D. Concilium Generale Viennenſe fuitne celebratum eodem anno, quo à *Clemente V.* Pontifice Maximo indictum eſt, ſeu anno milleſimo trecenteſimo ſeptimo?

M. Concilii Oecumenici Viennenſis, quod anno MCCCVII. à *Clemente V.* indictum eſt, ad quadriennium procraſtinata fuit celebratio. Quò factum eſt, ut illud ſolùm fuerit apertum Kalendis Octobris anni milleſimi trecenteſimi undecimi. Locus, in quo habitum eſt iſtud Concilium, fuit Vienna Allobrogum, Archiepiſcopalis Sedes ad Rhodanum in Galliis ſita. Præfuit Summus Pontifex *Clemens V.* Adfuere, præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus Latini ritus, centum & quatuordecim Epiſcopi ſicut teſtatur *Guillelmi Nangii* Continuator (trecentos tamen Antiſtites huic Concilio Viennenſi interfuiſſe ſcribunt *Joannes Villanius* & *S. Antoninus*) Inferiorum Prælatorum ingens erat numerus, & Principum Oratores. Poſt ſeptem circitèr menſes abſolutum eſt iſtud Concilium, non verò poſt biennium, ut per errorem obrepſit *Trithemio* Abbati.

D. Templariorum Ordinis originem, Auctorem, finem, & Officium, ad quod in Eccleſia excercendum fuit ille Ordo inſtitutus, memini, te jam expoſuiſſe in Colloquio ſexto in Hiſtoriam ſæculi undecimi. At, cùm iſte Templariorum Ordo, ut ibidem obſervaſti, fuerit proſcriptus, ſuppreſſus, ac penitus extinctus in Concilio Generali Viennenſi, debes nunc explicare cauſam, ob quam iſtud Concilium aboleverit hunc Ordinem, qui, ut teſtantur

tur Hiſtorici Scriptores, quos nuperrimè legi, erat in ſe laudabilis, bonus, Eccleſiæ utilis, & cui ex officio incumbebat Chriſtianæ ditionis fines in Oriente tueri, latrocinia, & incurſiones Infidelium Chriſtianos Terram Sanctam pietatis ergò perluſtrantes infeſtantium armis inhibere.

M. Templariorum, ſeu Equitum militiæ Templi Ordinem multos annos famâ percelebrem floruiſſe, & Eccleſiæ egregiam navaſſe operam, nemo diffiteri poteſt. Aſt, quod maximè dolendum eſt, Templarii illi Equites progreſſu temporis immenſis opibus aucti, moribuſque in deteriora mutatis, eò tandèm nequitiæ prolapſi ſunt, ut ſui officii penitùs immemores, occulta cum Saracenis & Turcis fœdera & conſpirationes contra Chriſtianos inirent, ſeque omni genere impietatis, & nefandæ libidinis flagitiis contaminarent. Inter horrenda crimina, quorum Templarii fuerunt inſimulati, hæc præcipua habentur: Primò, quòd compellerent eos, qui huic Ordini nomen dabant, ut *Jeſum Chriſtum* abnegarent, & ter conſpuerent Imaginem Crucifixi. Secundò, quòd eos cogerent, ut libarent in partibus pudendis oſcula. Tertiò, quòd Magiſter Ordinis, & Præceptores libertatem illis permitterent averſam & nefariam libidinem impunè exercendi. Quartò, quòd cranium quoddam deauratum, prolixâque barbâ adornatum ethnico ritu adorarent. Propter hæc execranda ſcelera jure merito extinctus fuit in Concilio Generali Viennenſi Templariorum Ordo, quippè qui ab Eccleſia cùm fuiſſet inſtitutus, & approbatus ut bonum Chriſti odorem longè latèque diffunderet, ut exemplum fidelium eſſet, ut Chriſtianæ ſanctitatis formam

mam ac imaginem converſatione ſua exhiberet, & ſanctum ſibi propoſitum officium magno cum fervore exercens inſerviret Eccleſiæ; ab eo tandem ſanctiſſimo fine prorsus degeneraverat, & generali infamiâ, ob morum corruptelam & abominanda flagitiâ, aſperſus, non ſolùm Eccleſiæ inutilis, ſed perniciosus evaſerat.

D. Cùm aliquos Scriptores, præſertim S. *Antoninum*, & *Joannem Villani* de cauſa Templariorum differentes nudiustertiùs legerim, ſine, quæſo, ut nonnullas circà hanc Templariorum accuſationem tibi proponam difficultates, quæ mihi, ut candidè fatear, haud leves eſſe videntur. Non nego quidem, Templarios horum ſcelerum, quæ mox retuliſti, reos fuiſſe accuſatos, ſed S. *Antoninus* III. Part. Chronici. Titul. XXI. Cap. I. & *Joannes Villani* Libro VIII. *Hiſtoriæ* Italicè ſcriptæ Cap. XIII. teſtantur, primos horumce criminum in Templarios accuſatores ac delatores fuiſſe duos ex eodem Ordine falſos Fratres, ergà Ordinis moderatores malè affectos, ac perditiſſimos viros, quorum unus erat Prior MontisFalconis in agro Toloſano, qui Pariſiis à Templi Magiſtro ob hæreſim & peſſimos vitæ mores perpetuo carceri fuerat addictus; Alter appellabatur *Noffus*, exul Florentinus, qui itidèm ob crimina in carcerem à Prætore Pariſienſi fuerat conjectus. Hi duo proſcripti ac ſceleſti viri, ut ſuæ libertati conſulerent & ſaluti, prædicta ſive vera, ſive confiста, Templariorum facinora detulerunt ac propalarunt. Nemo autem non videt, hanc delationem nullum ad puniendos Templarios, & ad abolendum hunc Ordinem, qui anteà de Eccleſia tam benè meritus erat, locum habere

bere debuiſſe, utpotè factam ab iniquis viris, & ergà hujus Ordinis moderatores peſſimè affectis, quos proindè ab accuſatione & teſtimonio ferendo jura repellebant.

M. Non ab illis duobus dumtaxàt ganeonibus detecta ſunt Templariorum flagitia, ſed teſtium duorum millium depoſitione probata, nec damnati fuerunt Templarii niſi poſt factas tum in Gallia à *Clemente V.* Pontifice Maximo, & à *Philippo Pulchro* Galliarum Rege, tum etiam in Aragonia, in Anglia, & in Italia per Judices Eccleſiaſticos, diligentes inquiſitiones, quibus acceſſit innumerorum reorum, & prçipuorum hujus Ordinis Profeſſorum aperta & libera confeſſio, ut conſtat ex bene multis Inſtrumentis ſive Actis Inquiſitionum, quæ laudat Cl. *Petrus Puteanus* in Hiſtoria damnationis Templariorum, quæ hic referre & expendere nimis longum eſſet. Sufficiet obitèr obſervare, *Guillelmum de Pariſiis*, Fidei per Gallias Quæſitorem Generalem, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad examen vocaſſe centum quadraginta Templarios ex Domo Templi Pariſienſis, eoſque, multis coram teſtibus integerrimis & probatiſſimæ fidei, ſuper illis facinoribus Ordini objectis interrogatos, confeſſos una voce reos habuiſſe. Auditi ſunt etiam inter cæteros Magnus Templi Magiſter *Jacobus Mola* Burgundus, *Guido*, Delphini Viennenſis frater, & *Hugo de Peraldo*, qui eadem crimina confeſſi ſunt. Quin, & ipſe *Clementis V.* Pontificis Maximi Cubicularius, qui Ordinis Templariorum Eques erat, horumce criminum ſeſe teſtem oculatum exhibuit, ut obſervat *Mariana* Libro xv. *Hiſtoriæ Hiſpanicæ* Cap. xv. his verbis: *in*

his

his ipſius Pontificis Cubicularius, qui undecimo ætatis anno ad eum Ordinem adiunctus, viſa factaque retulerat. His omnibus addi debent publica fama, quæ Templariorum facinora ad Pontificis *Clementis V.* & *Philippi Pulchri* Galliarum Regis aures detulit, necnon decretorium judicium contra Templarios poſt maturum & diuturnum examen in Concilio Generali Viennenſi latum. Quis enim credat, (ait *Cabaſſutius* in ſua Notitia Eccleſiaſtica pag. 490.) contigiſſe, ut tanta & ex tot diſſitis Provinciis convocata Præſulum, Principum, Legatorum, atque inſignium Doctorum multitudo, quorum haud exigua pars etiam ſanguine vel affinitate plerîſque illius Ordinis militibus conjuncta erat, in tam immane flagitium conſpiraverit, atque adeò in tanti momenti cauſa, in qua de potentiſſimi & ſæculari nobilitate illuſtriſſimi Ordinis Orbe univerſo propagati non modò abolitione, ſed etiam atrociſſima damnatione, ſupplicioque agebatur? Undè meritò concludit idem Scriptor, gravi cenſurâ dignam eſſe *Trithemii*, aliorumque nonnullorum temeritatem, qui Templarios aſſerere auſi ſunt falſis criminibus laceſſitos, circumventos, atque oppreſſos fuiſſe.

D. Necdùm in animum meum inducere poſſum, univerſum Templariorum Ordinem participem ac conſcium eſſe omnium ſcelerum, quorum fuit accuſatus. Nam primò, adeò horrenda & nefanda ſunt ſcelera, quæ huic Ordini obiiciuntur, ut penè incredibile ſit, Viros nobilitate illuſtres, profeſſione Religioſos, & obſequio Eccleſiæ mancipatos, depoſito omni honoris, pudoris ac Religionis ſenſu, ſeſe illis flagitiis per totum, quà latè

patet,

patet, Orbem Chriſtianum contaminare potuiſſe, nemine inter illos reclamante, nemine tam nefanda & immania crimina execrante aut revelante. Præterea, quamvis juridicè auditi & examinati fuerint nonnulli Equites Templariorum Ordinis, nunquam tamen Ordo totus fuit in jus vocatus & auditus; Immò Confeſſiones horrendorum criminum ab illis Templariis interrogatis & auditis factas, vel metu, vel tormentis, vel promiſſis fuiſſe extortas, ex eo maximè probari poſſe videtur, quòd ſummus totius Ordinis Magiſter *Jacobus Mola*, plurimique alii Templarii, qui Pariſiis flammis addicti ſunt, editam ante criminum confeſſionem revocarunt, ac ſe ipſos, Ordinemque, criminum objectorum puros & inſontes palàm conteſtati ſunt, mortemque intrepidi pro hujus veritatis defenſione aſpexerunt & ſubierunt.

M. Cùm deteſtanda illa crimina innumeris depoſitionibus teſtium, inquiſitionibus ac interrogationibus ubique locorum à legitimis Judicibus Eccleſiaſticis factis, atque ipſorum reorum confeſſionibus probata, comperta ac explorata fuerint; flocci fieri debent omnes conjecturæ, quæ ad probandam Templariorum innocentiam adduci poſſunt. Facta quippè ex Actis, & Authenticis Inſtrumentis, non conjecturis & rationibus probantur. Fuerint licèt Templarii Natalium ſplendore inclyti, profeſſione Religioſi, & Eccleſiæ obſequiis dediti; poſtquàm tamen à pio Inſtituti ſui fine turpitèr deſciverunt, ſuæque libidini fræna impunè laxarunt, in his ſenſim ſine ſenſu obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii, ita ut de illis rectè dici poſſit,

quod

quod de *Origene* ajebat *Hieronymus* : *Ubi benè, nemo meliùs ; ubi malè nemo pejus* ; ac verè in eos quadrent hæc communia Philoſophorum Effata : *Corruptio optimi peſſima* : & *ex generoſiori vino fit aſperius acetum*. Quòd verò in tanta corruptione morum nullus in Templariorum Ordine reclamaverit, nullus de his immanibus flagitiis apud Eccleſiam conqueſtus fuerit, id certè mirum tibi videri haud debet, cùm ejuſdem ſilentii ſuppetat exemplũ, quod noſtris temporibus contigit, in ſpuriis Myſticis, *Michaëlis de Molinos* Diſcipulis, qui licèt in ſua Secta nefandas veterum Gnoſticorum impudicitias omnes ad unum æmularentur, nullus tamen inter illos per non leve temporis ſpatium de his fœditatibus & abominationibus apud Eccleſiam conqueſtus eſt, ſed potiùs ſinguli datâ operâ altiſſimo ſibi impoſito ſilentio ſollicitè ſtuduerunt, ut non prodirent in publicum, ſive quia ſuis commodis, & illicitis voluptatibus affatim indulgere volebant, ſive quià verebantur, ne ſuæ Sectæ monſtra libidinum prodentes, ſuæ famæ jacturam facerent, & in ſe concitarent odium aliorum, quos eadem operâ diffamaſſent. Eamdem ſilentii Templariorum in tanta Ordinis ſui morum corruptione cauſam fuiſſe facilè crediderim. Verum quidem eſt, plurimos Templarios, & in primis *Jacobum Mola*, ſummum Ordinis Magiſtrum, paulò antequam vivi Pariſiis comburerentur, revocaſſe, quam priùs ediderant, ſcelerum confeſſionem, eumdemque Ordinis Magiſtrum, cùm ad ſupplicium raperetur, hæc verba palam feciſſe, quæ ex probatę fidei Authoribus refert *Mariana* libro xv. *de Rebus Hiſpaniæ* capite decimo : *Ego extremo vitæ tempore, cùm inutili men-*

 dacio

dacio locus eſſe non debet, vera eſſe nego, ac per omnia numina juro, quæ de Templariorum impietate criminibuſque & ante jactata, & nunc recitata ſunt. Ordo enim ille ſanctus, juſtus, ac orthodoxus eſt. Ego tamen extremo ſupplicio dignus, qui Pontifice, Regeque hortantibus, flagitia impia ſceleraque mentitus ſum in Ordinem meum de Religione Chriſtiana optimè meritum: Quod utinam, ò utinam factum non eſſet! ſed quod unum ſupereſt, meis delictis, ſi veniæ locus eſt, ignoſci poſtulo, ultròque graviores etiam pœnas depoſco &c. Id ita contigiſſe, ſicut narrat *Mariana*, non inficias eo, contendo tamen, ex ea præcedentis ſcelerum confeſſionis revocatione, quâ *Jacobus Mola* Summus Ordinis Magiſter, plurimique Templarii, antequam ignis ſupplicium perferrent, publicè declararunt, ſe ipſos, & Ordinem criminum objectorum puros & inſontes eſſe, inferri non debere confeſſiones criminum à Templariis factas, metu pœnarum elicitas ac extortas fuiſſe. Nam primò, etſi Magiſter Ordinis, & alii nonnulli Templarii priùs editam ſcelerum confeſſionem revocaverint, nihiloſeciùs multò plures Templarii in priori confeſſione ſemper ſibi conſtantes perſeverarunt. Secundò, ipſa rei geſtæ ſeries, ipſa Inquiſitionum Acta ex Regio Chartulario deprompta, nec non *Clementis V.* Pontificis Maximi Diplomata apertè demonſtrant, maximam Templariorum partem ſpontè ac liberè horrenda flagitia confeſſam fuiſſe, eorumque infamem notam univerſo Ordini inuſſiſſe. Tertiò, extant & vetera & recentia exempla hæreticorum, & ſceleratorum virorum, qui extrema ſupplicia ſubire maluerunt, quàm ſuos errores vel ſcelera fateri, quales fuerunt Priſcillianiſtæ,

quo-

quorum vulgare ac tritum erat effatum: *jura, perjura, ſecretum prodere noli*, ut nihil in præſentia dicam de *Circumcellionibus*, de *Joanne Hus*, *Hieronymo Pragenſi*, & aliis Hæreticis, qui ab Eccleſia convicti, & ſolemni judicio damnati, nunquàm ſuos errores ejurare voluerunt, & mortem irretortis oculis aſpexerunt, atque impavidis animis oppetierunt, quorum tamen in perferendo ignis ſupplicio conſtantia ſeu pervicacia illos inſontes fuiſſe minimè probat, ſicut in confeſſo eſt apud omnes Catholicos. Nihil ergo ex hac præcedentis ſcelerum confeſſionis revocatione factâ à Magiſtro Ordinis, & aliis Templariis; nihil etiam ex ipſorum in perferendo ignis ſupplicio conſtantia, ſeu potius pervicacia, extundi poteſt ad vindicandum hunc Templariorum Ordinem à ſcelerum infamia, quâ fuit aſperſus, ac demùm in Concilio Generali Viennenſi omninò extinctus. Obiter tamen advertere debes, hunc Templariorum Ordinem non fuiſſe in Concilio Generali Viennenſi à *Clemente V.* damnatum & abolitum ex rigore juris, ſeu per modũ ſententię definitivæ, quam ſummus Pontifex ferre non potuit, quia totus Ordo Templariorum in jus vocatus & auditus non fuerat. Hi ſiquidem, qui hujus Ordinis defenſionem ſuſceperant Pariſiis coram Apoſtolicis Commiſſariis, procuratione legitimâ non erant inſtructi, & ſe Procuratores inſtituere non poſſe abſque præſentia & conſenſu Magiſtri Ordinis reſponderunt, ut conſtat ex Actis publica Notariorùm manu exceptis, & relatis à *Petro Puteano* in ſua Hiſtoria Templariorum. Verùm, quamvis *Clemens V.* hunc Templariorum Ordinem non ex rigore juris, ſeu per

modum ſententiæ definitivæ, non damnaverit, illum tamen tot turpitudinum maculis infamem proſcripſit, abolevit, & ſuppreſſit de plenitudine poteſtatis, & per viam proviſionis ſeu Ordinationis Apoſtolicæ, ut videre eſt in damnationis ſententia à *Clemente V.* ſacro Viennenſi approbante Concilio latâ, quæ incipit his verbis: *Ad providam*, ubi hæc leguntur: *Ordinis*, (ſeù Templariorum) *ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio: non per modum diffinitivæ ſententiæ; cùm eam ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & Proceſſus, ſuper his habitos, ferre non poſſemus de jure: ſed per viam Proviſionis, ſeu Ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes &c.* ex quibus verbis liquet, Templariorum Ordinem juſtâ de cauſa damnatum & abrogatum eſſe, licèt in jus vocatus & auditus non fuerit.

D. Circà Abolitionem Ordinis Templariorum factam in Concilio Generali Viennenſi hæret adhuc animo ſcrupulus, quem mihi eximas velim. Legi in Scriptoribus ſuperiùs à me laudatis, videlicet in *Joanne Villani*, & Sancto *Antonino*, abolitionem Templariorum profectam eſſe ex avaritia *Philippi Pulchri* Galliarum Regis ad eorum bona inhiantis. Sic enim ſcribit S. *Antoninus* III. Part. Chronicorum Titul. XXI. Cap. I. Parag. III. *Creditur tamen magis inductus* (*Philippus Pulcher*) *ad extorquendam pecuniam ab illis*, ſeu Templariis, *& bona eorum, & ex odio concepto contra Magiſtrum Manſionis, quàm ex zelo juſtitiæ*. Quibus verbis apertè innuit S. *Antoninus*, Templarios fuiſſe inſontes, eo-

rum-

rumque Ordinem extinctum fuiſſe inſtigante ac promovente *Philippo Pulchro*, qui eorum bona, quæ maxima in Galliis erant, ſibi vendicare, eaque quovis modo obtinere volebat.

M. Promovit quidem *Philippus Pulcher* Rex Chriſtianiſſimus Templariorum damnationem, & Ordinis abolitionem *non ut accuſator, non ut denunciator, vel partialis promotor, ſed ut Dei Miniſter, Pugil Fidei Catholicæ, legis divinæ zelator, ad defenſionem Eccleſiæ*, ut conſtat ex Regis Proteſtatione, ipſius litteris ad Summum Pontificem *Clementem V.* inſertâ, quas ex Scriniis Regiis laudat *Petrus Puteanus* in Hiſtoria Templariorum. Puras etiam manus, animumque ab avaritiæ labe immunem, eo in negotio habuiſſe *Philippum Pulchrum*, diſertè teſtatur *Clemens V.* in Diplomate, quod incipit, *Regnans in Cœlis*, in quo Regem his verbis compellat: *Deindè verò Tu, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas .... ſed fidei orthodoxæ fervore, tuorum Progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus, de præmiſſis, quantùm licitè potuiſti, te informans, ad inſtruendum & informandum nos ſuper iis, multas & magnas nobis informationes per tuos Nuncios & Litteras deſtinaſti.* Sed *Philippi Pulchri* in promovenda Templariorum Ordinis abolitione animum ab avaritiæ ſordibus alienum manifeſtò oſtendit bona fides & diligentia, quâ Rex ille Chriſtianiſſimus votis ac mandatis Pontificis poſt extinctum illum Ordinem è veſtigio obſecutus, Inveſtituram hujuſmodi bonorum Equitibus S. Joannis Hieroſolymitani conceſſit, eoſque toto, quà latè patet, Regno in poſſeſſionem

 miſit

mitit omnium bonorum immobilium ad Templarios pertinentium, & ex mobilibus exiguam dumtaxat ac modicam ſummam, *Clemente V.* Pontifice Maximo ultrò conſentiente, ſibi vendicavit, in juſtam expenſarum in hujus cauſæ proſecutione à ſe factarum compenſationem, ſicut conſtat ex Inſtrumento, quod ſæpè laudatus *Petrus Puteanus* ex Regeſto veteri Senatus conſultorum Pariſienſis Curiæ tranſcripſit, illudque inſeruit in *Hiſtoria Templariorum*. Scio, aliquot eſſe Scriptores Italos, videlicet *Joannem Villani*, S. *Antoninum*, quos laudaſti, & inſuper *Trithemium* Abbatem in Chronico Hirſaugienſi, *Paulum Æmilium* in lib. *De Rebus Geſtis Francorum* in *Philippo Pulchro*, atque *Papirium Maſſonum* lib. III. Annalium, qui in *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem in cauſa Templariorum non ſatis æqui fuerunt, eumque avaritiæ in promovenda Templariorum Ordinis abolitione inſimularunt. Sed illi Scriptores decepti ſunt falſis rumoribus, qui per Italiam increbuerant, majoriſque auctoritatis eſſe debent rerum in cauſa Templariorum geſtarum Monumenta autographa, quæ in Regiis Scriniis integra etiamnùm aſſervantur, necnon Pontificia Diplomata *Clementis V.* & ſententia lata in Ordinem Templariorum in Concilio Generali Viennenſi, quàm privatorum quorundam Scriptorum narratio. Non deſunt etiam Scriptores coævi, quos inter cenſentur Continuator *Guillelmi Nangii* ad annum MCCCVIII. & *Bernardus Guidonis* Lodovenſis Epiſcopus ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptus, in *Chronico Romanorum Pontificum*, qui diſertè teſtantur, abolitionem Ordinis Templariorum profectam eſſe non ex avaritia *Philippi*

lippi Pulchri Galliarum Regis, ſed ex fœtore, & clamore criminum immanium, quibus tàm Ordo Templariorum, quàm Ordinis Profeſſores erant contaminati, quibus excitatus eſt Chriſtianiſſimus ille Rex, ut omnes Templarios toto Regno capi, & in carcerem abjectâ omni cunctatione conjici juberet, atque à *Clemente V.* Pontifice Maximo poſtularet extinctionem illius Ordinis, ad quem delendum ſatis erat fama ſeu infamia publica tam fœdorum & immanium criminum, quam nulla purgatione abſtergere poterant Ordinis capita, & membra; *Infamia* ſiquidem *publica*, *habet locum accuſatoris*, ut docet *S. Thomas* ſecundæ ſecundæ Quæſt. LXVII. Art. III. in Reſponſione ad ſecundum ſibi objectum argumentum. His itaque falſis rumoribus adversùs *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem, quibus decepti fuere nonnulli Scriptores Itali, nulla fides haberi debet, ſicut nec ullam prorsùs fidem merentur quidam alii Scriptores, qui narrant, *Clementem V.* Pontificem Maximum, & *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem à *Jacobo Mola*, magno Ordinis Templariorum Magiſtro, paulò antequàm vivus Pariſiis combureretur, ad Divinum Tribunal vocatos, dictâ die obiiſſe. Hæc quippe narratio fabulis accenſenda eſt, cùm nihil ſimile ab antiquis Scriptoribus memoriæ proditum ſit, non à *Guillelmi Naugii* continuatore, non à *Joanne Villani*, S. *Antonino*, *Trithemio*, *Paulo Æmilio*, & aliis; etſi quidam illorum, ut mox obſervavimus, calumnias in *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem falſis rumoribus vulgatas in ſua Chronica abſque examine retulerint. Sed ſatis hactenùs dictum ſit de Templario-

rum damnatione,eorumque Ordinis abolitione decretâ in Concilio Oecumenico Viennenſi.

D. Recenſe nunc, juxta Ordinem ſuum, omnia, quæ geſta ac definita fuerunt in Concilio Generali Viennenſi?

M. Concilium Oecumenicum Viennenſe tribus Seſſionibus fuit abſolutum. In priore, quæ habita eſt die XVI. menſis Octobris in Eccleſia Metropolitana *Sancto Mauritio* ſacrâ, *Clemens V.* Pontifex Maximus, celebrationis Concilii cauſas expoſuit; poſteà de Templariorum causâ, de ſubſidio Terræ Sanctæ, de Clericorum reformatione varii Tractatus, ac multæ deliberationes habitæ ſunt. In altera Seſſione, quæ tertiâ die Aprilis anni treceteſimi duodecimi ineuntis habita eſt, præſente *Philippo Pulchro* Galliarum Rege, qui circà Quadrageſimam, cum filiis & fratribus, multorumque Prælatorum ac Procerum comitatu advenerat, diſcuſſis diuturno examine, qui in Templariorum cauſa conſcripti fuerant, proceſſibus, *Sacro approbante Concilio*, promulgata eſt ſententia, quâ planè extinctus eſt Templariorum Ordo, eorumque bona Equitibus Sancti Joannis Hieroſolymitani adjudicata fuere. Tertia & poſtrema Seſſio habita eſt pridie Nonas Maji, & in ea promulgata fuit Clementina prima *De Summa Trinitate*, & *de Fide Catholica*, ubi damnantur tres *Petri Joannis Olivi* errores, primus, quo aſſerebat, Chriſti adhuc viventis latus lanceâ perfoſſum fuiſſe; alter, quò negabat, Animam rationalem eſſe formam corporis; Tertius, quo habitus Fidei & virtutum in Baptiſmo infundi inficiabatur. Contra primum errorem profitetur Sancta Synodus, *Chriſtum, ſpiritu emiſ-*

emiſſo, perforari lancea ſuſtinuiſſe latus, ut indè formaretur Eccleſia coniux Chriſti. Contra ſecundum errorem definivit, *ut ſi quiſquam deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd Anima Rationalis ſeu intellectiva non eſt forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquàm hæreticus ſit cenſendus*. Contra tertium errorem ſanxit, hanc opinionem, *quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo gratiam informantem & virtutes; tanquam probabiliorem, & Dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem* eligendam eſſe ac propugnandam. *Beguardorum*, & *Beguinarum*, nec non *Fratricellorum*, & *Dulciniſtarum*, errores, de quibus diximus in ſuperiori Colloquio, fuerunt itidem in hoc Concilio Generali Viennenſi damnati per Clementinam *Ad noſtrum*, quæ legitur inter Clementinas, titulo *de Hæreticis*. Volunt aliqui cum S. *Antonino* editas pariter fuiſſe in eodem Concilio Viennenſi Clementinam *Ex gravi*; *De Uſura*, quâ hæreſeos damnati ſunt, qui pertinaciter aſſererent, *Uſuras non eſſe peccatum*; item Clementinam *Ne in agro*, *De ſtatu Monachorum*; Clementinam quoque *Dudum*; *De Sepulturis*; & Clementinam *Religioſi*; *De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum*. Verùm iſtas Clementinas in hoc Concilio Generali fuiſſe publicatas non conſtat apud omnes. Habita eſt in hoc Concilio Viennenſi deliberatio de ſubſidio Terræ Sanctæ, ad quod ferendum ſeſe promptiſſimum exhibuit *Philippus Pulcher* Rex Chriſtianiſſimus, qui promiſit, ſe infrà annum cum liberis, fratribus, ingentique Procerum ac Nobilium numero tranſfretaturum; Gallicani verò Præſules

Deci-

Decimas ad ſexennium ad hoc ſacrum perficiendum opus conceſſerunt, quod à Summo Pontifice & Concilio approbatum eſt, ſicut refert *Guillelmi Nangii* continuator. Sed deliberationes, conſilia, & promiſſa hoc de ſancto negotio habita, executioni non fuerunt mandata, & in irritum ceciderunt. Denique, in Concilio Generali Viennenſi, cùm *Philippus Pulcher* Galliarum Rex vehementer urgeret *Clementem V.* ut memoriam *Bonifacii VIII.* damnaret, noluit Pontifex Maximus Regis voluntatem implere, ſed invidioſiſſimum iſtud negotium hoc pacto compoſuit ac finivit. Memoriam *Bonifacii VIII.* vindicavit quidem, eumque Catholicum & legitimum fuiſſe Pontificem declaravit; famam tamen *Philippi Pulchri* Galliarum Regis integram eſſe voluit, editoque Decreto ſtatuit, nullam Regi, ejuſve filiis, aut hæredibus pœnam, vel detrimentum aliquod inferri, aut ullam infamiæ notam inuri poſſe ob geſta contra *Bonifacium VIII.* ſicut refert *S. Antoninus* III. Part. Chronic. Titul. XI. Cap. III.

D. Cùm nullum aliud Concilium Generale, præter Viennenſe, in Galliis, fuerit Sæculo decimo quarto celebratum, ad habendam plenam aliorum hujus Sæculi Conciliorum notitiam, breviter nunc, quoad ejus fieri poterit, differere debemus de Conciliis Nationalibus, ſeu Provincialibus, quæ eodem Sæculo XIV. ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam in Gallia, Hiſpania, Italia, Anglia, & Germania, habita fuerunt.

M. Primum Concilium Nationale, quod in Galliis habitum eſt Sæculo decimo quarto, fuit Concilium *Compendienſe*, indictum ab Archiepiſcopo

po Remenſi *Roberto de Couternay* anno MCCCI. in eo ſeptem edita ſunt Capitula, quæ ſpectant Diſciplinam Eccleſiaſticam & Clericorum immunitates, videlicet, excommunicati ſunt Laici Judices, qui mulctas pro Clericorum criminibus exigunt, eâdemque cenſurâ perculſi ſunt Abbates, qui conſpiraverint in ſuos Epiſcopos, ſeu contra juriſdictionem Epiſcopalem de mutua defenſione fœdus inter ſe iniverint. Fulminati pariter ſunt Magiſtratus, qui non patiebantur, ut Laici in foro Eccleſiaſtico convenirentur: decretum etiam eſt, ut ubicumque â Judice temporali caperetur Clericus, à Divinis ceſſaretur Officiis. Extant hujus Concilii Compendienſis ſeptem Capitula tomo XI. Concil. part. 2. pag. 1472. *Amaneus* Auſcitanus Epiſcopus Concilium Provinciale anno MCCCIII. celebravit apud *Nugarolium* (Armeniacorum id oppidum eſt in Diœceſi Auſcenſi ſitum ad Garumnæ fluvium) in quo Decreta undeviginti edita ſunt contra Clericos peregrinos, qui, abſque ſuorum Epiſcoporum commendatitiis litteris ſacra facientes, excommunicantur; contra Judices temporales, qui ſeſe cauſis Eccleſiæ admiſcentes eidem cenſuræ ſubjiciuntur; contra perjuros, qui denunciantur excommunicati, inteſtabiles & infames; contra decimarum detentores, concubinarios, uſurarios, adulteros manifeſtos &c. qui omnes excommunicatione feriuntur. Extant iſtius Concilii Nugarolienſis undeviginti Decreta Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia tomo XI. Concil. par. 2. pag. 1478. Alterum Concilium Compendienſe *Robertus de Courtenay* Archiepiſcopus Remenſis coëgit anno MCCCIV. in quo decretum eſt, illos ipſo facto eſſe excommunica-

ca-

catos, qui alios nominatim excommunicatos & interdictos ad Divina, vel ad Eccleſiaſticam Sepulturam admittunt, aut Sacrorum celebrationi coram hujuſmodi hominibus ab Eccleſia proſcriptis intereſſe præſumunt. Item denunciantur ipſo facto excommunicati hi, qui Matrimonia clandeſtina contrahunt, procurant, aut præſentiâ ſuâ cohoneſtant; necnon Magiſtratus, qui vectigalia Clericis imponunt, & tallias atque collectas ab iis exigunt. Denique, præcipitur Clericis, ut mensâ frugali utantur, ſintque contenti juſculo & duobus ferculis in conviviis, niſi ſuperveniant Magnates. Extant hujus ſecundi Concilii Compendienſis pro reformatione Eccleſiaſticæ Diſciplinæ quinque Capitula tom. XI. Concil. part. 2. pag. 1493. *Amaneus* mox laudatus Auſcitanus Archiepiſcopus Concilium in Metropoli ſua anno MCCCVIII. congregavit, in quo actum eſt de juribus Eccleſiæ vindicandis, de celebratione Miſſarum, de uſuris, de Monachis, & de aliis hujuſmodi morum reformationem ſpectantibus. Habentur hujus Synodi Auſcitanæ Canones ſex tomo XI. Concil. par. 2. pag. 1500. *Philippus de Marigny* Archiepiſcopus Senonenſis Concilium Pariſiis congregavit anno MCCCXII. cujus ad vigorem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ renovandum, & abuſus quoſdam extirpandos *contra detentores bonorum Eccleſiæ, & contra citationes generales* extant Capitula tria tom. XI. Concil. pag. 1602. *Gaufridus* Turonenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis & Abbatibus Concilium Salmurienſe anno MCCCXV. coegit, in quo quatuor promulgati ſunt Canones contra perturbatores juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & contra Archidiaconos, qui ab examinandis pecunias exi-

exigunt. Extant quatuor illi Concilii Salmurienſis Canones tomo XI. Concil. par. 2. pag. 1617. Eodem anno *Amaneus* Auſcitanus Archiepiſcopus alterum Nugarolienſe habuit Concilium, in quo quinque Decreta edita ſunt; quibus ſtatuitur, ut Domini temporales non occupent Eccleſias vacantes: ut Clerici à Judicibus Sæcularibus non compellantur: ut ſupplicio ultimo damnatis Pœnitentiæ Sacramentum non denegetur &c. Extant quinque hujus Concilii Nugariolenſis Decreta tom. XI. Concil. par. 2. pag. 1620. *Robertus de Courtenay* Archiepiſcopus Remenſis eodem anno MCCCXV. Silvanectenſe celebravit Concilium, in quo *Petrus* Epiſcopus Catalaunenſis, & Galliarum Regni Cancellarius, qui multorum criminum reus accuſabatur, abſolutus eſt, & in Sedem ſuam reſtitutus, ut videre eſt apud *Guillelmi Nangii* Continuatorem ad annum MCCCXV. Idem *Robertus de Courtenay* Remenſis Archiepiſcopus aliud Silvanectenſe Concilium habuit anno MCCCXVII. in quo contra invadentes bona Eccleſiaſtica actum eſt, & ſtatutum, eos, ſi intra octo dies non ſatisfecerint, arctioribus cenſuris eſſe cogendos. *Guillelmus de Meloduno* Senonenſis Archiepiſcopus Concilium in ſua Metropoli convocavit anno MCCCXX. in quo quatuor promulgata ſunt Decreta de ſervando jejunio in Vigilia Feſti Corporis Chriſti; de ceſſatione à Divinis, quando Clericus à Judice Laico detinetur; de profeſſione Monachorum; de vita & honeſtate Clericorum, quibus prohibetur, ne caligas peregrini coloris, comam, barbamque prolixam gerant. Eadem Decreta iiſdem ferè verbis concepta publicavit *Guillelmus de Meloduno* Archiepiſcopus Senonenſis in Con-

Concilio, quod cum ſuis Suffraganeis Pariſiis celebravit anno MCCCXXIII. *Gasbertus* Arelatenſis, *Jacobus* Aquenſis, & *Bertrandus* Ebredunenſis, Archiepiſcopi, cum ſuarum Provinciarum Epiſcopis, Concilium Avenione anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto celebrarunt, in quo plurima in morum & diſciplinæ reformationem, Clericorum privilegia & immunitates, nonnulla etiam contra bonorum & jurium Eccleſiaſticorum invaſores, cenſurarum Eccleſiæ contemptores, & circa Eccleſiaſticam juriſdictionem, res matrimoniales, & teſtamentarios ſtatuta fuere, ac quinquaginta novem edita Capitula, quæ *Petrus Gaſſendus*, Vir doctiſſimus, & Eccleſiæ Dinienſis Præpoſitus, publici juris fecit, & ad calcem *Hiſtoriæ Eccleſiæ Dinienſis* edidit, eaque poſtea *Coſſartius*, & *Binius* ſuæ Conciliorum Collectioni inſeruerunt tom. XI. part. 2. pagina 1717. *Guillelmus de Flavacourt* Auſcitanus Archiepiſcopus Concilium Marciacenſe eodem anno MCCCXXVI. congregavit, in quo quinquaginta ſex edita ſunt Capitula *de ætate & qualitate Ordinandorum; de litteris dimiſſoriis; de Officio Archidiaconi; de Officio Ordinarii; de perjuriis, exceptionibus, appellationibus, de Eccleſiarum, & Clericorum immunitate ac libertate, de Cenſuris, de Reliquiis & Indulgentiis, de Eccleſiarum conſtructione & conſecratione*, necnon de aliis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Capitibus; quæ extant tom. XI. Concil. par. 2. pag. 1747. Alterum Marcianenſe Concil. habuit idem *Guillelmus de Flavacourt* Auſcitanus Archiepiſc. ann. MCCCXXIX. in cauſa *Ancſancii* Epiſcopi Adurenſis à perduellionibus occiſi, in quo decretum eſt, ut ſicarii, qui iſtud parricidium commiſerant, ab Eccleſiæ conſor-

ſortio amoverentur, & quicumque eos hoſpitio exciperent, anathemate configerentur. *Guillelmus de Bria* Archiepiſcopus Remenſis Concilium Silvanectenſe celebravit anno MCCCXXVI. in quo ordo habendi Concilii Provincialis per Remenſem Provinciam in poſterum obſervandus ſtabilitur, juriſdictio & immunitas Eccleſiæ confirmantur, ſolutio accurata decimarum ſub pœna excommunicationis imperatur; hi, qui ſunt excommunicati, ab actione, patrocinio, & teſtimonio repelluntur; clandeſtina matrimonia ſub pœna excommunicationis prohibentur. Extant illius Concilii Silvanectenſis Canones VII. tom. XI. Concil. par. 2. pagina 1768. Idem *Guillelmus de Bria* Remenſis Archiepiſcopus Concilium Compendienſe ann. MCCCXXIX. peregit, in quo ſtatutum eſt, ut Conſtitutiones pro Juribus immunitatibus, privilegiis & bonis Eccleſiæ tuendis latæ executioni mandarentur, ſicut & Conſtitutiones contra uſurarios editæ. Præcipitur etiam, ut ſingulis diebus Dominicis excommunicati denuncientur omnes & ſinguli uſurpantes, impedientes, & perturbantes ordinariam juriſdictionem Eccleſiaſticam. Extant hujus Concilii Compendienſis Canones VII. tom. XI. Concil. part. 2. pag. 1775. *Petrus* Archiepiſcopus Rotomagenſis Concilium in Monaſterio *B. Mariæ de Prato* propè Rothomagum anno MCCCXXX. celebravit, in quo de Divinis Officiis religiosè celebrandis; de vita, & honeſtate Clericorum, ac Monachorum; de Decimarum Collectione; de promovenda Sacra Expeditione; de Caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Epiſcopis reſervatis; de promulgandis & obſervandis Superiorum Conciliorum Provincialium Conſtitutionibus,

bus, & de aliis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitibus actum eſt. Tredecim Conſtitutiones, quæ in hoc Concilio Rothomagenſi editæ fuerunt, habentur tomo XI. Concil. part. 2. pag. 1783. *Petrus* Archiepiſcopus Turonenſis anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto Concilium habuit in Caſtro Gonterii Diœceſis Andegavenſis, in quo duodecim edita ſunt Decreta pro Libertate & Immunitate Eccleſiaſtica, & contra juriſdictionis & bonorum Eccleſiæ invaſores ac detentores. Habentur duodecim illius Concilii apud *Caſtrum Gonterii* celebrati Decreta tomo XI. Concil. part. 2. pag. 1842. Eodem anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto *Fulcrandus* Archiepiſcopus Bituricenſis Concilium in ſua Metropoli convocavit, in quo plurima ad Diſciplinam Eccleſiaſticam reſtaurandam ſancita ſunt, nonnullæ Conſtitutiones Provinciales, quæ injuriâ temporis & deſuetudine penè exoleverant, fuerunt renovatæ, & aliæ contra violantes Eccleſiaſticam juriſdictionem, contra perturbatores pacis & libertatis Eccleſiæ, de novo promulgatæ ſunt. Extant Canones duodecim in hoc Concilio Bituricenſi editi tom. XI. Concil. in Appendice pag. 2522. Paulò poſt celebrationem illius Concilii Bituricenſis, Trium Provinciarum Arelatenſis, Ebredunenſis, & Aquenſis Archipræſules Concilium Avenionenſe II. anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo celebrarunt, in quo quinquaginta novem Decreta Concilii Avenionenſis I. habiti anno MCCCXXVI. repetita & confirmata ſunt, eisque alia decem addita pro bono Eccleſiæ regimine, ac morum reformatione. Extant hæc LXIX. Concilii Avenionenſis II. Decreta, ſeu Canones, tomo XI.

Con-

Conciliorum part.2. pag. 1852. & apud *Baluzium* cum ejuſdem Notis in *Concilia Galliæ Narbonenſis* pag.341. *Joannes* Remenſis Archiepiſcopus Concilium Noviomenſe anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto celebravit, in quo ſanciti ſunt Canones ſeptemdecim, qui mores, Diſciplinam, juriſdictionem, & Eccleſiæ libertates ſpectant, & extant tomo xi, Concil. par.2.pag.1886. *Guillelmus* Senonenſis Archiepiſcopus Concilium Pariſiis indixit anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, in quo tredecim edita ſunt Decreta de immunitate Clericorum contra Sæculares Magiſtratus; de habitu Clericorum; de legatis Eccleſiæ in alios uſus non convertendis, quàm in quos relicta ſunt; de obſervandis antiquis Decretalibus, & Clementinis Conſtitutionibus; de Xenodochiis, Leproſariis, & Eleemoſynariis. In Canone ultimo conceduntur Indulgentiæ his, qui horâ *ignitegii*, ſeu ſerò, cùm tegitur ignis, ter recitant Salutationem Angelicam. *Petrus* Narbonenſis Archiepiſcopus Concilium anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo habuit *Biterris*, in quo octo Decreta condita ſunt de inclinatione capitis ad Sanctiſſimum Nomen *JESUS*; de reverentia Sacro Chriſti Corpori exhibenda, cùm ad ægrotos defertur; de Indulgentiis, quæ conceduntur orantibus pro Summo Pontifice, Rege, & Prælatis; de obſervatione & executione Canonis *Omnis utriuſque ſexus &c.* Hujus Concilii Biterrenſis Acta & Decreta Vir clariſſimus *Baluzius* Notis illuſtravit & edidit inter *Concilia Galliæ Narbonenſis* pag. 91. indèque inſerta ſunt tomo xi. Conciliorum par.2.pagina 1922. *Simon* Turonenſis Archiepiſcopus anno

milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto Concilium Andegavenſe celebravit, in quo triginta quatuor conditi ſunt Canones de collatione Beneficiorum; de vita, honeſtate, & frugali menſa Clericorum; de Beneficiatorum, & maximè curam animarum habentium reſidentiâ; de Monachorum & Canonicorum Regularium veſtibus reformandis; de abſtinentia à lacte & butyro diebus jejuniorum, & præſertim Quadrageſimali tempore &c. Extant hujus Concilii Andegavenſis triginta quatuor Canones tomo XI. Conciliorum part. 2. pagina 1939. His Conciliis Provincialibus in Galliis Sæculo decimo quarto celebratis duo alia dumtaxat addam, videlicet *Vaurenſe*, & Narbonenſe, quorum primum, ſeu *Vaurenſe*, à trium Provinciarum Narbonenſis, Toloſanæ, & Auſcenſis Archiepiſcopis anno MCCCLXVIII. habitum eſt apud *Vaurum* Occitaniæ oppidum, Gallicè *Lauaur* dictum, in quo condita ſunt centum triginta tria Decreta Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia. Primum, quod eſt proliximum, complectitur fidem Catholicam, ſeu Catecheſim ad Chriſtianarum plebium informationem accuratam *de Septem Sacramentis*; *de Virtutibus Theologicis & Moralibus*; *de Donis Spiritus Sancti*; *de eleemoſynis corporalibus & ſpiritualibus*; *de vitiis capitalibus*; *de decem præceptis Decalogi*. In aliis Decretis, ſeu Canonibus agitur de Cauſarum Matrimonialium judicio; de jurisdictione & libertate Eccleſiaſtica contra invaſorum & oppreſſorum injurias tuendâ; de Inſtrumentis, Contractibus, & Juramentis; de veſtibus Canonicorum & familiarium Epiſcopi, & cujuſvis alterius Prælati; de portione congrua Curatorum; de auditione

ne Miſſæ Parochialis Dominicis diebus; de Matrimoniis clandeſtinis; de Canonicorum ſtudiis; de Indulgentiis, quæ conceduntur convenientibus ad Miſſam *Beatæ Mariæ*, & his, qui orant pro Romano Pontifice, vel qui ad ſonum campanæ circa Solis ortum pro pace & proſpero ſtatu Eccleſiæ quinquiès Orationem Dominicam in honorem quinque vulnerum Salvatoris noſtri, & ſeptiès Angelicam Salutationem ad honorem ſeptem gaudiorum, quæ de Filio ſuo Beata Virgo habuit, devotè recitaverint &c. Extant hujus Concilii Vaurenſis centum triginta tria Decreta tom. XI. Concil. par. 2. pagina 1969. & apud *Baluzium* cum ſuis Notis *Concil. Galliæ Narbon.* pag. 124. Concilium Narbonenſe, jubente *Gregorio XI.* Pontifice Maximo, *Petrus* Narbonenſis Archiepiſcopus in ſua Metropoli celebravit anno MCCCLXXIV. & in eo viginti octo Diſciplinæ Eccleſiaſticæ edita ſunt Capitula, quorum quatuor priora agunt de celebrandis Synodis. In aliis verò plurima ſtatuuntur contra fictos Apoſtolos, qui abſque miſſione prædicabant; contra excommunicatos, qui ſepulturâ privari debent; contra bonorum Eccleſiaſticorum invaſores, vel juriſdictionis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ oppreſſores; contra eos, qui blaſphemant in Chriſtum, Beatam Virginem, & Sanctos &c. Extant viginti octo iſtius Concilii Narbonenſis Decreta apud *Baluzium* Concil. Galliæ Narbon. pag. 301. & tomo XI. Concil. in Appendice pag. 2497. Hæc ſunt omnia Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ Sæcul. XIV. in Galliis celebrata fuerunt.

D. Percenſe nunc Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ Sæculo XIV. in Hiſpania habita ſunt.

 M. De

M. De Conciliis Nationalibus, ſeu Provincialibus, quæ in Hiſpania ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam Sęculo XIV. habita ſunt, lato calamo diſſerit, eaque doctiſſimis Notis illuſtrat Eminentiſſimus *Joſephus de Aguirre* Tomo III. *Conciliorum* Hiſpaniæ, à quibus nos, ne longiùs, quàm par ſit, noſtrum protrahatur Colloquium, breviter expediemus. In Primis, *Gonſaluus* Archiepiſcopus Toletanus anno MCCCII. celebravit Concilium *Pennafidelenſe* (Vaccæorum Hiſpaniæ Tarraconenſis id oppidum eſt) in quo præcipitur Clericis ut horas Canonicas recitent, concubinas dimittant, Euchariſtiam morientibus adminiſtrent, Confeſſionum arcana omninò celent. Præterea, inſtitutus eſt dies Feſtus in honorem B. *Ildephonſi*, aliaque de Decimis, & Immunitatibus Eccleſiarum ſtatuta ſunt. Conſtitutiones Eccleſiaſticas XV. in hoc Concilio *Pennafidelenſi* promulgatas refert Cardinalis *de Aguirre* Tomo III. Conciliorum Hiſpaniæ pag. 538. Prætermitto Concilia Tarraconenſe, & Salmanticenſe, quæ anno MCCCXII. fuerunt celebrata, & quorum Acta refert Cardinalis *de Aguirre* pag. 546. & 547. quia in his duobus Conciliis nihil occurrit, quod ſit memoriâ dignum. Celebre fuit Concilium Valliſoletanum, quod *Guillelmus* Sabinenſis Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ in Hiſpania Legatus, anno MCCCXII. celebravit, in quo præcipitur, ut quovis biennio Synodi Provinciales, & annis ſingulis Diœſecanæ celebrentur: Ut Curati Parochianos ſuos neceſſaria ad ſalutem edoceant: Ut Sæculares judices, qui Clericos ad Tribunalia ſua de rebus & cauſis Eccleſiaſtici Fori litigare compulerint, excommunicati denuntientur:

tur: Ut feriatio à ſervilibus operibus Dominicis & Feſtivis diebus obſervetur. Excommunicantur falſi teſtes, Advocati, mediatores, & omnes, qui ad falſum teſtimonium ipſos inducunt, donec pro damnis illatis fecerint ſatis. Denique, agitur de vita & honeſtate Clericorum, de ſolutione Decimarum, de abſtinentia Quadrageſimalis, & quatuor temporum, de pœna Simoniacis imponenda, de Clericorum ſtudiis, de excommunicandis his, qui ſacrilegos, maleficos, incantatores, ariolos conſulunt, & auguriis attendunt. Extant Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Canones XXVII. in Concilio Valliſoletano conditi, quos edidit Card. *de Aguirre* Tomo III. Concil. Hiſpaniæ pag. 556. *Joannes* Archiepiſcopus Toletanus tria Concilia celebravit, quorum primum habuit in ſua Metropoli anno MCCCXXIII. cujus Acta legi poſſunt apud Eminentiſſimum Cardinalem *de Aguirre*, qui primus ex MS. *Mondexarenſi* ea in lucem protulit Tomo III. Concil. Hiſpaniæ pag. 560. Alterum Concilium in ſua itidem Metropoli Toletana convocavit idē *Joannes* Archiepiſc. Toletanus anno MCCCXXIV. in quo Concilii Valliſoletani Decreta renovarunt Patres, & quædam alia diſciplinam & Clericorum mores ſpectantia ſtatuerunt. Legendus eſt Cardinalis *de Aguirre*, qui octo Conſtitutiones Eccleſiaſticas in hoc ſecundo Concilio Toletano ſancitas, & cum MS. *Mondexarenſi* collatas inſeruit Tomo III. *Concil. Hiſpaniæ* pag. 576. Idem *Joannes* Archiepiſcopus Toletanus Concilium Provinciale, *Compluten-ſe* dictum, apud Alcalam tenuit anno MCCCXXV. in quo tres Conſtitutiones ad Clericorum mores pertinentes, quæ in Synodo Toletana anno MCCCXXIV.

 ha-

habitâ promulgatæ fuerant, lucidiùs promuntur & explicantur, ut videre eſt apud eumdem Cardinalem *de Aguirre* pag. 578. Denique *Ægidius* Archiepiſcopus Toletanus duo Concilia Provincialia coegit, quorum primum in ſua Metropoli celebravit anno MCCCXXXIX. & in eo quinque Decreta condita ſunt de illiteratis ad Clericatum non promovendis; de ſtudio Theologiæ & juris Canonici in Eccleſiis Cathedralibus inſtituendo; de executione Canonis: *Omnis utriuſque ſexus* pro Confeſſione ſingulis annis facienda &c. Extant hæc quinque illius Concilii Toletani Decreta apud ſæpè citatum Cardinalem *de Aguirre* Tomo III. Concil. Hiſpanię pag. 609. Alterum Concilium idem *Ægidius* Archiepiſcopus Toletanus anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo celebravit, quod alii appellant *Toletanum*, ſed à Cardinali *de Aguirre* meliùs *Complutenſe* dicitur, cùm apud *Complutum* fuerit congregatum. In eo præcipuè actum eſt de vita, & honeſtate Clericorum; de abuſuum correctione; de coercendis bonorum Eccleſiaſticorum invaſoribus, vel gravem injuriam perſonis Eccleſiaſticis inferentibus &c. Quatuor Canones in hoc Concilio editos refert Cardinalis *de Aguirre* Tomo III. *Concil. Hiſpaniæ* pag. 614. Legi poſſunt etiam apud eumdem Cardinalem quędam alia Concilia Provincialia Sæculo decimo quarto in Hiſpania celebrata, quæ nos conſultò prætermittimus, quia nihil in eis, quod ſingulari aliqua obſervatione dignum ſit, offendimus.

D. Fueruntne in Italia Sæculo decimo quarto convocata plura Concilia Nationalia, ſeu Provincialia?

M. Qua-

M. Quatuor dumtaxat Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, in Italia Sæculo decimo quarto convocata, & à *Raynaldo* Ravennate Archiepiſcopo fuiſſe celebrata, memorant Scriptores; quorum primum ab Epiſcopis Provinciæ Ravennatis, Præſide *Raynaldo* Archiepiſcopo Ravennate, in Metropoli habitum eſt anno milleſimo trecenteſimo ſeptimo, illiuſque meminit *Rubeus* lib. VI. *Hiſtoriæ Ravenn.* Alterum Concilium Ravennenſe idem *Raynaldus* Archiepiſcopus indixit in ſua Metropoli anno milleſimo trecenteſimo undecimo, in quo triginta duo Decreta edita ſunt de Epiſcoporum defunctorum ſolemnibus exequiis, de incertis Reliquiis, quæ ſub Altaribus recondi debent, & fidelium venerationi non exponi; de auditione Miſſæ Parochialis Dominicis diebus; de pœnis, quæ infligi debent his, qui blaſphemant in Deum, Beatam Virginem & Sanctos, vel qui cenſuras Eccleſiaſticas contemnunt, nec admoniti reſipiſcere volunt; de eleemoſynis, quæ ab Epiſcopis, Capitulis, & Monaſteriis, quorum ſufficientes ſunt redditus, fieri debent &c. De his, & de aliis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitulis extant Canones XXXII. Tomo XI. Conciliorum Part. II. pag. 1569. Tertium Concilium idem *Raynaldus* Archiepiſcopus Ravennas anno milleſimo trecenteſimo decimo quarto celebravit *Argentæ*, quod Ravennatis Diœceſeos Caſtrum eſt, & in eo ad promovendum divinum cultum, ad morum reformationem, ad ſtabiliendam Clericorum vitæ puritatem, honeſtatem & modeſtiam in veſtibus, ad bona Eccleſiaſtica contra invaſores conſervanda, & ad ſancienda alia hujuſmodi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita conditi

 ſunt

ſunt decem Canones, qui extant Tomo XI. Concil. Part. II. pag. 1613. Quartum denique Concilium idem Ravénas Archipræſul *Raynaldus* an. MCCCXVII. Bononiæ congregavit, in quo Conſtitutiones Eccleſiaſticæ in ſuperioribus Conciliis editæ, denuò fuerunt approbatæ, ac viginti quatuor Decreta ſancita ſunt de cuſtodia vacantium Eccleſiarum: de vita & honeſtate Clericorum: de certo numero Canonicorum in Eccleſiis Cathedralibus ſtatuendo: de Salariis Notariorum, & Sigilliferorum &c. Extant hujus Concilii viginti quatuor Decreta Tomo XI. Concil. Part. II. pag. 1655.

D. Veniamus ad Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ in Anglia Sæculo decimo quarto habita ſunt, & ea compendioſè deſcribe, quæ in his ad reſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt ſtatuta.

M. *Henricus Spelmannus*, qui omnia Concilia Provincialia, & Diœceſana Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ in duobus Tomis Londini anno MDCLXIV. typis excuſis, ſtudioſè collegit ac digeſſit, de Conciliis Nationalibus, ſeu Provincialibus, quæ Sæculo XIV. in Anglia fuere celebrata, diſſerit Tom. II. à pag. 438. uſque ad pag. 660. ex quo nos pauca hìc deflorabimus. Inter Concilia, quæ Sæculo XIV. in Anglia ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt celebrata, primum eſt Londinenſe, quod anno MCCCXXI. *Walterus* Cantuarienſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis habuit, in quo ad regimen Eccleſiaſticum meliùs ordinandum conditi ſunt octo Canones de Teſtamentis; de Viſitatione Archidiaconorum, de introductionibus, inſtitutionibus, & proviſionibus ad Eccleſiaſtica Beneficia;

cia; de Immunitatibus Clericorum &c. Acta & Canones illius Cōcilii Londinenſis habentur apud *Spelmannum* Tom. 2. pag. 488. Alterum Concilium Londinenſe *Simon Mepham* Archiepiſcopus Cantuarienſis congregavit anno MCCCXXVIII. in quo novem conditi ſunt Canones de ceſſandis à ſervilibus operibus in die Paraſceves; de celebrando Feſto Conceptionis *B. Mariæ* Virginis; de immunitatibus Clericorum; de oblationibus & Decimis; de Teſtamentis; de publicandis Bannis matrimonialibus &c. Acta & Canones hujus Concilii Londinenſis refert *Spelmannus* Tomo 2. pag. 493. Idem *Simon Mepham* Archiepiſcopus Cantuarienſis Concilium in ſuis Ædibus Lambethanis circà annum MCCCXXX. celebravit, in quo decem Decreta edita ſunt de ornamentis & officio Altaris; de Confeſſionibus audiendis; de ſervando ſigillo Confeſſionis; de adminiſtrando ægrotis Sacramento Extremæ Unctionis; de clandeſtinis Matrimoniis; de prævio habendo examine eorum, qui ad Sacros Ordines ſunt promovendi; de non alienandis Eccleſiarum bonis; de excommunicandis tèr, aut quatèr in anno Sortilegis, Maleficis, Perjuris & Incendiariis &c. Acta & decem Canones hujus Concilii Lambethenſis legi poſſunt apud *Spelmannum* Tomo 2. pag. 497. Refert etiam *Spelmannus*, eumdem *Simonem Mepham*, Archiepiſcopum Cantuarienſem, aliud Concilium, *Maghfeldenſe* dictum, celebraſſe anno MCCCXXXII. in quo edita eſt Conſtitutio, quæ Dies Feſtos, qui pio animi affectu per totum annum obſervari debent, enumerat, ut videre eſt apud citatum *Spelmannum* Tom. 2. pag. 500. *Joannes Straford*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, tria

tria Londini indixit Concilia. Primum habuit anno MCCCXLI.& in eo edita eſt unica utiliſſima Conſtitutio ad compeſcendam avaritiam Clericorum, qui in Beneficia necdùm vacantia ſe intrudere, & eadem per fas & nefas occupare moliebantur, ut legere eſt apud *Spelmannum*, qui hujus Concilii Londinenſis Conſtitutionem inſeruit Tomo 2. pag. 546. Alterum Concilium Londini idem *Joannes Straford* Archiepiſcopus Cantuarienſis habuit anno MCCCXLII. in quo ea, quæ pro bono Eccleſiæ regimine in ſuperioribus Conciliis jam ſtatuta fuerant, duodecim editis Canonibus renovata ac confirmata ſunt, extantque apud *Spelmannum* Tom. 2. pag. 572. Tertium Concilium Londini idem Archipræſul *Joannes Straford* celebravit anno MCCCXLIII. in quo Diſciplina Eccleſiaſtica firmata eſt ſeptemdecim Decretis de habitu & honeſtate Clericorum; de conditionibus ſervandis in dimiſſione Beneficiorum; de Decimarum & oblationum fraudatoribus; de debitis inteſtatorum ſolvendis, & de Teſtamentorum executione; de Matrimoniis clandeſtinis; de excommunicandis his, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam impediunt, & qui herbas, aut arbores, in Cæmeteriis Eccleſiarum & Cappellarum creſcentes, metunt, evellunt, diſſipant, abſque Rectorum arbitrio &c. Extant hujus Concilii circa Eccleſiaſticam Diſciplinam ſeptemdecim Decreta apud *Spelmannum* Tomo 2. pag. 581. *Simon* Cantuarienſis Archiepiſcopus tria celebravit Concilia. Primum eſt Lambethenſe II. in quo promulgata eſt Conſtitutio Synodalis, in qua præcipitur, ut Clerici capitalium criminum convicti Epiſcopalibus carceribus perpetuò

petuò mancipentur, ac tenui victu ſuſtententur. Alterum, eſt Maghfeldenſe II. in quo præfixi ſunt dies Feſti, qui per annum obſervari debent. Tertium, eſt Lambethenſe III. in quo unica edita eſt Conſtitutio, in qua Presbyterorum ſtipendia præfiniuntur, iiſque ex una Diœceſi in alteram abſque litteris dimiſſoriis emigratio prohibetur. Acta & Statuta trium illorum Conciliorum inſeruit *Spelmannus* Tomo 2. pag. 597. *609*. & *610*. Denique, *Joannes Thoresby* Archiepiſcopus Eboracenſis anno MCCCLXVII celebravit Concilium Eboracenſe, & in eo decem publicavit Conſtitutiones Eccleſiaſticas contra immodeſtias & irreverentias, quæ fiebant in Eccleſiis & Cæmeteriis; contra Nutrices parvulos ſuffocantes; contra eos, qui decimas non ſoluunt, vel qui alienant bona Eccleſiaſtica, vel clandeſtina contrahunt matrimonia &c. Decem iſtæ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ in hoc Concilio Eboracenſi publicatæ extant apud *Spelmannum* Tomo 2. Concil Brittanniæ. Hæc ſunt omnia Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, quæ in Anglia Sæculo XIV. ad reſtaurandam Eccleſiaſticam Diſciplinam habita ſunt. Fuerunt quidem alia nonnulla Concilia Provincialia ſub finem Sæculi XIV. in Anglia ad proſcribendos *Wicleffi* errores celebrata, ſed quia Hiſtoriam Wicleffianæ Hæreſeos ad Colloquia noſtra in Hiſtoriam Sæculi XV. remiſimus, opportuniùs etiam hæc Anglicana Concilia adversùs Wicleffianam hæreſim habita referemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Sæculi XV. ubi de Wicleffiana hæreſi datâ operâ diſſeremus. Hìc tantùm breviter obſervare debes, pacatam fuiſſe Angliam, & præclaris Religionis mo-

monumentis toto Orbe illuſtratam, quamdiù ab illa Sanctiſſimorum Canonum norma non deflexit; ſed apud illam obſoleſcere cœpiſſe antiquum illud, quo florebat, decus, cùm primùm vetuſtæ Religionis integritatem novis opinionum commentis, doctrinarum divortiis, perpetuis de Myſteriorum noſtrorum Sanctitate contentionibus, ac præcipiti ſacris in rebus innovandi licentiâ adulterare cœpit. Heu! fortunata olim Britannia, nunc velut Inſula fluctuans, turbis, tempeſtatibus ac naufragiis undique jactatur, tot abrepta ventis in diverſa pellentibus, quot varias pugnanteſque Sectas una nunc miserè conſectatur, quodque gravius eſt, ejus incolæ, poſt extinctam avitam Religionem, ſuos legitimos Reges Catholicos expulerunt, ſimileſque evaſerunt his hominibus, qui, cùm ſint à multis inſeſſi, correptique impuris Spiritibus, raptantur ab iiſdem, vexantur ſæviſſimè, ſuumque in ſe furorem acuentes, non membris, non capiti parcunt, neque poſſunt ſuo regi ſpiritu, dùm à multis alienis & adventitiis agitantur.

D. Ut nihil planè deſit notitiæ, quam hactenùs tradidiſti, Conciliorum Nationalium, ſeu Provincialium, quæ Sæculo XIV. in rem Diſciplinę Eccleſiaſticæ fuerunt variis in locis celebrata, neceſſe eſt ut Concilia Provincialia, quæ eodem Sæculo in Germania habita ſunt, extremis, ut dicitur, digitis, attingas, & ſic Colloquio noſtro finem imponamus.

M. Duo tantùm Concilia Provincialia, quæ ſunt majoris momenti, Colonienſe nimirùm, & Saltzburgenſe, in Germania Sæculo XIV. celebrata referam, & ea, quæ in his pro reſtauratione Eccle-

Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſancita ſunt, paucis verbis complectar. Concilium Colonienſe anno milleſimo trecenteſimo decimo habitum eſt ab *Henrico* Archiepiſcopo Colonienſi, & in eo duodetriginta edita ſunt Decreta contra eos, qui manus violentas Clericis inferunt; contra Laicos, qui vectigalia, & quasvis exactiones Eccleſiis imponunt; contra Clericos Concubinarios & Sanctimonialium conſtupratores; contra Matrimonia clandeſtina. Innovantur & confirmantur Decreta *Engilberti*, Colonienſis quondàm Archiepiſcopi, contra invaſores & detentores rerum Eccleſiaſticarum. Præcipitur etiam, ut Statuta *Siffridi*, Colonienſis quondàm Archiepiſcopi, de vita, honeſtate Clericorum, obſerventur & executioni mandentur, ſicut & *Conradi* Archiepiſcopi Colonienſis Statuta de reformatione Monachorum Benedictinorũ, aliaque hujuſmodi Diſciplinam tam Eccleſiaſticam, quàm Monaſticam ſpectantia decernuntur in his duodetriginta Capitulis, quæ extant Tomo XI. Concil. Part. 2. pag. 1517. Concilium Saltzburgenſe anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto à *Pilgrino* Saltzburgenſi Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato fuit celebratum, & in eo ſeptemdecim condita ſunt Capitula de Ritu Cathedralis Eccleſiæ, quem ſinguli Clerici in Divinis Officiis ſequi obſtringuntur; de cenſuris & caſibus Epiſcopo, aut Sedi Apoſtolicæ reſervatis, à quibus ſub pœna ſuſpenſionis Presbyteri abſolvere non debent; de Clericorum habitu; de Ornamentorum Eccleſiaſticorum, & Sacrorum vaſorum nitore; de cenſuris ferendis in Dominos temporales, qui Collectis, talliis, & exactionibus Clericos

ricos vexant; de Immunitate Eccleſiarum & Virorum Eccleſiaſticorum; de pœnis in eos decernendis,qui bona vacantium dignitatum & Eccleſiarum occupant, rapiunt, uſurpant, & in ſuos uſus convertunt; de excommunicandis Uſurariis, & his, qui Clericos ad ſæcularia tribunalia trahunt, & de ipſiſmet Clericis, qui coram ſæculari judice reſpondent, excommunicatione itidem feriendis; de non admittendis ad ſacrum faciendum Presbyteris peregrinis, ignotis, & abſque teſtimonialibus literis paſſim volitantibus &c. De his, & aliis rebus ad morum correctionem, vitæ honeſtatem, & Eccleſiaſticam Diſciplinam ſpectantibus plura decernuntur in his Concilii Saltzburgenſis Capitulis,quæ extant Tomo xi. Concil. Part. 2. pag. 2061. Habes nunc omnia Concilia Nationalia ſeu Provincialia, quæ Sæculo Eccleſiæ decimo quarto in Gallia, Italia, Hiſpania, Anglia & Germania ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt celebrata, quæque ipſe pro ratione Inſtituti leviori digito perſtrinxi, Concilii cujuſque locum, tempus, occaſionem, rerum in eo geſtarum ſeriem, Canonum conditorum numerum, locum, ubi etiamnùm reperiuntur illi Canones, tribus quaſi verbis notaſſe contentus. At, cùm ſingulos Canones, brevitati conſulendo, enumerare, ac fuſiùs exponere non licuerit, poteris, ſi uberiorem illorum Canonum expoſitionem habere deſideres, conſulere ampliſſimam omnium Conciliorum editionem adornatam à *Binio*, *Labbeo*, & *Coſſartio*, nec non cujuſque gentis Collectanea Synodica, videlicèt *Britannica* Spelmanni, *Gallica* Sirmondi, & Baluzii, *Hiſpanica* Loaiſæ, Ferdinandi Mendoſæ, & Joſephi de Agu-

Aguirre S. R. E. Cardinalis, ex quibus quam plurima hauries, quæ in ſtudio Antiquitatis, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ magno tibi adjumento erunt.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus, qui doctrina, vitæque Sanctimonia Sæcula Eccleſiæ XIII. & XIV. illuſtrarunt.

MAGISTER. IN perenne Eccleſiæ Catholicæ decus & gloriam cedit, quòd in ea omni ævo floruerint Viri Illuſtres, qui illibatis ſuis moribus, doctrinâ, eruditione, & præclaris monumentis eam exornarunt, atque tam ſacræ, quàm Eccleſiaſticæ tuendæ antiquitati addicti, novitates exploſerunt, ſuaque nomina æternitati conſecrarunt. Contrà verò Hæretici, rerum novarum cupidi, varios in errores præcipites feruntur, dùm *apud illos*, ut verbis utar Vincentii Lirinenſis, *pro Cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dùm benè fundata antiquitas ſceleſta novitate ſubruitur, dùm Superiorum inſtituta violantur, dùm reſcinduntur ſcita Patrum, dùm convelluntur definita Majorum, dùm ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites prophanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet*. De Viris itaque illuſtribus, qui Sæculis XIII. & XIV. magnum Eccleſiæ ſplendorem contulerunt, ſermonem in hocce Colloquio habituri ſumus. Sed quia in

in tanta eruditorū Scriptorum ſegete nimis longum eſſet ſingulorum vitam, mores, geſtaque copiosè deſcribere,ut magnitudo rerum dignitaſque poſtularet, de illis pauca dumtaxat delibabo, ut Colloquiorum noſtrorum brevitas jubet,& Opera,quæ lucubrarunt, referam quàm breviſſimè potero.

D. Cùm rerum concinna diſpoſitio lumen memoriæ maximè afferat, obſecro te, ut Viros Illuſtres, qui Sæculis XIII. & XIV. præcipuâ laude aliquâ floruerunt, in decem diſtribuas Claſſes, itaut in prima ſint celebriores Orientis Scriptores; in altera Galli; in tertia Itali; in quarta Hiſpani; in quinta Angli; in ſexta Germani; in ſeptima Monachi; in octava Scriptores ex Ordine Fratrum Prædicatorum; in nona Theologi Scholaſtici, qui Ordinem Fratrum Minorum illuſtrarunt; & in ultima inſignes Juriſconſulti. Sic diſcretè & electè in decem Claſſes digeſtos omnes illos Scriptores promiſcuè non confundam, & illorum nomina, eruditionis genus, & ea quæ ediderunt Opera faciliùs memoriæ meæ mandabo.

M. In Eccleſia Orientali Sæculo decimo tertio fuerunt aliqui Scriptores, quos hìc continenti ordine recenſebo. *Nicolaus*, patriâ Hydruntinus, vulgò *Otrante*, floruit anno MCCI. & Græcè ſcripſit vârios Tractatus adversùs Latinos, videlicet Tractatum *de Proceſſione Spiritus Sancti*, in quo *Hugonem Etherianum*, cujus mentionem fecimus in Colloquio quinto in Hiſtoriam Sæculi duodecimi, refellere conatur. Edidit etiam idem *Nicolaus* Tractatum *De pane fermentato à Chriſto in ſuprema Cœna Diſcipulis ſuis tradito*, & Tractatum *De jejunio Latinorum in Sabbato, conjugio Sacerdotum*, aliiſque argu-

argumentis, quorum fragmenta nonnulla refert *Leo Allatius* in libris *de conſenſu Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ*. Circa idem tempus claruerunt quatuor alii Scriptores Græci, nimirùm *Nicetas*, *Michaël Acominatus Choniata*, *Nicetas Acominatus*, & *Joel*, quorum primus, ceu *Nicetas*, ex Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Cartophylace factus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, ſcripſit Dialogorum libros ſex *de Proceſſione Spiritus Sancti* contra Latinos, edidit quoque *Reſponſionem ad Interrogata Baſilii Monachi*, quæ extat in *Jure Græco-Romano* lib. 5. pag. 345. *Michaël Acominatus Choniata*, Athenarum Archiepiſcopus, compoſuit *Orationem funebrem in mortem fratris ſui Nicetæ*, quę habetur in Bibliotheca Patrũ tom.xxv. pag. 180. Scripſit etiam quoſdam Sermones, inter quos eſt unus *de Cruce*, qui teſte *Labbeo* in ſua Bibliotheca MS. adhuc extant inediti in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. *Nicetas Acominatus*, dictus etiam à patria *Choniates*, frater fuit prædicti *Michaëlis Acominati*, Athenarum Archiepiſcopi. Sub Imperatoribus *Alexio Comneno*, & *Iſaacio Angelo* ad præcipuas Aulæ dignitates evectus eſt, ſed captâ anno MCCIV. à Latinis Conſtantinopoli, Nicæam in Bithynia profectus eſt, ubi anno MCCVI. obiit. Scripſit hic *Nicetas Coniates* libros XXI. quibus Hiſtoriam annor. LXXXV. complexus eſt ab obitu *Alexii Comneni* Imperatoris, ubi deſiit *Zonaras*, uſque ad annum milleſimum ducenteſimum tertium. Hæc *Nicetæ* Hiſtoria edita eſt Pariſiis in Typographia Regia cum aliis Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptoribus. Author eſt idem *Nicetas* librorum viginti ſeptem *Theſauri Orthodoxæ Fidei*, quorum quinque priores vertit latinè &

cum doctiſſimis Notis anno MDLXXX. Pariſiis edidit *Petrus Morellus*, & extant in Bibliotheca Patrum tomo XXV. Reliqui libri perierunt, præter fragmentum ex libro vigeſimo *de ordine, qui obſervari debet ab his, qui è Saracenica ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem convertuntur*, quod Græco Latinum editum eſt in ſecundo volumine Auctarii ad Bibliothecam Patrum ann. 1624. *Joel* fuit Chronographus Græcus, qui edidit *Chronographiam Compendiariam* ab Orbe condito uſque ad *Alexii Ducæ Murzulphi*, Græcorum Imperatoris, obitum, ideſt, uſque ad annum MCCIV. quo à Latinis capta eſt Conſtantinopolis, ut oſtendimus in primo Colloquio. Hanc *Joelis* Chronographiam Græco-Latinam, unà cum *Georgii Acropolitæ* Hiſtoria, typis Regiis edidit *Leo Allatius*, Pariſiis anno MDCLI. Hic autem *Georgius Acropolita*, cujus Hiſtoriam unà cum *Joelis* Chronographia, Pariſiis publicavit *Leo Allatius*, fuit patriâ Conſtantinopolitanus, doctus, diligens, prudens ac fidelis Scriptor, qui continuavit Hiſtoriam Byzantinam ab an. MCCIV. quo à Latinis capta eſt Urbs Conſtantinopolis, uſque ad annum MCCLXI. quo eadem Urbs à *Michaële Palæologo*, Græcorum Imperatore, recuperata fuit. De hoc *Georgio Acropolita* multa habet *Leo Allatius* in Diatriba *De Georgiis & eorum Scriptis*. His Scriptoribus Græcis, qui Sæculo XIII. in Eccleſia Orientali floruerunt, addi meritò debent duo Patriarchę Conſtantinopolitani, *Manuel Caritopulus*, & *Germanus* hujus nominis *II.* nec non *Nicephorus Blemmida*, inſignis Monachus, qui oblatum ſibi à *Theodoro Laſcari* Patriarchatum Conſtantinopolitanum modeſtè recuſavit. Prior, ſeu *Manuel Caritopu-*

topulus, edidit *Solutiones quarumdam Quæſtionum*. Scripſit etiam *Decretum de Translatione Epiſcoporum*, & *Decretum de jure Patronatus*, quæ extant in Leunclavii *Jure Græco-Romano* lib. 3. pag. 238. & ſeq. Alter Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeu *Germanus* hujus nominis *II.* multas Epiſtolas, Orationes, & Homilias compoſuit. Opus etiam *de Proceſſione Spiritus Sancti adversùs Latinos*: *Reſponſionem Synodicam ad delegatos Fratres Minores & alios*: *Opuſcula de Azymis*, *de Purgatorio*, *& de tribus modis adminiſtrandi Baptiſma* ſcripſit idem *Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut teſtatur *Leo Allatius* lib. 2. de conſenſu Eccleſ. Orient. & Occid. cap. 14. §. 3. His duobus Patriarchis Conſtantinopolitanis jure merito præponi debet *Nicephorus Blemmida*, non ſolùm quia ſibi oblatam Patriarchalem dignitatem pertinaci modeſtiâ recuſavit, ut mox diximus, ſed quia etiam Latinis impensè favit, eorumque dogmata adversùs ſuos conſtanter propugnavit. Reperiuntur quidem etiamnùm inter Opera hujus *Nicephori Blemmidæ* Opuſcula quædam, in quibus adversùs Latinorum dogmata, præcipuè de Proceſſione Spiritus Sancti diſputat. At *Leo Allatius* lib. 2. de conſenſu Occid. & Orient. Eccleſ. cap. 14. §. 4. aſſerit, vel *Nicephorum Blemmidam* necdùm diſcuſsâ causâ hæc Opuſcula juvenem procudiſſe, & re poſteà diligentiùs examinatâ revocaſſe; vel potiùs hæc Opuſcula à Græcis Schiſmaticis ſub *Nicephori Blemmidæ* nomine fuiſſe protruſa, cùm in prædictis Opuſculis neque ſint rationum pondera, neque doctrina, neque ſtyli ratio eadem, quæ in cæteris ejuſdem *Nicephori Blemmidæ* Opuſculis obſervantur. Patriarchalem Eccle-

ſiæ Conſtantinopolitanæ dignitatem, quam, ut diximus, modeſtè recuſavit *Nicephorus Blemmida*, obtinuit *Arſenius*, dictus *Autorianus*, qui ſcripſit *Synopſim Canonum*, ex Patribus, Synodorumque Statutis collectam, & in titulos CXLI. digeſtam, quę extat Græco-Latina in ſecundo tomo *Bibliothecæ Juris Canonum Henrici Juſtelli*. Compoſuit etiam idem *Arſenius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Teſtamentum*, quod Græco-Latinum publicavit doctiſſimus *Coteleriûs* tomo 2. *Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 168. Inter Hiſtoricos Græcos, qui Sæculo Eccleſiæ XIII. claruerunt, primas tenet *Georgius Pachymeres*, patriâ Nicænus, qui *Hiſtoriam Rerum Conſtantinopolitanarum ſub Imperatoribus Michaële, & Andronico Palæologis* ab anno MCCLVIII. uſque ad annum MCCCVIII. in tredecim libros digeſtam continuavit, eamque integram, ac doctiſſimis Notis illuſtratam *Petrus Poſſinus* Soc. Jeſu Romæ Græco-Latinam publicavit duobus tomis comprehenſam, quorum prior prodiit anno MDCLXVI. Alter anno MDCLXIX. Aliorum Operum, quæ ſcripſit idem *Pachymeres*, & quorum multa adhùc inedita in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſeruantur, prolixum ſatis Catalogum exhibet *Leo Allatius* in ſua Diatriba de *Georgiis, & eorum Scriptis*. Ergà Romanam Eccleſiam non benè affectum fuiſſe *Pachymerem*, ideòque circumſpectè eſſe legendum rectè monet *Poſſevinus*.

Verùm omnes illos Scriptores Græcos, quos hactenus laudavi, *Joannes Veccus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, doctrinâ, vitæque ſanctimoniâ longo poſt ſe intervallo reliquit. Ille quippè eſt, qui, ut diximus in Colloquio ſecundo, agen-

agendo de Patriarchis Conſtantinopolitanis, unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina ardentibus votis exoptavit, initam in Concilio Lugdunenſi II. invicto animo ad extremum uſque vitæ ſpiritum cum ſuis ſociis propugnavit, & plura pro Latinorum doctrina adversùs Græcos ſcripſit Opera, quæ refert *Leo Allatius* lib.2. *de Conſenſu Eccleſ. Occid. & Orient.* cap.15. §. 8. & quorum nonnulla idem *Allatius* edidit in *Græcia Orthodoxa*.

Joannes Veccus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, malorum, quæ ſub *Andronico* Græcorum Imperarore pro defenſione unionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina conſtantèr paſſus eſt, Socios habuit *Georgium Metochitam*, & *Conſtantinum Meliteniotam*, qui unà cum ipſo in exilium miſſi ſunt, & Latinorum dogmata adverſus Græcos editis lucubrationibus vindicarunt, ut videre eſt apud Leonem Allatium loco mox laudato §. 9. & 11. His *Joannis Vecci* Sociis haud immeritò adjungi poteſt *Simon*, ortu Cretenſis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui iiſdem temporibus tribus Tractatibus *De Proceſſione Spiritus Sancti etiam ex Filio*; cum Græcis Schiſmaticis ſtrenuè conflixit. Non defuerunt tamen eâ ætate Græci Schiſmatici, qui in Latinos ſcripſerunt, inter quos *Georgius Cyprius* contra *Joannem Veccum* Patriarcham calamum ſtrinxit, quem ille graviori rationum pondere, utpotè pro veritate pugnans, confutavit. *Georgius Moſchabar*, Magnæ Eccleſiæ Cartophylax, multa itidèm in Latinam Eccleſiam, ejuſque dogmata, ſuis lucubrationibus oblatravit, quibus *Joannes Veccus* Patriarcha perdoctè reſpondens, Schiſmatici illius Autoris impetum faſtumque compreſſit. *Con-*

ſtantinus Acropolita, Magnus Logotheta, plures *De Proceſſione Spiritus Sancti* Tractatus contra Latinos ſcripturivit. Hi ſunt Scriptores Græci, qui in Eccleſia Orientali Sæc.XIII. floruerunt. Prętermittere tamen haud debemus *Gregoriú Abulpharajum*, natione Arabem, profeſſione Medicum, & Sectâ Jacobitam, ſeu Melchitam, qui eodem ſæculo variis ſcientiis inſtructus, & præcipuè medicinæ gloriâ clarus fuit, ediditque *Compendium Dynaſtiarum X.* Dynaſtiis abſolutum, ex variis variarum gentium monumentis deprомptum, quod Arabicè & Latinè vulgavit *Pocockius* Oxonii anno MDCLXIV.

D. Proſequere, quæſo, ſeriem aliorum Scriptorum Græcorum, qui Sæculo XIV. aliquâ nominis celebritate claruerunt.

M. De Palamitarum erroribus, quibus Sæculo XIV. Eccleſia Orientalis haùd parùm exagitata fuit, ſatis diximus in Colloquio tertio, ubi de Hæreſibus, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia emerſerunt, diſſeruimus. Quapropter, hìc ſufficiet breviter referre Scriptores Græcos, qui in hac controverſia, *Barlaamum* inter & *Gregoriú Palamam* in Oriente exorta, hinc inde aliqua Opera ediderunt. Palamitarum errores Scriptis propugnarunt non ſolùm *Gregorius Palamas*, horumce errorum Author, cujus Orationes duas *Combefiſius* noſter in Auctario Bibliothecæ Græcorum Patrum edidit, ſed etiam *Iſidorus* Patriarcha, & *Philotheus*, ex Monacho Metropolita Heracleenſis, & poſteà Patriarcha Conſtantinopolitanus, nec non *Joſephus Bryennius* Oratione *de Transfiguratione*. Favit etiam Palamitarum erroribus *Joannes Cantacuzenus*, Græcorum Imperator, vir alioqui eruditione inſignis,

&

& in Hiſtoria verſatiſſimus, quippè qui, aſſumpto ſibi *Chriſtoduli* nomine fictitio, eleganti non minùs quàm diffuſo ſtylo concinnavit *Hiſtoriam Rerum à duobus Andronicis Imperatoribus & à ſe ipſo geſtarum* ab anno MCCCXX. uſque ad annum MCCCLVII. libris quatuor comprehenſam, quæ latinè ex *Jacobi Pontani* verſione, unà cum ipſius & *Gretſeri* Notis prodiit Ingolſtadii anno MDCIII. Pariſiis verò Græcè & Latinè cum utriuſque Notis anno MDCXLV. Edidit etiam idem Imperator *Joannes Cantacuzenus* Orationes tres, & Apologiam, ſeu Aſſertiones IV. *pro Fide Catholica adversùs Saracenos & Alcoranum*, quæ Græco-Latinæ prodierunt Baſileę annis MDLV. Extat etiam in Bibliotheca Vaticana Opus ejuſdem Imperatoris manuſcriptum, cui titulus eſt: *Contradictiones adversùs Prochorum Cydonium*. At illos Scriptores Græcos, Palamitarum errorum patronos, confutarunt, & Catholicam adversùs eos eruditis Scriptionibus veritatem propugnarunt alii Scriptores Græci, *Barlaamus, Gregorius Acindynus*, Monachus Græcus, *Nicephorus Gregoras*, qui author eſt Hiſtoriæ Byzantinæ ab anno MCCIV. uſque ad annum MCCCXLI. *Joannes Cypariſſiotus*, *Demetrius Cydonius*, & *Manuel Calecas*, Ordinis Prædicatorum, vir longè doctiſſimus. *Cypariſſioti* Sermones aliquos *Palamitarum Tranſgreſſionum* ingentis Operis, quod in libros quinque diviſum extat MS. in Bibliotheca Regis Chiſtianiſſimi, & noſtri *Manuelis Calecæ* librum *de Eſſentia & Operatione* adversùs *Gregorium Palamam* edidit doctiſſimus noſter *Combefiſius* in Auctario Bibliothecæ Patrum Græcorum.

Præter illos Authores Græcos, qui in Con-

troverſia *Barlaami*, & *Gregorii Palamæ* eruditionis ſuæ ſpecimina ultrò citròque præbuerunt, alii recenſentur Scriptores Græci, qui Sæculum XIV. doctrinâ ſuâ in Oriente illuſtrarunt, quos hìc incigitare ſufficiet. *Nicephorus Calliſtus* Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex *Euſebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, *Evagrii*, aliorumque Scriptorum monumentis contexuit, quam tamen fabulis & quiſquiliis paſſim reſperſit. Hoc *Nicephori Calliſti* Opus conſtabat olim libris viginti tribus, & Hiſtoriam à Chriſto nato uſque ad *Leonis* Imperatoris, dicti *Philoſophi*, mortem, ideſt, uſque ad annum 911. complectebatur, ſed nunc extant tantùm illius Operis libri octodecim, qui à nato Chriſto uſque ad *Phocæ* Imperatoris obitum, ſeu ad annum DCX. progrediuntur. Hanc *Nicephori Calliſti* Hiſtoriam Latinè vertit *Joannes Langius*, quæ typis excuſa eſt Baſileæ anno MDLIII. Antuerpiæ anno MDLXII. & ibidem curâ *Frontonis Ducæi* Græco-Latinè prodiit anno MDCXXX. *Maximus Planudes*, Monachus Græcus, & *Andronico* Imperatori apprimè charus, ſcripſit librum *de Proceſſione Spiritus Sancti contra Latinos*, quem *Arcudius* Notis illuſtratum, unà cum Reſponſionibus *Beſſarionis* edidit inter Opuſcula aurea Romæ an. MDCXXX. Alia idem *Maximus Planudes* Opera, variaſque conſcripſit Epiſtolas, quæ partim in lucem prodierunt, partim adhuc MSS. *teſte Lambecio*, aſſeruantur in Bibliotheca Cæſarea. *Theophanes*, Archiepiſcopus Nicænus, compoſuit Opus inſigne *adverſus Judæos*, in duos tomos diviſum, & *Concordiam veteris ac Novi Teſtamenti* adverſus eoſdem. Hæc duo Theophanis Opera habentur MSS. in Collegio Romano Soc. Jeſu. Quædam

alia

alia ejuſdem *Theophanis* Opuſcula adhuc in Bibliotheca Vaticana MSS. aſſervari teſtatur *Poſſevinus in* Appendice ad *Apparatum Sacrum* pag. 16. *Iſaacus Argyrus*, Monachus Græcus, edidit *Computum*, quem verſione ſuâ ac Notis illuſtratum publicavit *Dionyſius Petavius* tomo 3. *De Doctrina Temporum* pag. 359. *Matthæus Blaſtares*, Monachus itidem Græcus, compoſuit *Syntagma*, ſeu *Synopſin Alphabeticam Rerum*, *quæ in Sacris Canonibus comprehenduntur*. Hoc *Syntagma* cum ſuis Notis in lucem extulit CL. *Beveregius*, & Græco-Latinū publici juris fecit Oxonii anno MDCLXXII. Extat quoque ejuſdem *Matthæi Blaſtaris* Opuſculum *de Cauſis ſeu Quæſtionibus Matrimonii* Græco-Latinum libro octavo *juris Græco-Romani*, quod *Leunclavius* publicavit. Cauſæ Græcorum Schiſmaticorum acerrimus propugnator fuit Nilus *Cabaſilas* Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, quippè qui contra Latinos duos edidit libros, qui adhuc extant, quorum primus eſt *de Cauſis diviſionum in Eccleſia*; Alter eſt *de Primatu Papæ*. Plurima etiam ejuſdem *Nili* Archiepiſcopi Theſſalonicenſis contra Eccleſiam Latinam Opuſcula manuſcripta recenſet *Leo Allatius* in ſua Diſſertatione *De Nilis* cap. 14. pag. 49. Odium, quo *Nilus Cabaſilas* Latinam Eccleſiam proſequebatur, æmulatus eſt ejus nepos *Nicolaus Cabaſilas*, & in Sede Theſſalonicenſi Succeſſor. Ille ſiquidem duos Tractatus contra Latinos ſcripſit, unum *de Proceſſione Spiritus Sancti*; Alterum, quo S. *Thomam Aquinatem*, ſibi refellendum ſumpſit. Qua in re inſignem nactus eſt adverſarium Scriptorem Græcum *Demetrium Cydonium* ſuperiùs à nobis citatum, qui pro defenſione Summæ S. Thomæ Aquinatis *Contra Gen-*

Gentes, ejuſque Summæ Theologicæ, egregium librum Apologeticum adornavit. Auctor eſt iſte *Nicolaus Cabaſilas* librorum ſex *De Vita in Chriſto*, quos *Jacobus Pontanus* Soc. Jeſu Theologus Latinè vertit, & publicâ luce donavit Ingolſtadii anno MDCIV. unà cum ejuſdem *Nicolai Cabaſilæ* Oratione in fœneratores, quam *Jacobus Pontanus* Latinè itidem vertit. Plura alia Opuſcula ſcripſit hic *Nicolaus Cabaſilas*, quorum aliqua typis excuſa ſunt, alia adhuc MSS. in Bibliothecis habentur, ut teſtatur *Leo Allatius* in ſua Diſſertatione *De Nilis* pag. 55. ubi eorum Catalogum texit. Denique, Græcorum, qui Sæculo XIV. aliquâ in Oriente doctrinæ laude claruerunt, agmen claudent duo Scriptores Græci cognomine *Nili*, quorum primus, ſeu *Nilus*, Metropolita Rhodius, Latinorum fuit hoſtis acerrimus, & Auctor eſt *Enarrationis Synopticæ de Sanctis & Oecumenicis Synodis*, quæ à *Juſtello* patre edita ad calcem Nomocanonis Photiani, fuit poſteà à *Juſtello* filio inſerta in *Bibliotheca Juris Canonici*. Ejuſdem *Nili* Metropolitę Rhodii *Orationem in Sanctam Matronam ex Inſula Chio oriundam* Græc-Lat. evulgavit *Leo Allatius*. Alter Scriptor Græcus, dictus *Nilus Damyla*, Monachus in Creta Inſula, Latinis pariter hoſtem infenſiſſimum ſeſe prodidit, & adversùs ipſos ſcripſit: *Opus de Ordine in divina Triade, & de Proceſſione Spiritus Sancti*, quod extat MS. in Bibliotheca Vaticana. Alios tres Tractatus contra Latinos compoſuit idem *Nilus Damyla*, qui MSS. extant in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, & quorum nonnulla fragmenta citat *Leo Allatius* in ſuis libris *De Eccleſ. Occid. & Orient. perpetuo conſenſu*.

D. Cùm

D. Cùm florentiſſimum Galliarum Regnum Viris eruditione claris ſemper abundaverit, pergratum mihi erit noſſe Scriptores Gallos, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiam, remque litterariam ſuis perdoctis lucubrationibus ornarunt, illuſtrarunt, nobilitarunt.

M. De Gallis Scriptoribus, qui Sæcul. XIII. & XIV. Monaſticam, vel Regularem vitam profeſſi, eruditione præfulſerunt, vel juris Civilis & Canonici peritiâ inſignes, maximam ſibi apud omnes famam compararunt, in hac Claſſe omninò prætermittam; quia de illis ſuo loco, ideſt, in Claſſibus, in quas utriuſque Sæculi Scriptores diſtribuimus, datâ operâ mox dicturi ſumus. In hac itaque ſecunda Virorum Illuſtrium Claſſe eos dumtaxat Scriptores Gallos reponam, qui ad Monachorum, vel Regularium, aut Juriſconſultorum Claſſes referri minimè poſſunt. Floruit in primis Sæculo XIII. in Galliis *Guillelmus de Seliniaco*, qui Archiepiſcopatu Senonenſi, & Nivernenſi Epiſcopatu ſingulari modeſtiâ recuſatis, Antiſiodorenſis Eccleſiæ, cujus Decanus erat, electus eſt Epiſcopus, & poſteà ad Sedem Pariſienſem invitus, & juſſu *Honorii III.* Pontificis, translatus fuit. Obiit anno MCCXXIII. & Author eſt *Summæ Theologicæ*, quæ typis excuſa prodiit Pariſiis anno MD. *Rigordus*, Chriſtianiſſimi Regis *Philippi Auguſti* Medicus & Chronographus, *Geſta*, ſeu *Hiſtoriam* ejuſdem *Philippi Auguſti* conſcripſit, quam *Ludovico VIII.* Galliarum Regi nuncupavit, eamque tomo 5. *Veterum Hiſtoriæ Franciæ Scriptorum* edidit *Franciſcus Ducheſnius*. Hos Scriptores eruditione & eximiâ morum pietate ſuperavit *Guillelmus*, *Alvernus* à patria cognominatus,

&

& Epiſcopus Pariſienſis omni litterarum genere inſtructiſſimus. Doctiſſimis Operibus nomen ſuum celebravit, quorum Indicem *Labbeus* in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis exhibet. Huic tamen *Guillelmo* Epiſcopo Pariſienſi tribui non debent *Dialogi ſeptem de Sacramentis*, qui ſub ejus nomine Lipſiæ anno MDXXII. & Lugduni an. MDLXVII. prodierunt. Illorum quippe *Septem Dialogorum de Sacramentis* germanum Authorem eſſe *Guillelmum* Pariſienſem juniorem ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui eodem Sæculo XIII. vixit, rectè obſervat *Theophilus Raynaldus* in libro *de bonis & malis libris* Erotemate X. Certè ſtylus ſeptem illorum Dialogorum valdè diſcrepat à ſtylo *Guillelmi* Epiſcopi Pariſienſis, & in eorum calce citantur S. *Thomas Aquinas*, & *Petrus de Tarentaſia*, qui poſteriores ſunt *Guillelmo* Pariſienſi Epiſcopo, qui obiit anno MCCXLVIII. Collegium Sorbonicum, ex quo innumeri prodierunt Viri eruditi, & de Eccleſia optimè meriti, condidit anno MCCLII. *Robertus de Sorbona*, à natali vico ita cognominatus, Canonicus primùm Sueſſionenſis, deindè Pariſienſis. Scripſit Opuſcula tria aſcetica, videlicet *de Conſcientia*; *de Confeſſione*; & *Iter Paradiſi*, quæ extant in Bibliotheca Patrum tomo XXV. *Henricus de Seguſio* Archiepiſcopus Ebredunenſis, & poſteà ab *Urbano IV.* Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis creatus, ob eximiam in utroque jure eruditionem, *Splendor & Fons juris* appellatus, ſcripſit *Summam utriuſque juris*, quæ vulgò dicitur *Aurea Summa Hoſtienſis*. Edidit etiam *Expoſitionem in ſex libros Decretalium*, juſſu *Alexandri IV.* Pontificis Maximi. *Jacobus de Vitriaco* è vico *Argentolii* propè Pariſios ortus, Ac-

Acconenſis Epiſcopus in Palæſtina, deindè Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus à *Gregorio IX.* creatus, ſcripſit libros tres *Hiſtoriæ Orientalis & Occidentalis*; *Conciones in Evangelia & Epiſtolas totius anni*; & *Vitam S. Mariæ Ogniacenſis*, quæ habetur apud *Surium* ad diem XXIII. menſis Junii. *Henricus Bonicollius*, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor, tanta cum laude Philoſophiam & Theologiam Pariſiis docuit, ut totius Academiæ Pariſienſis ſuffragio *Doctor ſolemnis* nuncupari meruerit. Multa ſcripſit Opera, inter quæ præcipuè cenſentur *Summa Quæſtionum Theologicarum*: *Quodlibeta Theologica in IV. libros Sententiarum*, & liber *de Viris Illuſtribus*, ſeu *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quem à tempore, quo deſiit *Sigebertus* Gemblacenſis Monachus, ad ſuam uſque ætatem perduxit. Inter Illuſtres Scriptores, qui Sæculo XIII. in Galliis floruerunt, locum, meâ quidem ſententiâ, habere non debent *Guillelmus de Sancto Amore*, & *Joannes de Poliaco*, quorum primus in Sacrâ Facultate Pariſienſi Doctor Theologus, contra recentes Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordines, graviſſimas, ut jam obſervavimus, in Academia Pariſienſi turbas excitavit, & adversùs illos ſcripſit libellum *de Periculis noviſſimorum temporum*, quem à capite ad calcem erroribus ſcatentem *Alexander IV.* Pontifex Maximus, poſt habitam relationem quatuor Cardinalium, quibus illum examinandum commiſerat, damnavit *tanquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem*. Alter verò, ſeu *Joannes de Poliaco*, Doctor etiam Theologus in Sacra Facultate Pariſienſi, nonnullos errores circa Sacramētum Pœnitentiæ in Scholis & Prædicationibus vulgavit, quos *Joannes XXII.* diligenti

genti excuſſos examine,& habitâ ſolerti cum S.R.E. Cardinalibus collatione,*tanquam falſos & erroneos, à ſacra doctrina devios*, auctoritate Apoſtolicâ reprobavit. Quod ſpectat Scriptores Gallos, qui Sæculo XIV. floruerunt, unum præ cæteris aliquâ laude dignum inveni, videlicèt *Nicolaum Oreſmium*, Theologum Pariſienſem,& Navarrici Collegii Gymnaſiarcham, qui poſtea ex Decano Metropolitanæ Rothomagenſis Eccleſiæ, Lexovienſis Epiſcopus creatus eſt an. MCCCLXXVII. Scripſit librum *de Communicatione Idiomatum*, Tractatum contra *Aſtrologos Judiciarios*, & Tractatum *de Mutatione Monetarum*, qui extat in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunenſis tom. XXVI. Alia quàmplurima ejuſdem *Nicolai Oreſmii* Scripta, & in his Sermones CXV. in Bibliothecis Navarrenſi, Vaticana, & Auguſtinianorum Pariſienſium MSS. aſſervata recenſet *Joannes Launojus* Doctor Pariſienſis tomo 2. *Hiſtoriæ Gymnaſii Navarrici* pag. 458. Non defuerunt quidem Sæculo XIV. in Galliis alii Academici Pariſienſes, qui Theologiam in Scholis docuerunt,& de ea libros ſcripſerunt, ut patet ex eorum Catalogo, quem *Egaſſius Bulæus* texit tomo IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, at, ut candidè fatear, iſti Academici non magnum ſibi pepererunt nomen, & in cenſum Virorum Illuſtrium venire haud merentur, eò quòd, neglecto Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum ſtudio, in pertractandis frigidis, jejunis & ſpinoſis quibuſdam Theologiæ Scholaſticæ quæſtionibus omne otium tempusque fruſtrà contriverint. Quâ de re *Nicolaus de Clemengiis* Theologus Pariſienſis (qui vixit Sæculo XIV. & obiit ineunte Sæculo XV.) in libro *de Studio Theologico*, quem *Lucas* Dac-

Dacherius edidit tomo VII. *Spicilegii*, jure merito conquéritur his verbis: *Quocircà miror Theologos noſtri temporis paginas Divinorum Teſtamentorum ita negligenter legere, & neſcio quarum ſatis ſterilium ſubtilitatum indagine ſua ingenia conterere, utque utar verbis Apoſtolicis: Languere circa quaſtiones ac pugnas verborum; & quid ſibi volunt illa verba Apoſtolica? illos procul dubio reprehendere volunt, qui omiſſa fertili ac fructuoſa arbore Sacrarum Scripturarum, in ſilvaticis & ſterilibus pabulum doctrinæ requirunt, inter quas languere dicuntur .... Solebant antiqui Patres & Theologi, quorum per Eccleſias ſunt approbata Scripta, nihil dicere vel aſtruere, niſi quod Scripturarum teſtimonio poſſet confirmari. Nunc autem plerosque videmus Scholaſticos ſacrarum inconcuſſa teſtimonia litterarum tam tenuis æſtimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam, velut inertem & minimè acutam ſibilo ac ſubſannatione irrideant, quaſi ſint majoris ponderis quæ phantaſia humanæ imaginationis adinvenit, quàm quæ Divinitas cælitùs aperuit &c.* Plura itaque de Scriptoribus Gallis in præſentia non dicam, maximè cùm de Monachis, Regularibus, & Juriſconſultis, qui Sæculis XIII. & XIV. in Galliis floruerunt, opportuniùs in ſequentibus Claſſibus, in quas illos diſtribuimus, ſermonem ſimus habituri.

D. Florueruntne in Italia Sæculis XIII. & XIV. multi eruditi Scriptores?

M. Præter Romanos Pontifices ex Italia oriundos, qui doctrinâ & pietate celebres Catholicam Eccleſiam ſumma cum laude gubernarunt, benè multi doctiſſimi Monachi, Regulares, & Juriſconſulti inſignes, Italiam Sæculis XIII. & XIV. illuſtra-

ſtrarunt perdoctis Scriptis, quæ,juxta præſcriptum ordinem, commodiùs referemus in quatuor poſtremis Claſſibus Scriptorum utriuſque Sæculi. In iſta porrò tertia Virorum eruditorum Claſſe duos dùmtaxat proferam præclaros Scriptores Italos, qui decimo quarto Eccleſiæ Sæculo litteras impensè coluerunt, & magnam nominis æſtimationem apud egregiè cordatos homines ſibi conciliarunt. Primus eſt *Joannes Villanius* Florentinus, qui libris XII. Hiſtoriam Italicè ſcripſit, à primis *Nembrothi* temporibus ad annum uſque MCCCXLVIII. quo è vivis exceſſit. Hanc *Joannis Villanii*,qui inter optimos Hiſtoricos laudatur, Hiſtoriam continuavit *Matthæus* ejus frater. Alter illuſtris Scriptor Italus, eſt *Franciſcus Petrarcha*, qui Aretii, Patre Florentino exule, natus eſt anno MCCCIV. Fuit Vir excellentis ingenii & exquiſitæ doctrinæ, *refloreſcentis*, ut ait *Eraſmus* in Ciceroniano, *eloquentiæ apud Italos Princeps*, *ſua ætate celebris ac magnus*. Parmenſis Archidiaconus, tum Cathedralis Eccleſiæ Patavinæ extitit Canonicus. Præter Epiſtolas & Carmina, quæ præſertim in canendis erga *Lauram* ſuis amoribus juvenis adhuc ſcripſit in amæna valle propè Avenionem, quam Incolæ *Clauſam* vocant,excellentes edidit Dialogos *de Remediis utriuſque fortunæ*: libros duos *de Vita Solitaria*, & totidem *de Otio Religioſorum*: Dialogos *de vera Sapientia, & de Contemptu Mundi*: *Pſalmos Septem Pœnitentiales*: librum unum *de Republica optimè adminiſtranda*: alterum *de Officio & Virtutibus Imperatoris*: libros quatuor *Rerum memorandarum*, & alia hujuſmodi elegantiſſima Opuſcula, quæ omnia typis excuſa prodierunt Baſileæ anno MDLIV. & MDLXXXI.

Teſta-

Teſtatur tamen *Caſimirus Oudinus* in Supplemento ad librum *Bellarmini* de Scriptoribus Eccleſiaſticis, librum *Franciſci Petrarchæ*, qui inſcribitur: *De caſibus Virorum Illuſtrium*, adhùc manuſcriptum reperiri in Bibliotheca Colbertina, ibidemque extare ejuſdem Authoris Rerum familiarium Epiſtolarum libros viginti quatuor manuſcriptos, quorum novem tantùm editi ſunt. Obiit *Franciſcus Petrarcha* in Arquato, agri Patavini pago, an. MCCCLXXIV. ætatis ſuæ LXX. Lubens hìc prætermitto duos inſignes Scriptores Italos, quorum primus fuit *Dantes Aligerus* Poëta eximius, patria Florentinus, qui Sæculo XIII. in Arte poëtica potiſſimùm excelluit, ſed cùm eſſet nimiùm dentatus, mordax, & maledicus obtrectator, ab ipſamet patria ſua proſcriptus eſt, exulque vivere coactus. Alter Scriptor Italus, fuit *Joannes Boccatius*, patriâ itidem Florentinus, qui Sæculo decimo quarto vixit & obiit. Plures conſcripſit libros, in quibus ſeſe obſcænum, impium, & maledicentiſſimæ linguæ virum ubique prodit.

D. Progrediamur, ſi placet, ad quartam Virorum Illuſtrium Claſſem, in qua tibi onus incumbit diſſerendi de Scriptoribus Hiſpanis, qui Sæculis decimo tertio & decimo quarto celebriores fuerunt.

M. Cùm de Scriptoribus Hiſpanis, qui Sæculis XIII. & XIV. Vitam Monaſticam, aut Regularem egerunt, ſimus ſuo loco dicturi; tres dumtaxat magni nominis, & Epiſcopalibus Infulis ornatos hìc producam Hiſpaniæ Scriptores, quorum primus eſt *Rodericus Ximenes*, gente Navarrus, & Archiepiſcopus Toletanus. Interfuit Concilio Oecu-

cumenico Lateranenſi IV. ſub *Innocentio III.* Pontifice Maximo anno MCCXV. celebrato, ubi, ob ſuam ſingularem eruditionem, ſummam, quâ pollebat, eloquentiam, & variarum linguarum peritiam magno in honore habitus eſt. Libros novem ſcripſit *de Rebus Hiſpaniæ*, ab Herculis in eas regiones adventu uſque ad annum MCCXLIII. His ſubjunxit Oſtrogothorum, Suevorum, Alanorum, & Wandalorum compendioſam Hiſtoriam. Edidit denique Hiſtoriam Arabum, & Hiſtoriam Romanorum. Hæc omnia *Roderici Ximenis* Opera *Andreas Schottus* publicavit tomo 2. *Hiſpaniæ Illuſtratæ*. Alter Scriptor Hiſpanus, qui eodem Sæculo decimo tertio floruit, eſt *Lucas*, Tudenſis Epiſcopus, patriâ Legionenſis, & *Gregorio IX.* Pontifici Maximo apprimè charus. Scripſit libros tres adverſus Hæreticos Albigenſes, quos primus in lucem emiſit *Joannes Mariana* Ingolſtadii anno MDCXII. & exinde cum Notis *Joannis Marianæ*, *Gretſeri*, & *Schotti* in Bibliothecam Patrum relati ſunt tomo XXV. Deſcripſit etiam idem *Lucas* Tudenſis Epiſcopus, juſſu *Berengariæ* Hiſpaniarum Reginæ, *Vitam & Miracula S. Iſidori*, quæ extat apud *Mabillonium* Sæculo II. Benedictino, & apud *Bollandum* ad diem IV. Aprilis. *Chronicon* quoque *S. Iſidori* multis additionibus locupletavit *Lucas* Tudenſis Epiſcopus, & ad ſuam uſque ætatem perduxit, quod ab Andrea *Schotto* editum eſt tomo 2. *Hiſpaniæ Illuſtratæ*. Tertius poſtremò Epiſcopus, qui Sæculo XIV. in Hiſpaniis floruit, eſt *Alphonſus Vargas*, patriâ Toletanus, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus, Uxamenſis primùm, deindè Pacenſis Epiſcopus, ac demùm Archiepiſcopus Hiſpalenſis, ex Ordine Eremi-

mitarum S. *Auguſtini* aſſumptus. Scripſit *Commentarios in IV. libros Sententiarum*, quos Diſcipulis in Facultate Pariſienſi dictaverat, & *Quæſtiones in Ariſtotelis libros tres de Anima*, quibus inter Theologos Scholaſticos primi ſubſellii locum obtinere meruit.

Cùm Angli Scriptores, quos in quinta Claſſe Virorum Illuſtrium conſtituimus, omnes fermè fuerint Monachi, aut Dominicani, aut Franciſcani, unum tantùm aut alterum in hac Claſſe laudabo; de Monachis verò, Dominicanis, & Franciſcanis Scriptoribus, qui ex Anglia oriundi Sæcula decimum tertium, & decimum quartum eruditione illuſtrarunt, copiosè in his Claſſibus, in quas illos ordinavimus, dicturus. Floruit itaque in Anglia Sæculo decimo tertio *Gervaſius Tilberienſis*, ita cognominatus à *Tilberia*, quod Oppidum eſt in Anglia, in littore Thameſino ſitum. *Henrici III.* Anglorum Regis nepos fuit, à quo ditionis Arelatenſis Mareſcallus factus, non modò Regis ſui, ſed & *Ottonis IV.* Imperatoris benevolentiam ſibi conciliavit. Scripſit *Commentarium de Imperatorum Romanorum, Gothorum, Lombardorum, Britonum, Francorum, Anglorumque Regnis*. Edidit etiam librum *de Mirabilibus Mundi*, & *Hiſtoriam Angliæ tripartitam*, quam *Baleus* digeſſit in tres columnas, atque indè *Tricolumnium* inſcripſit. Alia ejuſdem *Gervaſii* Opera recenſent *Baleus*, *Pitſeus*, & alii, qui Scriptorum Anglorum Catalogum texuerunt. Alter Scriptor, qui eodem Sæculo XIII. in Anglia eruditionis laude claruit, appellatur *Robertus*, Epiſcopus Lincolnienſis, dicitur etiam *Groſthead*, Gallicè, *Groſſe teſte*. Hunc *Robertum*, Lincolnienſem Epi-

ſcopum, magnis encomiis celebrant Scriptores Angli, aſſeruntque, eum, præter paupertatem, vitæ Sanctimoniam, reliquasque virtutes Chriſtiano Præſule dignas, ingentis animi fuiſſe, acris ingenii, in re litteraria ad ſummum penè apicem evectum, in litteris ſacris pariter ac profanis, in linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ ſcientia, in Aſtronomia, & univerſa Philoſophia ſupra communem Doctorum ſortem eruditum. Idem tamen *de Roberto* Lincolnienſi Epiſcopo judicium non ferunt alii Scriptores ob acriorem illam, quam ad *Innocentium IV.* Pontificem Maximum ſcripſit Epiſtolam, quæque eum Pontifici ita inviſum reddidit, ut ab eo fuerit anathemate perculſus, ſicut teſtatur *Henricus Knigton* natione Anglus, Canonicus Regularis Monaſterii Leicaſtrenſis, qui ſub finem XIV. Sæculi claruit, in ſuo *Chronico de eventibus Angliæ* quinque libris comprehenſo. Multa Opuſcula & Commentaria ſcripſit *Robertus* Lincolnienſis Epiſcopus, varios Sermones, Tractatus, & alia Opera, quorum quædam edita ſunt, alia adhùc manuſcripta in Bibliothecis aſſervantur. Verùm, inter Scriptores Anglos Sæculi decimi tertii principem locum meritò obtinere debet *Edmundus Rich*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, doctrinâ celeberrimus, & ſanctitate adeò inſignis, ut in Sanctorum album ab *Innocentio IV.* Pontifice Maximo relatus fuerit. Scripſit Sanctus ille Archiepiſcopus *Speculum Eccleſiæ*, quod extat in Bibliotheca Patrum tomo xxv. Scripſit etiam *Conſtitutiones XII.* quas vulgavit *Linuodus* in *Provinciali Anglico*.

Eâdem brevitate expediam me à Scriptoribus Germanis, quos in ſexta Virorum Illuſtrium Claſſe col-

collocavimus. Licèt enim benè multi Monachi, & Religioſi Viri tàm ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quàm ex Ordine Fratrum Minorum, Germaniam Sæculis XIII. & XIV. perdoctis ſuis Scriptis illuſtrarint, eos tamen in iſta Claſſe non recenſebo, utpotè de illis, eorumque Operibus, in his, quas mox ſubjiciam, Virorum Illuſtrium Claſſibus abundè dicturus. Hos itaque dumtaxat Scriptores Germanos hìc laudabo, qui ad ſequentes Claſſes revocari non poſſunt. Sub initium decimi quarti Eccleſiæ Sæculi claruit in Germania *Siffridus*, Miſnenſis Eccleſiæ in Saxonia Presbyter, qui ſcripſit *Chronicon* ab Orbe condito uſque ad annum MCCCVII. quod *Piſtorius* tomo I. *Rerum Germanicarum* edidit. Nonnulli hunc *Siffridum* perperâm confundunt cum altero *Siffrido* Ordinis Prædicatorum, Cyrenenſi Epiſcopo titulari, & Moguntini Archiepiſcopi Vicario, cujus meminit *Trithemius*. Hic enim *Siffridus*, Ordinis Prædicatorum, floruit decimo quinto Sæculo, hoc eſt, circa annum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum. *Albertus Argentinenſis*, natione Germanus, Sæculo decimo quarto, hoc eſt, circà annum MCCCLXXVIII. eruditionis famâ toti Orbi innotuit & ſcripſit *Chronicon* à *Rudolphi Habſpurgenſis* Imperio uſque ad *Caroli IV.* Imperatoris mortem, hoc eſt, ab anno MCCLXXIII. uſque ad annum MCCCLXXVIII. quod editum eſt à *Chriſtiano Urſtiſio*, cum aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus. Denique, ſub finem ejuſdem Sæculi decimi quarti virtute & doctrinâ præluxit in Germania *Marſilius ab Ingen*, Eccleſiæ S. *Andreæ* Colonienſis Canonicus & Theſaurarius, Heidelbergenſis Academiæ Conditor, primusque Doctor ac Rector.

Scripſit *Commentaria in IV. libros Sententiarum*,quæ typis excuſa prodierunt Argentorati anno MDI. Alia ejuſdem Authoris Scripta recenſet *Baleus* Centuriâ VII. Cap.v. quæ adhuc in tenebris deliteſcunt. Sed hos Scriptores breviter indicaſſe, & digitum, ut fieri ſolet,ad fontes intendiſſe ſufficiat. Pergamus nunc ad ſeptimam Claſſem Virorum Illuſtrium, in qua locum dedimus omnibus Monachis, qui Sæculis XIII. & XIV. in diverſis Orbis nationibus inſignes extiterunt.

D. Cedo, ſi placet, nomina,patriam,& Scripta omnium Monachorum, qui tum doctrinâ, tum pietate Sæculis XIII. & XIV. in diverſis Orbis nationibus inſignes extiterunt.

M. Ordiar ab his Monachis, qui Sæculum XIII. eruditione illuſtrarunt. In primis *Dodechinus* natione Germanus, Abbas Cœnobii S. *Dyſibodi*, ſcripſit Hiſtoriam Sanctam, ſive de peregrinatione in Palæſtinam, & Appendicem ad Chronicon *Mariani Scoti* ab anno MLXXXIV. uſque ad annum MCC. *Helinandus*, natione Gallus,Monachus *Frigidi Montis*, Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Bellovacenſi, Hiſtoriam ab Orbe condito uſque ad annum milleſimum ducenteſimum quartum ſcripſit libris XLVIII. comprehenſam, quam P. *Bertrandus Tiſſier* tomo VIII. Bibliothecæ Ciſtercienſis edidit, unà cum ejuſdem *Helinandi* Sermonibus, & Epiſtola ad *Galterum*. Scripſit etiam idem *Helinandus* Martyrium S. *Gereonis*, & Sociorum, Sanctorumque *Victoris, Caſſii, Florentii*, & aliorum, quod extat apud Surium ad diem X. Octobris. *Petrus*, natione Gallus, Monachus *Vallis Cernaij*, Ordinis Ciſtercienſis, in Pariſienſi, vel,ut habet *Aubertus Miræus*,in Car-

notenſi Diœceſi, ſcripſit *Hiſtoriam Albigenſium*, & *ſacri Belli*, quod in eos ſuſceptum eſt, Duce & Principe *Simone Monfortio*, Comite poſteà Toloſano, eamque *Innocentio III.* Pontifici Maximo nuncupavit. Hanc *Petri de Valle Cernaij* Hiſtoriam Albigenſium primus in lucem extulit *Nicolaus Camuzacius*, Trecenſis Canonicus, anno MDCXV. & deindè tom. V. Hiſtoricorum Francorum *Franciſci Ducheſnii*, & tomo VIII. *Bibliothecæ* Ciſtercienſis inſerta fuit. *Guntherus*, Monachus Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Baſileenſi, ſcripſit ex ore *Martini* Abbatis, qui rebus geſtis interfuerat, *Hiſtoriam captæ à Latinis, Duce Balduino, Urbis Conſtantinopoleos*, quam Hiſtoriam edidit *Caniſius* tomo V. Antiquæ Lectionis. *Arnoldus*, primò Hildeſeimenſis Præpoſitus, & poſteà Lubecenſis Abbas, Chronico Sclavorum, cujus Author eſt *Helmoldus* Presbyter, Supplementum addidit, hoc eſt, illud continuavit ab anno MCLXXI. ad annum uſque MCCIX. Eum in rebus Sclavonicis præcipuè mereri fidem, ſed in cæteris parùm diligentiæ præſtitiſſe, obſervat *Voſſius* lib. 2. de *Hiſtoricis Latinis* cap. 55. Eodem Sæculo decimo quarto *Otto à Sancto Blaſio*, Monachus S. *Blaſii*, Ordinis Benedictini, in Diœceſi Conſtantienſi, ad Chronicon *Ottonis Friſingenſis* Appendicem adjecit, quam ab anno MCXLVI. ubi deſiit *Otto Friſingenſis*, perduxit uſque ad annum MCCX. Ejuſdem Ordinis Benedictini Monachus fuit *Matthæus Paris*, ſeu *Pariſius*, natione Anglus. Scripſit Hiſtoriam Anglicanam à *Guillelmi* Conqueſtoris adventu uſque ad annum quadrageſimum tertium *Henrici III.* Angliæ Regis, hoc eſt, ab anno MLXVI. uſque ad an. MCCLIX. quo vivere deſiit. Scripſit etiam idem *Matthæus*

Pariſius Hiſtoriam minorem, in qua compendiosè narrat ea, quæ prolixiùs in Hiſtoria majori prodiderat; item Additamenta ad Hiſtoriam, & Vitas aliquot Sanctorum, & Geſta Abbatum Cœnobii Albanenſis, cujus erat alumnus. Hic tamen obitèr obſervare debes, hunc Scriptorem, *Matthæum Pariſium*, nullam mereri fidem in his, quæ ſcripſit de Eccleſia Romana, & de Summis Pontificibus, quos paſſim injuriarum plauſtris onerat, & canino dente carpit, mordet & exagitat. Hinc *Henricus Spondanus* in Continuatione *Baronii* ad annum MCCXXV. Num. VI. ait, ſe nullam adhibere fidem *Matthæo Pariſio in rebus Pontificum & Eccleſiæ Romanæ mentiri ſolertiſſimo*. Nec ſilentio prætermittere poſſum judicium, quod de eodem Hiſtorico, *Matthæo Pariſio*, profert *Baronius* ad annum nongenteſimum nonageſimum ſextum his verbis: *Quàm fuerit animo infenſiſſimo ergà Apoſtolicam Sedem, quivis facilè poterit intelligere: niſi probra illa fuerint additamenta ejus qui edidit. Quæ ſi quis demat, aureum ſanè dixeris Commentarium, utpotè quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum & coagmentatum inveniatur*. Miſſos facio, brevitatis ergo, multos alios Monachos, qui Sæculo XIII. aliquâ eruditionis laude claruerunt, tresque dumtaxat ſubnectam, qui Claſſi Monachorum eruditorum ejuſdem Sæculi XIII. jure merito accenſeri debent. Primus eſt *Cæſarius*, natione Germanus, Cœnobii Heiſterbacenſis in Diœceſi Colonienſi Ordinis Ciſtercienſis Monachus, qui Libros, ſeu Dialogos XII. ſcripſit *de Miraculis & Viſionibus ſui temporis*. Scripſit etiam idem *Cæſarius* tres libros *de Vita S. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis*: plures *Homilias*,

lias, ſeu *Conciones Morales ſuper omnes Dominicas & Feſta totius anni*, & alia Opera, quæ exhibet *Carolus Viſchius* in Bibliotheca Ciſtercienſi. Obſervant tamen periti Critici, *Cæſarium* Monachum fuiſſe nimiùm credulum, quippè in ſuis XII. Dialogis *de Miraculis & Viſionibus* non ſatis accurato Criterio veras Hiſtorias à falſis ſecrevit, & interdum nugas & fabulas, quas undique corraſit, ſine ullo prorſus delectu inſeruit. *Cæſario* Monacho eruditione inferior non fuit *Godefridus* Monachus, natione itidem Germanus, qui ſcripſit Annales ab an. MCLXII. ad annum MCCXXXVII. quos primus in lucem edidit *Marquardus Freherus* inter Scriptores Germanicos tomo I. pag. 229. Ultimus Sæculi XIII. Monachus, qui inter Scriptores eruditos locum habere debet, eſt *Guillelmus de Nangis*, natione Gallus, Ordinis S. *Benedicti* in Cœnobio Sandionyſiano propè Pariſios. *Chronicon* ſcripſit ab Orbe condito ad annum MCCCI. Hoc *Guillelmi de Nangis* Chronicon continuavêre poſteà duo Anonymi Monachi ejuſdem Cœnobii Sandionyſiani, quorum prior deſinit in anno MCCCXL. Alter in anno MCCCXLVIII. Scripſit quoque idem *Guillelmus Nangius* Geſta S. *Ludovici* Galliarum Regis, ejusque filii *Philippi*, cognomento *Audacis*. Chronicon *Guillelmi Nangii* ab anno dumtaxat MCXIII. unà cum ejuſdem Chronici duabus Monachorum Anonymorum continuationibus exhibet *Lucas Dacherius* tomo XI. *Spicilegii*, Geſta verò, ſeu Hiſtoriam, quam idem *Guillelmus Nangius* deſcripſit, S. *Ludovici* Galliarum Regis, ejusque filii, cognomento *Audacis*, inter alios Scriptores Hiſt. Francorum evulgarunt *Pithœus*, & *Ducheſnius*.

Ex Monachis Scriptoribus, qui Sæculum XIV. eruditione illuſtrarunt, duos tantùm hic proferam videlicèt *Engelbertum*, & *Henricum Steronem*, quorum primus, ſeu *Engelbertus*, natione fuit Germanus, Monachus Ordinis S. *Benedicti*, & Cœnobii Admontenſis in Styria Abbas. Scripſit librum *de ortu, progreſſu & fine Imperii Romani*, qui editus eſt Baſileæ anno MDLIII. & extat tomo XXV. Bibliothecæ Patrum. Scripſit etiam *Engelbertus Carmen Heroicum*, ſeu *Panægerim* in Coronationem *Rudolphi Habſpurgenſis* Imperatoris, & hæc *Panægeris* in Collectione Hiſtoricorum Germanicorum reperitur. Plura alia Opera Theologica, Philoſophica & Aſcetica eidem *Engelberto* Monacho attribuit *Poſſevinus* in Apparatu. Alter Monachus, ſeu *Henricus Stero*, natione paritèr Germanus, & Benedictini Ordinis in Altaicho Germaniæ Cœnobio Monachus fuit. Annales ſcripſit ab anno primo *Friderici Barbaroſſæ* Imperatoris, uſque ad annum primum *Rudolphi Habſpurgenſis* Imperatoris, ideſt, ab anno MCLII. uſque ad annum MCCLXXIII. Annales iſtos primus edidit *Marquardus Freherus* inter Scriptores Rerum Germanicarum, ſed illos auctiores dedit *Henricus Caniſius* tomo I. Antiquæ lectionis. Scripſit etiam idem *Henricus Stero* Hiſtoriam *de rebus geſtis Rudolphi Habſpurgenſis, Adolphi Naſſavii, & Alberti Auſtriaci Imperatorum* ad annum uſque MCCC. cui Appendicem uſque ad annum MCCCXXXV. addiderunt *Ulricus* & *Conradus Wellingi* fratres, Monachi Cœnobii Auguſtani Sanctorum *Uldarici* & *Afræ*, Ordinis Benedictini. Hanc *Henrici Steronis* Hiſtoriam cum *Wellinghorum* continuatione publicavit *Marquardus Freherus* tomo I. *Scriptorum*

Rerum

Rerum Germanicarum anno MDC. Ex hac *Henrici Steronis* Hiſtoria, ut obſervant eruditi Critici, *Eberardus*, natione Germanus, Cœnobii Altahenſis Ordinis Benedictini Monachus, qui Sæcul. XIV. floruit, plurima hauſit, ac retulit in Annales, quos edidit, *de Ducibus Auſtriæ*, *Bavariæ*, *& Sueviæ*, quique extant apud *Henricum Caniſium* tom. 1. Antiq. lect. Sed ſatis diximus de Monachis, qui Sæculis XIII. & XIV. floruerunt. Nunc paulò altiora canamus, & de celeberrimis toto Orbe Scriptoribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, quos in octava Virorum illuſtrium Claſſe conſtituimus, uberiùs diſſeramus, eorumque Scripta liberiori ſtylo proſequamur.

D. Innumeros ex Clariſſimo Fratrum Prædicatorum Ordine, cujus inſtitutor fuit S. *Dominicus*, ex nobiliſſima Guſmanorum familia in Hiſpania natus, prodiiſſe Scriptores, qui perdoctis ſuis Operibus graſſantes hæreſes extirparunt, Schiſmata extinxerunt, Theologiam illuſtrarunt, fidelium mores ad pietatem informarunt, atque de univerſa Eccleſia optimè meriti ſunt, unâ voce omnes prædicare ac publico ſermone celebrare ſolent. Quocircà, te etiam atque etiam rogo, ut nobiliores Scriptores Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Sæculis XIII. & XIV. Eccleſiam doctrinæ ſuæ ſplendore colluſtrarunt, hìc in medium proferas, eorumque præclara geſta, & Opera, quæ ſcripſerunt, compendioſâ quidem, ſed accuratâ narratione recenſeas.

M. Bibliothecam omnium Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum, cæteris, quæ hactenùs in lucem prodierunt, longè accuratiorem, nupèr

pèr adornavit doctiſſimus noſter *Jacobus Echardus*, eamque duobus Tomis in Folio comprehendit, qui nunc ſub Pariſienſi prælo ſudant, publicâ propediè̀m luce donandi. In ea ordinanda Bibliotheca diù multùmque inſudavit vir ille doctiſſimus, & in id totus incubuit, ut Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui jam noti erant, diligenti Criterio recenſeret ac vindicaret Opera, aliorum verò ejuſdem Ordinis Scriptorum, qui antehàc incogniti erant, quique in Bibliothecarum angulis ad tineas & blattas relegati deliteſcebant, manuſcriptos codices è tenebris erueret, in publicam lucem revocaret, atque doctiſſimis Notis Criticis & Hiſtoricis illuſtraret. Hoc utiliſſimum Opus dùm expectant Viri eruditi, ipſe, ne officio meo deeſſe videar, illuſtriorum ſaltèm Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Sæculis XIII. & XIV. eruditionis & pietatis laude claruerunt, ſeriem breviter, quantùm fieri poterit, deſcribam, eorumque genuina Opera à ſpuriis ſecernere pro viribus ſatagam.

Catalogum omnium Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum incipiunt nonnulli à S. *Dominico*, Sanctiſſimo ejus Inſtitutore. Aſſerit quippè *Antonius Senenſis* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum, S. *Dominicum* edidiſſe contra Albigenſes duos libros, qui in ignem conjecti ad Catholicam fidem probandam, diverſis vicibus, inſigni miraculo, ab igne penitùs illæſi reſilierunt. Eidem S. *Dominico* Commentarios in Epiſtolas S. *Pauli*, in Epiſtolas Canonicas, in Pſalterium, in Evangelium S. Matthæi, & in Apocalypſim tribuit *Antonius Senenſis*, & poſt eum *Poſſevinus*,

vinus, quos ſequitur noſter *Maluenda* in Annal. Ordinis Fratrum Prædicatorum. Alii denique volunt, S. *Dominicum* eſſe Authorem cuiuſdam Tractatus *de Corpore Chriſti*. Verùm, quin aſſenſum his Scriptoribus præbeamus, hæ rationes obſtant. Primò, quia *Petrus de Valle Cernaij* in ea, quam edidit, *Hiſtoria Albigenſium*, non librorum meminit, quos adversùs Albigenſes ediderit S. *Dominicus*, ſed unius dumtaxat Schedulæ, quæ âd confundendos Hæreticos ab ipſo in ignem conjecta evidenti miraculo illæſa evaſit. Prætereà, nemo ex iis, qui S. *Dominici* geſta olim memoriæ prodiderunt, meminit, ab eo ſcriptos fuiſſe ullos libros, cùm alioquì nonnulla longè minutiora, ſeu minoris momenti, non taceant *Vincentius Bollovacenſis*, *Humbertus*, *Theodoricus*, & *S. Antoninus*. Non eſt autem veroſimile, antiquos omnes S. Dominici Encomiaſtes fuiſſe adeò oſcitantes, ut rem, quæ Sanctum illum Patriarcham haud parùm commendaſſet, ignoraverint; vel ſi noverint, altiſſimo ſilentio edita ab ipſoOpera præterire voluerint. Tertiò, quis ſuum in animum inducat, tantam fuiſſe Fratrum Ordinis Prædicatorum incuriam, ut non ſolùm Inſtitutoris ſui Opera ſilentio premi, & oblivione intercidere, ſed negligentiâ non ferendâ omninò perire permiſerint, cùm alia variorum Scriptorum Opera longè minoris pretii maxima veneratione ſervaverint, & ad poſteritatem tranſmiſerint. Tractatum *de Corpore Chriſti* non eſſe adjudicandum S. *Dominico*, ſed potius Fratri *Dominico de Pantaleonibus*, qui in Ordine Fratrum Predicatorum multò poſt S. *Dominicum* vixit, teſtantur Scriptores Dominicani, *Suſatus* in Chronico, & *Antonius*

nius Senenſis in Bibliotheca, quos ſequitur *Maluenda* in Annalibus. Cæterùm, etſi S. *Dominicus* inter Scriptores locum non habeat, omnium tamen virtutum, doctrinæ, & præclarè geſtorum gloriâ illuſtris fuit, atque fœcundiſſimus parens omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, quos peperit Ordo Prædicatorum, & quorum calamis Fidem Catholicam propugnavit, ejuſque dogmatum adversùs Hæreticos aſſeruit & illuſtravit veritatem, ſicut in ſequenti Colloquio oſtendemus.

Scriptorum itaque Ordinis Fratrum Prædicatorum Catalogum ordiar à B. *Jordano*, è Saxonia nobili genere oriundo, Theologo Pariſienſi, & ejuſdem Ordinis poſt S. *Dominicum* Generali Magiſtro electo in Comitiis Pariſienſibus anni MCCXXII. Hic Sapientiſſimus Ordinis moderator, præter ardentiſſimum ſalutis animarum deſiderium, quo, S. *Dominicum* imitatus, jugitèr flagrabat, ſingulari doctrinâ, religioſâ prudentia, ac multis aliis præclaris virtutibus, quæ ipſi omnium admirationem conciliabant, emicuit. Poſt celebrata Pariſiis Comitia Generalia anno MCCXXXVI. Loca Sancta Palæſtinæ inviſere, & Ordinis Conventus his in partibus conſtitutos viſitare deliberaverat. Sed ejus conſilia inopinatum interturbavit naufragium, & Ordini hunc ſummum Virum eripuit. Navi ſi quidem, quâ vehebatur, atroci irruente tempeſtate ſubmerſa eſt. Ejus tamen corpus repertum, in Acconenſe Fratrum Prædicatorum Cœnobium delatum eſt, ibique honorificè conditum. Hujus Viri Sanctitatem poſt ejus obitum Deus miraculis illuſtravit, ut videre eſt in ejus vita, quæ extat apud *Surium*, & apud *Bollandum* ad diem XIII. menſis Februa-

bruarii. Egregia eruditionis ac pietatis monumenta reliquit B. *Jordanus*. Duos libros, unum *de Ponderibus*, & alterum *de Lineis*, teſte *Nicolao Triveto* in Chronico ad annum MCCXXII. ſcripſerat B. *Jordanus*, antequàm Ordini Prædicatorum nomen daret, ex quibus eum in ſæcularibus ſcientiis, & præcipuè in Mathematicis Diſciplinis excelluiſſe facilè colligitur. Sublimioribus deindè ſcientiis navatâ operâ, plures utiliores compoſuit libros. Scripſit enim librum *de initio Ordinis Fratrum Prædicatorum*: Epiſtolas plures ad Fratres, quorum nonnullæ editæ, aliæ adhùc manuſcriptæ leguntur. Conſcripſit etiam *Commentarium in Apocalypſim*; qui confundi non debet cum *Commentario in Apocalypſim*, quem lucubravit alter *Jordanus*, natione itidèm Saxo, Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini, qui floruit decimo quarto Sæculo. Alia denique in *Priſcianum*, & ad Grammaticam ſpectantia Opuſcula ſcripſit B. *Jordanus*, atque Author eſt piæ cujuſdam rationis Orandi B. Virginem, ergà quam ſingulari pietate erat affectus, quæ *Coronula B. Virginis* dicitur. Ad promovendum in Ordine Fratrum Prædicatorum cultum B. Virginis, hunc morem inſtituit B. *Jordanus*, ut Religioſi hujus Ordinis, poſt perſolutum *Completorii*, quod vocant, Officium, ſolemnitèr canerent Antiphonam *Salve Regina* &c. qui mos apud Fratres Prædicatores etiamnùm laudabilitèr viget ac frequentatur.

Vincentius, natione Gallus, patriâ Burgundus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Conventus *Bellovacenſis*, undè ſuum cognomen ſumpſit, alumnus, Regnante in Galliis S. *Ludovico*, floruit, ſuumque magnum, & ex variis Auctoribus deflo-

ratum

ratum cõcinnavit *Speculum*,quod in quatuor partes ab ipſo fuiſſe diſtributum, videlicèt in *Naturale*, *Doctrinale*, *Hiſtoriale*, & *Morale*, communis erat eruditorum opinio, antequàm perdoctus noſter *Jacobus Echard* antiquiſſimũ manuſcriptum Codicem *Speculi* Vincentii Bellovacenſis detexiſſet in Collegii Sorbonę Bibliotheca. Ex eo ſiquidem manuſcripto Codice Sorbonico Clariſſimus ille Auctor, in libro, quē nuperrimè in lucem edidit, & cui hunc titulum præfixit: *Summa S. Thomæ vindicata*, hanc pervulgatam opinionem exploſit, & ſole clariùs evicit, *Vincentium Bellovacenſem* non in quatuor partes, ſed in tres dumtaxat ſuum diviſiſſe *Speculum*, ſcilicèt in *Naturale*, *Doctrinale*, & *Hiſtoriale*, ſubindèque quartum Speculum, ſeu Morale, quod tribus præcedentibus aſſutum eſt, tanquam ſpurium ac planè ſuppoſititium eſſe rejiciendum. In primo Speculo, ſeu *Naturali*, quidquid eſt in Mundo viſibilium & inviſibilium juxtà ſex dierum creationis ſeriem congruentiſſimè complectitur *Vincentius Bellovacenſis*. In ſecundo Speculo, ſeu *Doctrinali*, ſcientias & artes omnes à Grammatica ad Theologiam uſque pervadit. In tertio Speculo, ſeu *Hiſtoriali*, Geſta omnium gentium ab ipſis mundi primordiis ad annum uſq; milleſimum ducenteſimum quinquageſimum proſequitur. Ad iſtud ampliſſimum perficiendum Opus, S. *Ludovicus*, Galliarum Rex, ſumptus liberalitèr ſuppeditavit, quibus opus erat ad comparandum innumeros propemodùm codices, quibus uſus eſt *Vincentius Bellovacenſis* in illo immenſi planè laboris conſcribendo Opere, ex quo eum fuiſſe indefeſſi ſtudii, variæ eruditionis, & infinitæ Lectionis virum, facilè quiſquis judicare poteſt.

poteſt. Alia Opuſcula ſcripſit *Vincentius Bellovacenſis*, videlicèt libros quatuor *De Gratia Dei*, ſive *De Myſterio Redemptionis humanæ*: librum unum *de Laudibus B. Virginis Mariæ*: Alterum librum *de Laudibus S. Joannis Evangeliſtæ*: librum unum *de Eruditione Puerorum Regalium* ad *Margaritam* Galliarum Reginam, S. *Ludovici* conjugem: denique *Conſolatorium de morte amici*, ad S. *Ludovicum* Galliarum Regem. Non me fugit, diſertum noſtrum *Melchiorem Canum* vitio vertere *Vincentio Bellovacienſi*, quòd in rebus hiſtoricis plus æquò credulus fuerit. Sed advertere debuiſſet perdoctus ille Theologus, *Vincentium Bellovacenſem* in ſuo Speculo Hiſtoriali noluiſſe proprio marte deſcribere Hiſtoriam, ſed ſolùm in animo habuiſſe, ſimplicitèr referre, & ordinare ea Hiſtoriæ monumenta, quæ ex variis Scriptoribus hauſerat, à Lectoribus tamen cum aliquo delectu accipienda, ſicut ipſemet candidè profitetur in ſui Operis Prologo, Capite quarto his verbis: *Præſertim cùm hoc ipſum Opus utique meum ſimplicitèr non ſit, ſed eorum potiùs ex quorum dictis ferè totum illud contexui. Nam ex meo ingenio pauca, & quaſi nulla addidi. Ipſorum igitur eſt auctoritate, meum autem ſola partium ordinatione.* Qua in re non culpandum, ſed potiùs laudandum eſſe cenſeo *Vincentium Bellovacenſem*, quippè qui multa Hiſtoriæ monumenta, velut varia Auctorum, ex quibus ea excerpſit fragmenta, aliàs peritura, poſteris ſervavit. Undè, ſicut etiamnum iis gratias referre ſolemus, qui vel veterum Opuſcula in Bibliothecarum angulis deliteſcentia producunt in lucem, vel Scripta, ut vocant, fugitiva, vel Epiſtolas, Diſſertationes leviores, & ſimilia, ſuis Dia-

riis inſerta ab interitu ſecura reddunt, quamvis in his haud pauca ſint, quæ accuratum lectoris examen ac delectum poſtulent; ita etiam fateamur neceſſe eſt, nos plurimùm debere *Vincentio Bellovacenſi*, qui in ſuo Opere quàm plurima Hiſtoriæ monumenta, quaſi fragmenta ex variis Scriptoribus collecta, expeditâ methodo diſpoſuit, digeſſit, ordinavit, & ab interitu vindicavit, ut deinceps prudens & ſagax lector ea non promiſcuè & indiſcriminatim, ſed prævio adhibito examine ac delectu accipere ac diſcernere poſſet.

Hugo de Sancto Caro, natione Gallus, ex *Barcinoneta*, Oppido Delphinatus, oriundus, Ordinem Fratrum Prædicatorum Sæculo XIII. doctrinâ ſuâ maximè illuſtravit. Ex Doctore Theologo Pariſienſi, & Provinciali Franciæ, primus Ordinis Fratrum Prædicatorum ab *Innocentio IV.* Pontifice Maximo creatus eſt Cardinalis Tituli S. *Sabinæ*, & Legationibus Apoſtolicis in Germania & Gallia, pręclarè functus. *Hugonem de Sancto Caro* fuiſſe Archiepiſcopum Lugdunenſem quidam ſcribunt, ſed certa illius Eccleſiæ monumenta illos falſi convincunt. Satis ad ſummi illius viri gloriam ornamenta ſunt, quę reverà poſſedit, etſi adſcititia, ſeu aliundè emendicata ei non accerſatur dignitas. *In Vetus ac Novum Teſtamentum Commentarios* locupletiſſimos edidit, quadruplicem Sacrorum Codicum ſenſum perſpicuâ, doctâ, piâ, ſolidâque brevitate exponens. Compoſuit etiam *Speculum Sacerdotum & Eccleſiæ*: *Sermones de Tempore & de Sanctis*. Auctor eſt quoque *Expoſitionis Specialis in Pſalmos*, uti teſtantur S. *Antoninus*, *Bellarminus*, *Simlerus*, & *Labbeus*, qui Minoritarum, hanc Expoſitionem in Pſal-

Pſalmos *Alexandro Halenſi* perperàm adſcribentium, figmentum rejiciunt. Sed inter Opera, quæ edidit noſter *Hugo à Sancto Caro*, liber *Concordantiarum*, ob ingentem utilitatem, quam ex illo Sacrorum Bibliorum ſtudioſi percipiunt, primas tenet. Opus ſanè apprimè neceſſarium, ingenti labore, ſummâque diligentiâ compoſitum, in quo concinnando fertur, quingentos Fratres Ordinis Prædicatorum adhibuiſſe manus, Operis Præſide, Authore,& Ordinatore *Hugone à Sancto Caro*. Obiit doctiſſimus ille Cardinalis anno MCCLXIV. ejuſque corpus Lugdunum in Galliis translatum apud Fratres Prædicatores ſepultum eſt.

Joannes Columna, Patriâ Romanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptus, claruit eodem Sæculo XIII. ſeu anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, non verò Sæculo decimo quarto, ſicut ait *Trithemius* Abbas, ducem errantem ſecutus *Philippum Bergomatem*, qui libro XIII. *Supplementi Chronicorum* refert noſtrum *Joannem Columna* ad Sæculum XIV. ſeu ad annum MCCCXIII. Compoſuit *Joannes Columna* libros decem, quos *Mare Hoſtoriarum* inſcripſit. Sed hoc Opus, quod interdùm laudat B. *Antoninus*, adhuc ineditum eſt, ſicut & aliud Opus, quod ſcripſit idem noſter *Joannes Columna*, *De Viris Illuſtribus*, quodque ipſe Romæ in Bibliotheca Caſanatenſi apud Fratres Prædicatores Conventus Minervitani manuſcriptum perlegi. Opus profectò rerum delectu, ſtyli elegantiâ, & argumentorum varietate, dignum amicâ manu, quæ illud è tenebris tandem aliquandò in publicam lucem educat. Præter hæc Opera à noſtro *Joanne*

Columna lucubrata, ipſum quoque *Pontificum Hiſtoriam* conſcripſiſſe, teſtatur Auctor Operis *De Hierarchia Subcœleſti*; quod manuſcriptum extat Pariſiis in Bibliotheca Victorina.

Humbertus de Romanis natione Gallus, ſic dictus ab oppido *Romans* Viēnenſis Diœceſis in Delphinatu, quod *Humberti* natale ſolum fuit, Ord. Fratrum Prędicatorum Pariſiis in Cœnobio *S. Jacobi* nomen dedit, & poſtquàm litteras ſacras ac Theologiam ſumma cum laude docuiſſet, ob eximiam pietatem & doctrinam electus eſt in Comitiis anni MCCLIV. Budæ in Hungaria habitis quintus Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis Magiſter. Hanc præfecturam ſapientiſſimè geſſit *Humbertus* eo præſertim tempore, quo *Guillelmus à Sancto Amore*, Pariſienſis Doctor, Ordinibus Religioſis infenſiſſimus, cum aliis ejuſdem farinæ ſociis junctus, concionibus, & libris, ingentem Fratribus Prædicatoribus & Minoribus invidiam conflabat, & totus in eorum perniciem incumbens, haud levem eis moleſtiam faceſſebat. Has *Guillelmi à Sancto Amore* in Ordinem Fratrum Prædicatorum molitiones prudentiâ ſua diſſipavit, & Ordini graviſſimis jactato procellis tranquillitatem reſtituit *Humbertus*. Tandem cùm novem annos Ordinem Sanctiſſimè rexiſſet, in Comitiis Londinenſibus ann. MCCLXIII. in quibus Sanctus *Thomas Aquinas* jure ſuffragii pro Provincia Romana potitus eſt, Præfecturam abdicavit, & in Cœnobium Valentinum ad Rhodanum ſeceſſit, ubi obiit anno MCCLXXVII. Scripſit *Humbertus Commentarios in Regulam S. Auguſtini*: libros ſex *De Eruditione Religioſorum*, qui etiam *Speculum Religioſorum* inſcribuntur; Tractatum *De*

Votis

Votis Subſtantialibus Religionis : librum *De Officiis Ordinis Prædicatorum* : & libros duos *de Arte concionandi*, ſeu *de modo promptè cudendi Sermones*, qui duo poſtremi libri confundi non debent cum alio Opere in quatuor libros diviſo, quod eumdem præfert titulum, ſeu *de modo promptè condendi Sermones*, hoc ſiquidem Opus doctiſſimus *Mabillonius* in *Itinere Italico* ex manuſcripto Codice Abbatiæ S. Salvatoris Bononienſis tribuit cuidam Canonico Regulari Anonymo, qui ante extinctos Templarios vixit. *Vitas Fratrum*, ſeu librum *de Origine ac Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum*, multi Scriptores adjudicant *Humberto* Præpoſito Generali Ordinis Prædicatorum, ſed alii probabiliùs cenſent, *Gerardum de Fracheto*, natione Gallum, patriâ Lemovicenſem, egregium Concionatorem Ordinis Prædicatorum, hunc librum juſſu *Humberti* ſcripſiſſe, quem adhuc MS. extare in Monaſterio Rubræ Vallis apud Bruxellam, Duaci, & alibi, teſtatur *Gerardus Voſſius* lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 59. Scripſit etiam idem *Gerardus de Fracheto* Chronicon à creatione Mundi uſque ad annum MCCLXVI. quod in pluribus Bibliothecis adhuc MS. aſſervatur.

Albertus, Lavingæ apud Suevos ex nobiliſſima Dynaſtarum Bolſtatenſium familia oriundus, Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dedit anno MCCXXI. in quo eâ nominis celebritate claruit, ut *Magnus*, etiam vivens, vulgò appellaretur. Pariſiis magno diſcipulorum concurſu & applauſu docuit, fabulæ tamen loco haberi debet, quod tradunt nonnulli, eum videlicet, ob frequentiſſimum auditorum concurſum, Pariſiis in publica pla-

rea, longè à Conventu Fratrum Prędicatorum diſtante, quæ *Alberti Magni* nomine nuncupata ſit, Gallicè *Place Maubert*, publicè docere ſub dio coactum fuiſſe: Id, inquam, fabulæ loco haberi debet, tum quia nullo Hiſtoriæ Francorum, aut Urbis Pariſienſis Monumento id probari poteſt; tum quia etiam hujus plateæ nomen, non ab *Alberto Magno*, ſed à Feudo *Mauberti*, cujuſdam Civis Pariſienſis, derivatum eſſe, certis & indubitatis monumentis conſtat. *Albertum Magnum* Ratiſponenſi Eccleſiæ invitum præfecit *Alexander IV.* Pontifex Maximus anno MCCLIX. quâ de re *Humbertus*, quintus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, ad *Albertum Magnum* ſcripſit Epiſtolam, *Baſilio*, & *Ambroſio* dignam, quâ veluti atrociſſimum crimen illi improperat, quòd hanc dignitatem Angelicis humeris formidandam non recuſaſſet, additque, malle ſe videre *Albertum* feretro jacentem & ad tumulum efferendum; quàm Sede Epiſcopali ſublimatum. Epiſcopatum, quem invitus ſubierat *Albertus Magnus*, impetratâ poſt biennium ab *Urbano IV.* illum abdicandi veniâ, dimiſit, & veluti graviſſimâ ſarcinâ exoneratus, ad quietem vitæ religioſæ inter ſuos fratres Conventus Colonienſis rediit, ubi obiit anno MCCLXXX. & in univerſo Fratrum Prædicatorum Ordine ſacris honoribus colitur die XV. Novembris. Quantâ eruditione præditus fuerit *Albertus Magnus*, ejus Opera, quæ XXI. Tomis comprehenſa Lugduni edidit P. *Jammy* Ordinis Prædicatorum, apertè demonſtrant. Quin, & alia Opera ab ipſo lucubrata fuiſſe, quæ vel adhuc MSS. latent in Bibliothecis, vel temporis, rerum omnium edacis, injuriâ perierunt,

runt, plures aſſerunt. Quædam tamen Opera illius nomen præferunt, quæ perperàm ei tribuuntur. Libri XII. *De Laudibus Beatæ Virginis Mariæ* tomo vigeſimo editi, non *Alberto Magno*, ſed *Richardo à Sancto Laurentio*, Pœnitentiario Rothomagenſi, adjudicari debent, ut probant *Theophylus Raynaldus* in Diptychis Marianis, & *Hyppolitus Maracius* in Bibliotheca Mariana, fidemque faciunt manuſcripti Codices, ex quibus duodecim illi libri editi ſunt Duaci anno MDCXXV. Liber itidem *De Mirabilibus*, ſuperſtitionibus refertus, *Albertum Magnum* parentem non habet, ſed alium planè Auctorem, minus *Alberto Magno* ſimilem, quam homini Simiam. Liber quoque *De ſecretis Mulierum* non eſt *Alberti Magni*, nec viri cujuſpiam docti, ſed potius hominis nugaciſſimi, qui librum ex meris nugis contextum nomine ſuo edere non auſus, *Alberti Magni* nomen ei inſcripſit, ut acceptus magis ac vendibilior eſſet, non ſecùs ac impii quidem homines ſub auguſto *Salomonis* nomine libros magicæ artis, qualis eſt *Clavicula Salomonis*, edere, ac in vulgus ſpargere præſumpſerunt. Multos in Ordine Fratrum Prædicatorum diſcipulos doctrinâ & pietate conſpicuos habuit *Albertus Magnus*, præſertim S. *Thomam de Aquino*, & *Thomam Cantipratenſem*, quorum primus doctiſſimis, quæ ſcripſit, Operibus, & quibus Eccleſiam illuſtravit, ampliſſimam dicendi ſuppeditat materiam; quam inſtituti argumenti brevitas hic fuſiùs proſequi non patitur. Pauca itaque circa doctrinam & Opera S. *Thomæ Aquinatis* obſervabo, poſteà, de *Thoma Cantipratano*, qui fuit alter *Alberti Magni* diſcipulus, continenti ordine dicam.

S. *Thomas Aquinas*, Eccleſiæ Doctor, vulgò *Angelicus*, ob vitæ & doctrinæ puritatem, nuncupatus, natione fuit Italus, patriâ Neapolitanus, ex nobiliſſima Comitum Aquinatum proſapia oriundus. Monachis Caſſinenſibus, dùm adhùc quinquennis eſſet, primis litterarum rudimentis imbuendus traditus eſt, nunquàm tamen Monaſticum habitum in Cœnobio Caſſinenſi induit, quamvis aliter viſum ſit doctiſſimo *Mabillonio*, qui in ſuo *Itinere Italico* citat vetus Cœnobii Caſſinenſis Martyrologium, in quo Nonis Martii legitur, *Thomam Aquinatem primò Caſſinenſem Monachum fuiſſe, poſtmodùm in Ordine B. Dominici Fratrem Prædicatorem effectum*. Verùm, quamvis negari haud poſſit, S. *Thomam Aquinatem*, dùm adhùc quinquennis eſſet, Deo fuiſſe oblatum à parentibus, & Ordini Benedictino deſtinatum, invictis tamen argumentis demonſtrari poteſt, eum nunquàm Monachum Caſſinenſem fuiſſe. At enim, ſi Sanctus *Thomas Aquinas* Monachus Caſſinenſis fuit, antequàm Ordini Fratrum Prædicatorum nomen daret, quorsùm igitur Monachi Caſſinenſes permiſerunt, ut parentes eum è Cœnobio Caſſinenſi amotum mitterent Neapolim; quò humanioribus litteris, & Philoſophicis excoleretur diſciplinis? Cur patre, matre, ſororibus ac fratribus infrendentibus, quòd *Thomas Aquinas* Mendicantium Ordini Fratrum Prædicatorum ſeſe addixiſſet, Abbas, & Monachi Caſſinenſes parentibus ſe non adjunxerunt? Cur ſuum Religioſum ſibi contra leges Eccleſiæ ſublatum non conqueſti ſunt? Profectò Monachi Ciſtercienſes Cœnobii Foſſæ Novæ *Thomam Aquinatem* apud ſe ſepultum ſibi ereptum vehementer indolue-

luerunt, & ad Summum Pontificem ſuas querimonias detulerunt, eritne credibile, Monachos Caſſinenſes *Thomam Aquinatem*, vivum, ſummæ ſpei adoleſcentem, ab Ordine Fratrum Prædicatorum vix naſcente quaſi ſubreptum, neglexiſſe, & permiſſe ut parentes ipſum detinerent in carcere? Præterea, nec *Guillelmus de Thoco*, nec *Bernardus Guidonis* Lodovenſis Epiſcopus, nec alii, qui S. *Thomæ Aquinatis* vitam poſteà ſcripſerunt, ullibi innuunt, eum Caſſinenſem Monachum fuiſſe, immò *Guillelmus de Thoco* in ejus Vita diſertè aſſerit, illum, poſtquàm Neapoli ſtudiorum peregiſſet curſum, Ordinem Prædicatorum fuiſſe ingreſſum. Nec dici poteſt, *Thomam Aquinatem* per ſolemnem oblationem à parentibus factam, & per receptionem ad Monaſticum habitum cenſeri debere Monachum Caſſinenſem; id, inquam, nullo pacto dici poteſt, quia fatetur ipſemet *Mabillonius* tom. 3. *Veterum Analectorum* pag. 476. & 477. hanc puerorum ſolemnem oblationem, & ad Monaſticum habitum receptionem jam duodecimo Eccleſiæ Sæculo in deſuetudinem penitùs abiiſſe. His permotus rationibus, facilè crediderim, prætenſum illum S. *Thomæ Aquinatis* Monachatum interpolatrice aliquâ manu adjectum fuiſſe huic veteri Cœnobii Caſſinenſis Martyrologio, quod laudat doctiſſimus *Mabillonius*. Ordinem Fratrum Prædicatorum ingreſſus *Thomas Aquinas*, in carcerem conjectus eſt à Matre & fratribus, qui omnes aditus tentarunt, ut ejus conſtantiam labefactarent. Tandèm è carcere dimiſſus & Ordini reſtitutus *Thomas* confeſtim Coloniam miſſus eſt, ut ſub *Alberto Magno* philoſophicis, & Theologicis ſtudiis navaret
ope-

operam. Ex quo evidentèr colligitur, errare *Wadinghum* in Annalibus Minorum, & quoſdam alios Franciſcanos Scriptores, qui aſſerunt *Alexandrum Halenſem* Ord. Minorum, fuiſſe Pariſiis præceptorem S. *Thomæ Aquinatis*. Nam quî, amabo, fieri potuit, ut *Alexandrum Halenſem* Pariſiis præceptorem habuerit *Thomas Aquinas*, quem conſtat, nunquàm Pariſiis Philoſophiæ & Theologiæ ſtuduiſſe, ſed eum, ſtatim atque è Caſtro, in quo à Matre & fratribus detinebatur, dimiſſus eſt, à *Joanne Teutonico* Magiſtro Ordinis Coloniam deductum eſſe anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio, ubi *Alberti Magni* per quadriennium Scholas frequentavit, indeque, confectis ſtudiis, Pariſios, ut Scholas regeret, & Theologiam edoceret, miſſus eſt an. MCCXLVII. vel ineunte MCCXLVIII. quo anno *Thomas* Pariſiis ſuperſtitem invenire haud potuit *Alexandrum Halenſem*, utpotè qui jam vivere deſierat anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, cùm curſum Theologicum vix *Thomas* Coloniæ ſub *Alberto Magno* eſſet auſpicatus. *Alexandrum* itaque *Halenſem* fuiſſe S. *Thomæ Aquinatis* Præceptorem, novum figmentum eſt, antiquis omninò ignotum, & egregiè confutatum à noſtro *Natali Alexandro* in Opuſculo *De Titulo Præceptoris S. Thomæ ex Elogio Alexandri Halenſis expungendo*, quod extat in calce ſeptimi tomi *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Editionis Pariſienſis in Folio. Doctoralibus Inſulis Pariſiis inſignitus *Thomas Aquinas, totus divinis Operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat, aut prædicationi, qua immotus erat, aut Orationi, qua devotus, aut Scripturæ Sacræ, qua profundus, ſedulus vacabat,* ut ait *Joan-*

nes

nes XXII. in Bulla ipſius Canonizationis. Totum vitæ ſuæ tempus docendo, ſcribendo, concionandò cùm peregiſſet Sanctus ille Doctor, tandèm eruditionis & ſanctitatis famâ toti Orbi notiſſimus ad vitam migravit immortalem anno ætatis ſuæ quinquageſimo ineunte, die VII. Martii anni MCCLXXIV. in Monaſterio *Foſſæ Novæ*, Ciſtercienſis Ordinis, ad quod diverterat, in Gallias iter faciens, ut Concilio Generali Lugdunenſi II. de mandato *Gregorii X.* Pontificis Maximi intereſſet ad diſputandum contra Græcos. Hinc eruditus noſter *Bernardus Guiard* Doctor Pariſienſis in Opuſculo, quod ea de re edidit, contendit, S. *Thomam Aquinatem* linguam Græcam calluiſſe, quâ ei ad diſputandum contra Græcos opus erat. Alii tamen, inter quos cenſetur doctiſſimus noſter P. *Nicolai*, Theologus itidem Pariſienſis, negant, S. *Thomam* linguæ Græcæ peritum fuiſſe. Ipſe hanc controverſiam, quæ longiùs me abduceret, in medio relinquo. In Sanctorum numerum à *Joanne XXII.* anno MCCCXXIII. relatus eſt S. *Thomas*, eumque *Pius V.* anno MDLXVII. quintum Eccleſiæ Doctorem dixit. Sacrum ejus Corpus Ordini Prædicatorum dedit *Urbanus V.* quod Toloſam anno MCCCLXVIII. translatum eſt. Ejuſdem S. *Thomæ* brachium *Urbanus V.* largitus eſt Conventui Pariſienſi S. *Jacobi*, Ordinis Prædicatorum, quo ſacro theſauro ditatus ille conventus, viros omni tempore protulit doctiſſimos, & egregios doctrinæ S. Thomæ defenſores. Inter Opera, quæ ſcipſit S. *Thomas*, & quæ XVII. tomis ſunt comprehenſa, eminet *Summa Theologica*, omnium Theologorum encomiis celebrata, quam tamen *Joannes Launojus*

nojus, Doctor Pariſienſis, & moroſus, ſi quis unquàm fuit, Sæculi proximè elapſi Cenſor, Sancto Thomæ abjudicare tentavit duobus nixus argumentis, quæ hìc breviter diluemus. Primum argumentum, eſt merè negativum (quo inſignis ille *Ariſtarchus* frequenter uti ſolebat) petitum ex ſilentio *Clementis VI.* Pontificis Maximi, qui in Sermone, quem de B. *Thoma* recens numero Cœlitum adſcripto habuit, omnium librorum, quos compoſuit Sanctus ille Doctor, Catalogum ſumma cum diligentia, maximoque ſtudio conſcripſit, & tamen de Summa Tripartita, ne verbum quidem habet. Hæc igitur Summa Tripartita non eſt genuinus fœtus S. *Thomæ*. Hoc eſt palmare *Launoij* argumentum, quod nullo negotio exſufflatur. Norunt quippè omnes periti Critici, argumentum negativum in quæſtionibus facti nullius planè roboris eſſe, ubi ex adverſo poſitiva militant argumenta ab Authorum coævorum teſtimoniis petita. Eſto itaque *Clemens VI.* eo in Sermone non meminerit Summæ S. *Thomæ*, at Authores *Clemente VI.* antiquiores, immò S. *Thomæ* ſuppares, Summæ Tripartitę diſertam mentionem fecerunt, eamque Sancto Thomæ vindicarunt, videlicèt *Guillelmus de Toco*, *Guillelmus Lamarenſis*, *Ægidius Romanus*, *Joannes Teutonicus*, *Nicolaus Trivetus*, *Demetrius Cydonius*, *Durandus*, *Durandellus*, *Bartholomæus Piſanus*, *S. Antoninus*, & alii, quorum teſtimonia profert, ac latè expendit noſter *Natalis Alexander* in Opuſculo, quod edidit contra *Launojum*, cui titulus eſt: *Summa S. Thomæ vindicata*. Concidit itaque primum iſtud *Launoij* argumentum negativum petitum ex ſilentio *Clementis VI.*

cùm

cùm huic ſilentio opponantur probatiſſimæ fidei Scriptores, & Codices manuſcripti, qui *Clemente VI.* antiquiores ſunt, & Summam Tripartitam Sancto *Thomæ* aſſerunt. Non minus elumbe ac frigidum eſt alterum, quod *Launojus* proponit, argumentum. Ait quippè, ea, quæ in Secunda Secundæ ſub nomine S. *Thomæ* leguntur, totidem verbis haberi apud *Vincentium Bellovacenſem* in Speculo Morali. Porrò dici non poteſt, *Vincentium Bellovacenſem* illa ſumpſiſſe à S. *Thoma*, quia *Vincentius Bellovacenſis* mortuus eſt an. MCCLVI. quo tempore Angelicus Doctor annum dumtaxàt circiter trigeſimum attigerat. Certè non inficias eo, hoc *Launoij* argumentum non nihil negotii exhibuiſſe viris eruditis, qui hoc Speculum Morale *Vincentio* noſtro *Bellovacenſi*, ceu legitimo Authori, tribuendum eſſe putarunt, illoſq; ut ab eo ſeſe extricarent argumento, varios excogitaſſe modos, quos hìc referre ſupervacaneum omninò eſſet. At nodum iſtum feliciſſimè ſolvit jam citatus noſter *Jacobus Echardus* in libro, quem edidit & inſcripſit: *Summa S. Thomæ ſuo Authori vindicata*. Ex tribus ſi quidem pervetuſtis, ſinceris, & optimæ fidei manuſcriptis Codicibus Operis *Vincentii Bellovacenſis*, quorum primus aſſervatur in Bibliotheca Sorbonica, alter in Bibliotheca Colbertina, & ultimus in Bibliotheca Majoris Conventus Pariſienſis Eremitarum Sancti Auguſtini, ex his, inquam, tribus manuſcriptis Codicibus invictè demonſtrat *Echardus* primò, *Vincentium Bellovacenſem* ſuum prægrande Opus non in quatuor, ſed in tres dumtaxat partes, ſeu in tria Specula diſtribuiſſe, nimirùm *Naturale, Doctrinale*, & *Hiſtoriale*, ut videre eſt

Capi-

Capite XVII. Prologi Operis *Vincentii Bellovacenſis* in tribus laudatis Codicibus MSS. Oſtendit ſecundò, *Echardus*, hoc Speculum Morale fuiſſe attributum *Vincentio Bellovacenſi* à quodam falſario & plagiario Scriptore alicujus Ordinis Mendicantium, ſed non Fratrum Prædicatorum familiæ, qui in illud convaſavit plura non ſolùm ex S. *Thoma*, ſed etiam ex aliis Scriptoribus, *Vincentio Bellovacenſi*, & Sancto *Thoma* poſterioribus. Denique, probat *Echardus*, hoc Speculum Morale à falſario illo conſarcinatum, & *Vincentio Bellovacenſi* attributum, non niſi poſt annum MCCCXX. prodiiſſe, ſubindèque longè poſt obitum *Vincentii Bellovacenſis*, & Sancti *Thomæ*. Hæc tria capita, quæ rem planè conficiunt, tam evidentèr demonſtrat hic eruditus Scriptor, ut profectò in meridiana luce cæcutiret ille, qui propter illud Speculum Morale, falsò attributum *Vincentio Bellovacenſi*, & compilatum à quodam plagiario, qui *Vincentio Bellovacenſi*, & S. *Thoma* poſterior fuit, negare, aut in dubium revocare vellet, integram Summam Tripartitam eſſe germanum S. *Thomæ* Opus. Pari certitudine S. *Thomæ* adjudicari debet Officium *de Corpore Chriſti Domini*, quod in univerſa Eccleſia Latina canitur. At enim, non ſolùm domeſtici Scriptores, nempe *Guillelmus de Toco*, qui fuit S. *Thomæ* coævus, & canonizationis ejus promotor, in ipſius vita, apud *Bollandum* ad diem VII. Martii, *Ptolomæus Lucenſis*, diſcipulus S. *Thomæ* in Chronico, & S. *Antoninus III*. P. Chronicorum, hoc Officium *de Corpore Chriſti* à S. *Thoma*, juſſu *Urbani IV*. Pontificis Maximi compoſitum eſſe teſtantur, ſed etiam benè multi ex omni Natione, Religione

&

& Ordine illuſtres hoc Officium Corporis Chriſti Sancto *Thomæ* tribuendum eſſe conſtanter profitentur, videlicèt *Dionyſius Carthuſianus* in Expoſitione Hymnorum, *Jacobus Bergomas* in ſupplemento Chronicorum, *Platina* in Vita *Urbani IV. Onuphrius Panvinus* in Annotationibus ad *Platinam*, *Joannes Chapeavilleus*, Canonicus & Vicarius Generalis Eccleſiæ Leodienſis in Tractatu Hiſtorico de vera Origine Feſti Corporis Chriſti, *Poſſevinus*, *Bellarminus*, *&* *Labbeus* Soc. Jeſu in Catalogis de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *Spondanus*, & *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXIV. & innumeri alii Scriptores Catholici, quibus ne ipſi quidem hæretici, ut Centuriatores Magdeburgenſes, & *Hoſpinianus* hac in re auſi ſunt refragari, ut videre eſt in *Expoſtulatione*, quam noſter *Natalis Alexander* direxit ad P. *Joannem Paulum Oliva* Societatis Jeſu Præpoſitum Generalem, & in qua diluit leves quaſdam conjecturas, quibus *Henſchenius*, & *Papebrochius* in Actis Sanctorum menſis Aprilis, in Appendice ad diem v. permoti fuerant ad negandum, hoc Officium Corporis Chriſti compoſitum eſſe à S. Thoma, illudque F. *Joanni* Leodienſi Clerico ex directione S. *Julianæ* Virginis attribuendum. Verùm, eruditi illi Patres, convicti tandèm rationibus *Natalis Alexandri*, ultrò palinodiam decantarunt, & omnibus Scriptoribus in Officio Corporis Chriſti Sancto Thomæ tribuendo conſentientibus lubentiſſimè ſubſcripſerunt. Plura de S. Thoma, ejuſque Operibus addere non patiuntur temporis anguſtiæ. Dicam dumtaxat obiter, S. *Thomæ*, velut Scholæ Principi, aſſurgere, ac faſces ſubmittere omnes Theologos, ejuſq; doctri-

ctrinam à Chriſto Domino approbatam his verbis: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, ab Eccleſia per Summos Pontifices & Concilia multis elogiis commendatam, terribilem Dœmonibus eſſe, & inviſam turbæ Tartareæ, ex orco per os *Buceri* hæretici clamanti: *Tolle Thomam & diſſipabo Eccleſiam*.

Thomas Cantipratanus, qui in Conventu Colonienſi ſub *Alberto Magno*, unà cum S. *Thoma Aquinate*, Philoſophiæ, & Theologiæ operam dedit, patriâ fuit Brabantinus, in Oppido *Lewis* non procul Bruxellis nobili genere natus. *Cantipratani* cognomentum ei hæſit, quòd in Cœnobio Cantipratenſi Canonicorum Regularium propè Cameracum illorum ſuſcepiſſet Inſtitutum, antequàm Fratrum Prædicatorum Ordini ſeſe addiceret. Tanta fuit ejus eruditionis ac pietatis fama, ut Epiſcopus inauguratus, & Epiſcopo Cameracenſi Suffraganeus datus ſit, cujus vices triginta circitèr annos infatigabili zelo obiit. Duos edidit libros *de Apibus*, in quibus plura illuſtria facta, miracula & exēpla ſui temporis refert. Scripſit etiam Vitas Beatæ *Chriſtinæ* Virginis, cognomento *Mirabilis*; Beatæ *Lutgardis* Monialis Ciſtercienſis, B. *Margaritæ Iprenſis*, & librum unum De Vita Sanctæ *Mariæ Ogniacenſis* adjecit duobus aliis libris vitæ ejuſdem Sanctæ à Cardinali *Jacobo de Vitriaco* ſcriptis. Alterius libri ex variis Authoribus à ſe multo labore compilati, cui titulus erat: *De Natura Rerum* mentionem facit *Thomas Cantipratanus* lib. 2. *de Apibus* capite ultimo. At hic liber necdùm in lucem prodiit. Græcæ linguæ peritum fuiſſe *Thomam Cantipratanum*, eumque rogatu S. *Thomæ* Opera *Ariſtotelis* latinitate donaſſe ſcribunt nonnulli, id tamen

certò

certò non conſtat. Vitam *Thomæ Cantipratani* conſcripſit *Gregorius Colvenerius* eamque præfixit libris ejuſdem Authoris *de Apibus*, quos edidit, & Notis illuſtravit anno MDXVII.

Thomæ Cantipratano coævus fuit *Raymundus Martini*, Oppido Subiratenſi in Catalonia ortus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus Barcinonenſis alumnus, Vir Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ linguæ, teſte *Nicolao de Lyra* doctiſſimo Scripturarum interprete, longè peritiſſimus. Ad judæorum pervincendam & domandam perfidiam, duo doctiſſima compoſuit volumina, quorum uni titulus: *Capiſtrum Judæorum*: Alteri, *Pugio Fidei*. Primum periiſſe creditur, alterum verò inſcriptum *Pugio Fidei* ex Codice MS. Bibliothecæ Collegii Fuxenſis, collato cum aliis Codicibus MSS. *Toloſano, Barcinonenſi*, & *Majoricano* Fratrum Prædicatorum, in lucem emiſſum eſt, ac doctiſſimis Notis illuſtratum à Domino *Joſepho de Voiſin*, qui eâdem operâ detexit duos hujus libri *Raymundi Martini* inſignes Plagiarios, videlicèt *Petrum Galatinum* Ordinis Fratrum Minorum, & *Porchetum de Salvaticis* Ordinis Carthuſianorum. Horum primus, ſeu *Petrus Galatinus*, quidquid in *Arcanis Catholicæ Veritatis* ab ipſo editis Rabbinicæ eruditionis oſtentat, id totum ex noſtri Raymundi Martini *Pugione Fidei* ſuffuratus eſt, nullibi laudato Auctoris nomine. Alter verò, ſeu *Porchetus de Salvaticis*, multa quidem ex hoc *Raymundi Martini* Opere compilavit in ſuo libro, quem inſcripſit: *Victoria adversùs Judæos*, at ſaltèm *Petro Galatino* fuit candidior, atque modeſtior, quippè qui plagium ſuum ingenuè profeſſus eſt, fontemque coronavit,

ex quo hauſerat. Utriuſque Plagiarii furtum detexit, & in apertam lucem produxit in ſuis Prologomenis in Pugionem Fidei mox laudatus Dominus *Joſephus de Voiſin*, de Ordine Predicatorum bené meritus. *Ptolomæus Lucenſis*, natione Italus, ex Civitate *Luca* oriundus, Ordini Prædicatorum nomen dedit, & Sancti *Thomæ Aquinatis* diſcipulus fuit; poſteà *Joanni XXII.* Pontifici Maximo à ſacris Confeſſionibus, ac tandèm Epiſcopus Torcellenſis in Ditione Veneta creatus eſt. Scripſit Annales rerum tùm Sacrarum, tùm Civilium ab an. MLX. uſq; ad an. MCCCII. Itèm *Chronicon Pontificum atq; Imperatorum*. Prodiit utrumq; Opus Lugduni anno MDCXIX. *Annales* inſerti ſunt tom. XXV. Bibliothecæ Patrum pag. 949. Scripſit etiam *Ptolomeus Lucenſis* Hiſtoriam Eccleſiaſticam libr. XXIV. cõprehenſam. Sed hæc Hiſtoria Eccleſiaſtica adhùc manuſcripta extat in Bibliotheca Vaticana, & ſæpè ab *Odorico Raynaldo* in Annalibus Eccleſiaſticis laudatur. Sæpiùs mihi Romæ exiſtenti venit in mentem, hanc manuſcriptam *Ptolomæi Lucenſis* Hiſtoriam Eccleſiaſticam è tenebris erutam, ac Notis illuſtratam tandèm aliquandò publicâ luce donare. Sed aliis ſtudiis impeditus, quod meditabar aggredi necdùm potui. Propoſitum tamen non abjeci, &, ſi ſuppetant vires, hujus Hiſtoriæ Editionem aliquandò adornabo, ne hoc theſauro, hactenùs abſcondito, diutiùs privetur Litterarius Orbis. De *Ptolomeo Lucenſi* agunt *Blondus* libro 13. *Volaterranus* lib. 22. *Joannes Gerardus Voſſius* in libro *de Hiſtoricis Latinis*, Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, Caſimirus Oudinus *in Supplemento De Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis*, & alii.

Eodem

Eodem tempore floruit S. *Raymundus Pennafortius*, Ordinis Prædicatorum, Barcinonæ nobili familia natus, qui Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum poſt B. *Jordanum* electus, cùm biennio ſanctiſſimè Magiſtratum geſſiſſet, eo ſe, mœrentibus omnibus, ſponte abdicavit. Inſignia reliquit ingenii ſui monumenta Eccleſiæ utiliſſima. *Gregorius IX.* Pontifex Maximus, qui *Raymundum Pennafortium* Pœnitentiarii dignitate ornaverat, quique perſpectum habebat, quantâ juris, Sacrorumque Canonum peritiâ eſſet inſtructus, ei curam demandavit Pontificum Romanorum Decretales Epiſtolas, antehàc parùm ordinatè diſpoſitas, confuſas, & immixtis nonnullis vel ſuppoſititiis, vel dubiis admodùm turbatas, in ordinem redigendi, obſcura illuſtrandi, & certa ab incertis ſecernendi. Hoc arduum Opus ſuſcepit *Raymundus Pennafortius*, illudque trium annorum ſpatio, ingentique labore ita felicitèr abſolvit, ut ab eo tempore poſt habitis aliis Collectionibus, ſola *Raymundi* Collectio auctoritatem habeat, & inter cæteras præſtet. Scripſit etiam *Raymundus Pennafortius*, rogante *Sugerio* Hiſpanię Provinciali, *Summam Caſuum Conſcientiæ*, quæ, ut fatentur omnes, maximam lucem præfert iis, qui vel hanc Theologiæ partem pertractant, vel qui pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrant, ne videlicèt molliùs, quàm par ſit, aut ſeveriùs, quàm opporteat, cum Pœnitentibus agentes, à rectâ viâ, quâ incedere debent, malè abrepti deflectant. Obiit S. *Raymundus Pennafortius* virtutum & miraculorum gloriâ ſpectatiſſimus, annum penè centeſimum agens, ipſa die Epiphaniæ anni MCCLXXV. & inter Sanctos à *Cle-*

mente VIII. Pontifice Maximo relatus eſt anno MDCI.

Pratèr S. *Raymundum Pennafortium*, fuerunt alii Sęculi XIII. Scriptores Ordinis Prædicatorum, qui *Summas Theologicas*, ſeu *Morales*, compoſuerunt, ſcilicèt *Guillelmus Peraldus*, & *Uldaricus Argentinenſis*, quorum primus, natione Gallus, Viennenſis in Delphinatu Diœceſeos, ſcripſit *Summam Virtutum & vitiorum*, quam S. *Antoninus* Prædicatoribus utilem aſſerit, eamque Joannes *Gerſonius*, Sacræ facultatis Pariſienſis Cancellarius, in lib. *De examinatione Doctrinarum* part. 2. Conſideratione IV. plurimùm commendat. Alia etiam Opera conſcripſit *Guillelmus Peraldus*, quem aliqui Lugdunenſem Archiepiſcopum fuiſſe falsò dictitant, cùm *Gerſonius* loco mox laudato de hac Summa verba faciens, hæc habeat: *Cujus Auctor*, ſeu Guillelmus Peraldus, *contemporaneus ſatis fuit Guillelmo Pariſienſi, & S. Thomæ, vir ſine gradu, de Conventu Prædicatorum Lugdunenſium*. Alter, quem appellavi, Scriptor, ſeu *Uldaricus Argentinenſis*, fuit doctor eximius, & Auctor *Summæ Theologicæ*, quam à Doctoribus impensè laudatam aſſerit *Dionyſius Carthuſianus*. Multi Scriptores Joanni *Teutonico*, qui poſt S. *Raymundum Pennafortium* fuit Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, attribuunt *Summam Caſuum Conſcientiæ*, quę inſcribitur *Summa Confeſſorum*, & ab Authore etiam *Summa* Joannina dicitur. Verùm, hæc Summa Joannem *Teutonicum* Authorem habere non poteſt, quia in ea citatur *Summa* S. *Thomæ*, quod certè Joanni *Teutonico* in mentem venire haud potuit, utpotè Argentinæ defuncto anno MCCLIII. quo tempore necdùm S. *Thomas*

Do-

Doctor Pariſienſis fuerat inauguratus, adeòque de Summa Theologica nequidem cogitaverat. Probabiliùs itaque eſt, hanc *Summam Caſuum Conſcientiæ* ab altero *Joanne* Ordinis Prædicatorum eſſe ſcriptam. Locum tamen inter Viros illuſtres jure merito obtinere debet *Joannes Teutonicus* Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, quem *bonitate conſpicuum, aſpectu & affectu gratioſum, multiplici idiomate eruditum* prędicant, *ac viventem, defunctumque miraculis claruiſſe*, teſtantur S. *Antoninus*, & alii, qui de rebus Dominicanis ſcripſere. Denique, inter Viros Illuſtres Ordinis Prædicatorum, qui Sæculo XIII. doctrinâ & pietate claruerunt, ſedem habent innumeri alii, ſed præſertim *Brocardus*, *Jacobus de Varagine*, vulgò de *Voragine* appellatus, *Theodoricus de Appoldia*, *Conradus*, & *Martinus Polonus*, de quorum Operibus pauca hìc attingemus. *Brocardus*, Argentoratenſis, accuratiſſimam ſcripſit *Terræ Sanctæ Deſcriptionem*, in qua ea, quę oculis uſurpaverat, narrat. *Jacobus de Varagine*, urbe Ligurum maritimâ oriundus, & à *Nicolao IV.* Genuenſis Archiepiſcopus renunciatus, Vir fuit in Deum adeò devotus, & in pauperes munificus, ut in eos integros ferè Archiepiſcopatus ſui redditus diſtribueret, pacis adeò amans, ut Guelphorum Gibellinorumque animis conciliatis, optatam concordiam diu exulem in Urbem felicitèr reduxerit. Biblia Sacra primus in Italicam linguam ſummâ fide & diligentiâ tranſtulit. Scripſit etiam *Vitas Sanctorum*. *Sermones de Tempore*, & *de Sanctis*: *Mariale*, ſeu librum *de Laudibus Deiparæ Virginis*, & *Genuenſe Chronicon*. Verùm, pro eâ ſincerítate, quam in deſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica profite-

ri teneor, diſſimulare non poſſum, noſtrum *Jacobum de Varagine* nimis credulum fuiſſe, & in Vitis Sanctorum ſcribendis haud ſatis accuratum, ſicut teſtatur diligentiſſimus Scriptor *Melchior Canus* lib. XI. *de Locis Theologicis* cap. VI. *Theodoricus de Appoldia,* patriâ Thuringus, & Erfordii natus, Vitam Sancti *Dominici*, Ordinis Prædicatorum Inſtitutoris, octo libris accuratiſſimè concinnavit. Scripſit etiam (teſte noſtro *Leandro Alberto* lib. IV. de Illuſtribus Ordinis Prædicatorum Viris) Vitam S. *Elizabethæ, Andreæ* Regis Ungarorum filiæ, & Ludovici Langraviæ Thuringiæ Viduæ. Hanc Vitam S. *Elizabethæ* in octo libros diviſam *Voſſius* lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* noſtro *Theodorico de Appoldia* abjudicat, ſed cùm nullum pro ſententia ſua argumentum proferat, illius hac in re judicium flocci fieri debet. *Conradus*, natione Germanus, *Vitam S. Dominici* eleganti ſtylo conſcripſit. Poſtremò *Martinus Polonus* natione & nomine, non Scotus, aut Italus, ut quidam perperàm ſcripſerunt, Romæ ſub *Nicolao III.* Pœnitentiarius munus geſſit, & ab eodem Romano Pontifice ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem in Polonia aſſumptus. Sed dùm iter aggreſſus ad ſuam pergeret Eccleſiam, Bononiæ obiit ann. MCCLXXVIII. *Chronicon* à Chriſto nato ad annum uſque MCCLXXVII. conſcripſit. Ipſum non eſſe Authorem fabulæ totiès exploſæ *de Joâna Papiſſa*, ſed eam fabulam alienâ manu ejus Chronico adiectam fuiſſe, memini me alibi ex antiquioribus Codicibus manuſcriptis Chronici *Martini Poloni* luculentèr oſtendiſſe. Scripſit etiam noſter *Martinus Polonus* librum inſcriptum, *Memorabilia Romæ*: *Summam Juris Canonici*, & *Sermones* de-

de Tempore & de Sanctis. Sed hæc de præcipuis Ordinis Fratrum Prædicatorum Scriptoribus, qui Sæculo XIII. floruerunt, dixiſſe ſufficiat. Si enim plura addere, & de aliis propemodùm innumeris ejuſdem Ordinis Scriptoribus, quos conſultò prætermiſi, ſingillatim diſſerendi onus ſuſcipere vellem, dies profectò me deficeret, & vix ullum exitum noſtra poſſet reperire oratio.

D. Laudaſti ſanè perilluſtres & omni exceptione majores Ordinis Fratrum Prædicatorum Scriptores, nec dubito, quin hic Ordo toto orbe celeberrimus alios Sæculo XIV. dederit Eccleſiæ nobiles Scriptores, quorum doctrinam, & Opera, rogo te ut continuâ ſerie referas, ac breviter exponas.

M. Ordo Fratrum Prædicatorũ Sæculo XIV. clariſſimos protulit Scriptores, qui doctrinâ, & pietate conſpicui ampliſſimum dicendi ſuppeditant argumentum, quod tamen ipſe, velim nolim, anguſtis limitibus continere debeo, cùm mihi certos fines, terminoſque in hiſce Colloquiis noſtris conſtituerim, extra quos egredi non poſſum. Duo inſignes Ordinis Prædicatorum viri Sæculo XIV. Chronicon ſcripſerunt, videlicèt *Nicolaus Trivetus*, & *Bernardus Guido*, quorum primus claris in Anglia parentibus natus, generis nobilitati ſcientiam ac pietatem junxit. *Chronicon* ſcripſit ab anno MCXXXVI. ad annum uſque MCCCXII. in quo licèt de rebus Anglicanis potiſſimùm ſcribere in animo habuerit, res tamen Francorum & aliarum gentium paſſim recenſuit. Hoc *Nicolai Triveti* Chronicon edidit *Lucas Dacherius* tomo VIII. *Spicilegii*. Scripſit etiam *Nicolaus Trivetus* Commentaria in

Geneſim, in Leviticum, in Pſalterium, Catenam ex patribus in univerſam Scripturam, Commentarios in libros S. *Auguſtini* de Civitate Dei, quod libeta varia, Tractatum de Miſſa, & quàmplurima alia Theologica, Hiſtorica, & Philologica Opera, quæ recenſent *Baleus*, *Pitſeus*, *Altamura*, *Poſſevinus &c.* Scio, *Theophylum Raynaldum* in libro, quem ſtylo ferreo contra Fratres Prædicatores exaravit, & cui hunc titulum præfixit: *De Immunitate Cyriacorum*, Commentarium noſtri *Nicolai Triveti* in Opus S. *Auguſtini* De Civitate Dei perfrictâ fronte appellare *ignorantias*, *ineptias*, *gerras*, *& anilitates*. Sed omnem fidem ſibi abrogavit malè feriatus ille Author, quippè qui tot maledicta, calumnias & convicia in celebriores Ordinis Prædicatorum Scriptores eo in libro congeſſit, ut humanitatis, & Religionis ſenſum ferè exuiſſe videatur. Sed hunc magnum Ardelionem, & Ordinis Fratrum Prædicatorum æmulum obtrectatorem ſatis pro ſuis meritis plautino ſale defricuerunt duo è noſtris Scriptores *Vincentius Baronius* in quinque libris Apologeticis, & *Caſalas* in libro, cui titulus eſt *Candor Lilii*. Alter, quem indicavi, Scriptor, *Bernardus Guido*, natione fuit Gallus, patriâ Lemovicenſis, Toloſanus primùm Inquiſitor, ac poſtea Lodovenſis in Provinciæ Narbonenſi Epiſcopus, Scripſit Chronicon Romanorum Pontificum, Imperatorum, & Regum Francorum uſque ad annum MCCCXXX. quod *Joanni XXII.* Pontifici Maximo nuncupavit. Compoſuit etiam Vitas Sanctorum, quę Toloſę extant in Bibliotheca Fratrum Prędicatorum, quinq; prægrandibus Voluminibus exaratę, inſuper Tractatus De Conciliis, De Officio Miſſæ, Chro-

Chronologiam Epiſcoporum Lemovicenſiū,ac Toloſanorum Comitum, Acta S. *Thomæ Aquinatis*, Acta omnium generalium Capitulorum Dominicani Ordinis, & alia Opera, quæ adhuc MSS. habentur apud Fratres Prædicatores Toloſanos, vel aſſeruantur in Bibliotheca Colbertina, ſicut teſtatur *Caſimirus Oudinus* in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* pag. 595. Duos illuſtres Viros nomine affines, Sæculis XIII. & XIV. tulit Prædicatorum Ordo, quorum unus dictus eſt *Reinerius*, ſeu *Reinerus Sachonus*, natione Italus, patriâ Placentinus; alius poſterior ætate, appellatur *Raynerius*, natione itidèm Italus, patriâ Piſanus. Prior, ſeu *Reinerus Sachonus*, ex Hæretico Waldenſi, & Epiſcopo Sectæ Catharorum, divinâ affulgente gratiâ, factus eſt non ſolum Fidei Catholicæ profeſſor, ſed eximius defenſor, Theologiæ, Juriſque Canonici peritiſſimus, & Inquiſitor Fidei, in Longobardia circa annum MCCLIV. Scripſit Opuſculum *de Hæreticis*, in quo præcipuè Sectæ Waldenſium errores inſectatur, ut jam obſervavimus in Colloquiis in Hiſtoriam Sæculi XII. agendo de Waldenſium Hæreſi. Alter, dictus *Raynerius*, qui Sæculo XIV. floruit, Summam edidit, quæ *Pantheologia* inſcribitur, quam ſæculo proximè elapſo doctiſſimus Pater *Joannes Nicolai* Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Ordinis Prædicatorum, auctam & illuſtratam publicâ luce donavit. In hac Summa, ſeu Pantheologia, *Raynerius* collegit ex S. *Thoma*, ſemotis Scholæ ſubtilitatibus, propemodùm infinita ad locupletandas conciones aptiſſima. Hinc igitur noſtro *Raynerio* plurimum debent Concionatores, ſicut etiam noſtro *Joanni de S. Geminia-*

miniano, qui eodem Sæculo XIV. præter Sermones de Tempore, de Sanctis, & Funebres, ſcripſit *Summam* admodùm utilem Prædicatoribus, *De ſimilitudinibus rerum*, quæ decem libros complectitur, & in qua naturalia præclarè ad mores accommodat, additis interdùm Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum Sententiis. Hanc *Joannis de S. Gemi- niano* Summam commendat S. *Antoninus* 3. parte Chronici cap. 23. §.2. *De Joanne Pariſienſi* Ordinis Prædicatorum, & de ejus errore circà modum præſentiæ realis Corporis Chriſti in Euchariſtia, ſatis diximus in Colloquio tertio. Hìc tantùm obiter advertere debes, hunc *Joannem Pariſienſem*, Sæculi decimi quarti Scriptorem, perperàm à multis Viris eruditis confundi cum altero *Joanne* ejuſdem Prædicatorum Ordinis, qui vel ob ingenii acumen, vimque ac excellentiam doctrinæ, vel à familia ſua, *Pungens Aſinum* cognominatus eſt. Hic enim *Joannes*, dictus *Pungens Aſinum*, Sæculo decimo tertio in Sacra Facultate Pariſienſi celeberrimus Doctor, & Profeſſor fuit, atque in Conventu S. *Jacobi* Fratrum Prædicatorum Pariſienſium Scholas rexit ante S. *Thomam Aquinatem*, ſicut teſtantur *Stephanus de Salanaco*, & *Bernardus Guido* antiqui rerum Dominicanarum Scriptores, & ex his *Maluenda* in Annalibus Ordinis ad annum MCCXXXVII. pag. 50.

Duos eximios Ordinis Prædicatorum Theologos, qui Sæculo XIV. Epiſcopalibus infulis inſigniti, magnâ nominis celebritate claruerunt, hìc prætermittere haud poſſum, videlicèt *Durandum à Sancto Porciano*, & *Petrum de Palude*. Horum primus, ſeu *Durandus à Sancto Porciano*, natione fuit

fuit Arvernus, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Epiſcopus Aniciensis à *Joanne XXII.* primùm deſignatus anno MCCCXVIII. deinde ad Meldenſem Epiſcopatum translatus anno MCCCXXVI. Scripſit librum *De Juriſdictionum Origine*, & Commentarios in IV. Libros Sententiarum, in quibus ſuo, quàm S.*Thomæ Aquinatis* Magiſtri ſui, ſenſui malens adhæreſcere, in varios lapſus eſt errores, quibus libros ſuos maculavit. Hinc *Durandellus*, ejus nepos, S. *Thomam* adversùs ipſum ſtrenuè vindicavit, egregio Opere, quod incipit his verbis: *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum: Exiſtimaſti quòd ero tui ſimilis: Arguam te &c.* Extat hoc *Durandelli* Opus MS. in Bibliotheca Regalis Abbatiæ S.*Victoris* Pariſienſis. *Petrus de Palude*, filius *Girardi Varembonii* Toparchæ in Breſſia, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Patriarcha Hieroſolymitanus fuit. *Joanni XXII.* qui, ut Doctor particularis, opinioni de procraſtinanda Viſione Beatifica poſt univerſalis Judicii diem plus æquò favere videbatur, ſe oppoſuit, & ſubſcripſit deliberationi & Doctrinali Judicio, quod datum eſt à Magiſtris Sacræ Facultatis Pariſienſis in Conventu à *Philippo Valeſio*, Galliarum Rege, ad prædictam examinandam opinionem indicto in Nemore Vincennarum anno MCCCXXXIII. ubi communi Doctorum ſuffragio ſtatutum eſt, reiiciendam eſſe hanc novam opinionem, quam Summus Pontifex Joannes XXII. *non aſſerendo ſeu opinando protulit, ſed ſolummodò recitando*, ut conſtat ex Autographo Inſtrumenti ea de re editi, Regique Chriſtianiſſimo porrecti, quod in Archivo Majo-

Majoris Conventus Fratrum Prædicatorum Pariſienſium, & in Scriniis Theologiæ Facultatis Pariſienſis etiamnùm aſſeruatur. Alia, quæ geſſit *Petrus de Palude*, ignota ſunt. Quod enim ſcribunt nonnulli, eum poſteà in Orientem profectum, ac in Cypro mortuum & ſepultum eſſe, à vero procul abeſt. Obiit quippè Pariſiis, & in Eccleſia Majoris Conventus Fratrum Prædicatorum ſepulturæ mandatus, ut videre eſt in ejus Epitaphio. Scripſit *Petrus de Palude* Commentarios in univerſam Scripturam Sacram, Tractatum *De Cauſa immediata Eccleſiaſticæ Poteſtatis*, Commentarios in libros IV. ſententiarum, & alia Opera, quæ partim edita ſunt, partim MSS. extant in nonnullis Bibliothecis, partim hominum incuriâ, temporumque injuriâ interciderunt.

Angliam Sæculo XIV. duo præſtantiſſimi Theologi Ordinis Fratrum Prædicatorum illuſtrarunt, videlicèt *Robertus Holkot*, & *Thomas Stubbs*, ſive *Stobæus*. Primus Nortamptoniæ in Anglia natus, & in Academia Oxonienſi Doctor ac Profeſſor, Commentaria ſcripſit in librum *Sapientiæ*, in *Canticum Canticorum*, in ſeptem priora capita *Eccleſiaſtici*, & in IV. *libros Sententiarum*. Alia Opera compoſuit *Robertus Holkot*, quorum alia edita ſunt, alia adhuc extanr in Bibliothecis MSS. quæ recenſentur à noſtro *Altamura* in Bibliotheca Prædicatorum pag. 126. & in Appendice pag. 479. & à *Joanne Baleo* Centuriâ V. *De Scriptoribus Britannicis* cap. 84. Alter, ſeu *Thomas Stubbs*, ſiuè *Stobæus*, patriâ Eboracenſis, & Sacræ Theologiæ Doctor, *Chronicon* ſcripſit *Epiſcoporum Eboracenſium*, à Sancto *Paulino* ad *Joannis Thoresbei* obitum, hoc eſt, à pri-

à prima Sedis fundatione uſq; ad ann. MCCCLXXIII. Extat Chronicon editum inter Scriptores Anglicanos. Quàm plurima ejuſdem Authoris Opera Theologica, adhùc inedita, referunt *Altamura* in Bibliotheca Fratrum Prędicatorum,& *Baleus* Centuriâ IV. *De Scriptoribus Britannicis* cap.XXXVI.

Ab his clariſſimis Ordinis Fratrum Prædicatorum Sæculi XIV. Scriptoribus ſejungi minimè debent tres alii ejuſdem Ordinis illuſtres Scriptores, qui eodem ſæculo, in Theologia Aſcetica, ut conſtans eſt omnium opinio, excelluerunt, videlicèt *Joannes Taulerus*, *Henricus Suſo*, & *Catharina Senenſis*, de quorum Operibus pauca dicemus. *Joannes Taulerus*, natione Germanus, Ordinem Prædicatorum in Conventu Colonienſi profeſſus, egregius concionator, & vitæ Spiritualis Magiſter abſolutiſſimus evaſit. Complura Opuſcula ſcripſit vernaculo ſermone, quæ ad Dei amorem; & ad pietatem legentium animos accendunt, quorum præcipua ex Germano idiomate in Latinum vertit *Laurentius Surius* Carthuſiæ Colonienſis alumnus, eaque, cum ejus Vitæ, & converſionis Hiſtoria, edidit Ordine ſequenti: *Conciones de Tempore*: *Conciones de Sanctis*: *De veris virtutibus, & inſtitutionibus divinis*: *Epiſtolæ piæ*: *Prophetiæ*: *Cantica Spiritualia animæ Deum amantis*: *De novem rupibus, ſeu Gradibus perfectionis Chriſtianæ*: *Speculum lucidiſſimum, & Exemplar Domini noſtri Jeſu Chriſti*: *Exercitia de Vita & Paſſione Chriſti*: *Convivium M.Echardi jucundum & pium*: *Colloquium Theologi & Mendici*: *Oratio fidelis præparatoria ad mortem*: *Præparationes quinque notabiles ad mortem felicem*: *De decem Cæcitatibus*, & *quatuordecim Divini*

vini amoris radicibus. *Pro Taulero*, de quo iniquè & acerbè judicavit *Eckius*, vir alioqui doctiſſimus, Apologiam adornavit Vitæ Spiritualis inſignis Magiſter *Ludovicus Bloſius*, Lętienſis Abbas, qui inter alia, hæc *de Taulero* noſtro habet: *Eckius non putans ſe falli, dicit: Utinam Taulerus prorsùs lateret*, & *non involaret in Monaſteria! Ego verò in nomine Domini dico: Utinàm Taulerus ubique gentium cognitus eſſet, atque à quàmplurimis diligentiſſimè Legeretur! Verùm Eckius, licèt minùs circumſpectè damnaverit Taulerum, nondùm à ſe ſatis ſtudiosè lectum, nequaquam tamen hoc malignè feciſſe credendus eſt, ſed feruens ille zelus, quo invehebatur in Lutherum Hæreſiarcham, facilè illi perſuaſit, ut præproperè iniquam de Sanctiſſimo viro Taulero ſententiam ferret*. In tradendis vitæ Aſceticæ documentis *Taulero* inferior haud fuit *Henricus de Suſo*, natione Svevus, ex nobili Comitum Montenſium genere natus. Paternum cognomen non uſurpavit, nec *Henricus Mõtenſis* ex patre ſuo, ſed *Henricus Suſo* ex matre ſua, fœminâ Sanctiſſimâ, appellari voluit. Nomen *Jeſu* carni ſuæ ſupra cor ſtylo inſcripſit, ejuſq; paſſioni toto vitę tempore ſe conformare ſtudiis omnibus conatus eſt. In ſalutem proximorum procurandam, & nomen Jeſu prædicandum incomparabili fervore incubuit. Ejus vitam ſcripſit *Laurentius Surius*, Carthuſianus, quam inter Acta Sanctorum menſis Januarii tomo 2. ad diem xxv. Exhibet *Bollandus*. Omnia *Henrici Suſonis* Opera è Svevico idiomate in Latinum vertit, ac publicâ luce donavit idem *Surius*, videlicet *Dialogum Sapientiæ*, & *Miniſtri ejus*, ſive *Horologium Sapientiæ*; *Conciones*; *Epiſtolas*; *Dialogum de veritate cum Appen-*

pendice; Libellum de novem Rupibus; centum meditationes Dominicæ Paſſionis ; *Officium quotidianum de æterna Sapientia* . De quibus *Henrici Suſonis* Operibus jam laudatus *Surius* in Epiſtola Nuncupatoria ad *Bloſium* Lætienſem Abbatem hoc judicium profert : *Credo equidem , neminem tam Saxeo eſſe pectore , qui non cœleſtis gratiæ inexperta priùs illuſtratione ſit nonnihil immutandus, ſi ſe ſedulum horum præbere lectorem non recuſaverit* ; His Scriptoribus coæva fuit S. *Catharina Senenſis* , quam eximia ſanctitas cum ſingulari eruditione conjuncta, Stigmatum Chriſti Domini impreſſio , prophetiæ , diſcretio ſpirituum , miraculorum chariſmata , ac ſumma contemplativæ , activæque vitæ perfectio plurimùm commendarunt . Ut Florentinis abſolutionem à cenſuris, quibus interdicebantur ſacris, impetraret , ſuſceptâ , eorum nomine , Legatione , Avenionem ad *Gregorium XI.* Pontificem Maximum ſeſe contulit , eumque ad cogitatum conſilium de referenda Romam Apoſtolicâ Sede perficiendum efficaciùs impulit . Mortuo *Gregorio XI.* non parvo adjumento fuit *Urbano VI.* ejus Succeſſori tempore funeſti ſchiſmatis, quo in Occidente ſciſſa eſt Eccleſia . Epiſtolas trecentas ſexagintaquatuor graves & pietatis plenas ad varios Pontifices, Cardinales, Reges, Principes , & alios ſcripſit, ac nonnulla Opera aſcetica,quibus planè oſtendit , quo ſpiritu ageretur . In his quippè leguntur abditiora divinitatis arcana ei revelata , Dei ergà ipſam ſingularia amoris argumenta , & documenta Sanctitatis plena, quibus Lectores ad germanam pietatem, & ad diligendum Deum maximè inflammantur . Obiit Romæ S. *Catharina* an. MCCCLXXX. æta-

ætatis ſuæ trigeſimo tertio. A *Pio II.* Pontifice Maximo in numerum Sanctarum Virginum relata eſt an. MCCCCLXI. S.*Catharinæ* Vitam ſcripſit B.*Raymundus de Vinea*, Capuanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſter Generalis, anteà hujus Sanctæ Virginis Confeſſarius, & omnium ipſius arcanorum conſcius. Hic ille eſt *Raymundus Capuanus*, qui Ordinis Prædicatorum Præfecturam geſſit tempore luctuoſiſſimi Schiſmatis, quo diviſa erat Eccleſia, & Religioſi ejuſdem Ordinis domeſticis eâ de causâ diſſidiis agitabantur. Gallia, Hiſpania, Scotia, & Regnum Neapolitanum partes *Clementis VII.* Avenione ſedentis ſequebantur. *Elias* Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis ab illo ſtetit. Reliquæ Provinciæ Italiæ, Germania, Hungaria, Anglia, Polonia, Dalmatia, aliæque regiones, & Provinciæ *Urbani VI.* Romæ ſedentis partibus adhærebant. In hac communi animorum diviſione, Religioſi itidèm Ordinis Prædicatorum duas in partes diſtracti ſunt, & hi, qui *Urbani VI.* partes ſuſceperant, illius juſſu anno MCCCLXXX. Bononiæ habuerunt Comitia, in quibus, abdicato *Elia*, Ordinis Magiſtro, qui *Clementem VII.* pro legitimo Pontifice agnoſcebat, *Raymundum de Vinea* Capuanum, vitæ ſanctitate, doctrinæque laude inter alios eximium, Ordini præfecerunt, quò factum eſt, ut Prædicatorum Ordo Schiſmate divulſus duos ſupremos moderatores tum temporis haberet. Præter Vitam S.*Catharinæ Senenſis*, quam ſcripſit *Raymundus* Capuanus, & quæ inter Acta Sanctorum menſis Aprilis tomo 3. ad diem 30. refertur ab *Henſchenio*, & *Papebrochio*, ſcripſit etiam idem *Raymundus* Capuanus Vitam

San-

Sanctæ Agnetis de Monte Politiano Ordinis Prædicatorum, & Tractatum in *Magnificat*, quem *pulcherrimum* atque *devotum* appellat *Stephanus* Senenſis, Prior Carthuſię *Sanctæ Mariæ de Gratia* prope Ticinum, in Epiſtola ad *Fratrem Thomam Antonium de Senis*, de Virtutibus, & Geſtis Sanctæ Catharinæ Senenſis, datâ die XXVI. Octobris anni MCCCCXI. Poſſem benè multos alios recenſere, prçclaros Ordinis Fratrum Prędicatorum Scriptores, qui doctrinâ & ſanctitate nomen ſuum Sæculo XIV. nobilitarunt, illudque cum gloria ad notitiam poſteritatis tranſmiſerunt, ſed his referendis, ne longior ſim, lubens ſuperſedebo, maximè, cùm hanc nobilem ſpartam ſuſceperit, eamq; feliciſſimè adornabit jam citatus noſter *Jacobus Echard* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum, duobus tomis in folio comprehensâ, quam omni ex parte accuratiſſimo ſtudio elaboratam propedièm in lucem emiſſurus eſt. Unum dumtaxat addam Scriptorem, videlicèt *Nicolaum Eymericum*, eoque agmen Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum Sæculi XIV. claudam. Gerundæ in Catalonia natus eſt *Nicolaus Eymericus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor, omni ſcientiarum genere abundè cumulatus. Inquiſitoris Generalis per totum Aragonię Regnum maximâ cum laude, & Eccleſiæ utilitate perfunctus eſt, Plurima ſcripſit Opera, quæ eius doctrinam, & in evertendis hæreſibus zelum apertè demonſtrant. Præter Tractatus Philoſophicos, Commentarios edidit in quatuor Evangelia, in Epiſtolas S. *Pauli* ad Galatas & ad Hebræos, Sermones de Tempore & de Sanctis, librum *De duabus Chriſti naturis*, item

alterum librum *De tribus perſonis in Deo*, librum *De excellentia Chriſti & B. Virginis*, librum *De Romani Pontificis Poteſtate*, & alia Opera, quæ in Conventu Gerundenſi Ordinis Fratrum Prædicatorum MSS. extare dicuntur. Sed præ cæteris Operibus, quæ ſcripſit noſter *Nicolaus Eymericus*, potiſſimùm illud commendatur, cui titulus eſt, *Directorium Inquiſitorum*, quod publicavit, & doctiſſimis Notis illuſtravit *Franciſcus Pegna*, illudque in Epiſtola ad *Gregorium XIII.* nuncupatoriâ appellat *præclarum & vetuſtate venerandum Opus, in quo ſumma Religionis capita continentur, & quæ ad hæreticam iniquitatem coërcendam & extirpandam conducunt, piè & eruditè præſcribuntur, & quidquid ad Sacrum Inquiſitionis Officium ſecurè exercendum exigitur, artificiosè ac methodicè demonſtratur*. Obſervat etiam idem *Franciſcus Pegna*, multos adverſarios nactum fuiſſe *Nicolaum Eymericum*, dùm viveret. *Sed non eſt mirandum*, inquit idem Author, *cùm ea ferè ſit eruditorum conditio, aut infelicitas. Habet quæque virtus ſua adverſa, & obſtantia vitia, & quò altiores ſunt turres, majoribus ventorum flatibus concutiuntur: & ut rectè protulit Horatius*:

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulgura montes,

Hæc magna eſt, & poſtrema Viri, (ſeu *Nicolai Eymerici*) *laus, eum acri odio hæreticos omnes habuiſſe, cunctaſque hæreſes deteſtatum fuiſſe: res verò ad Fidem Chriſtianam, & Religionem Catholicam ſpectantes, ſumma Religione & pietate coluiſſe*. Hæc, & alia benèmulta in commendationem *Nicolai Eymerici*

merici habet *Franciſcus Pegna* in ejus Vitæ Breviario, quod *Directorio Inquiſitorum* præmiſit. Sed hactenùs dictum ſit de præcipuis & illuſtrioribus Scriptoribus, qui Sæculis XIII. & XIV. prodierunt ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quem *Alexander IV.* Pontifex Maximus hoc dignatus eſt elogio: *Hic eſt Ordo honeſtate floridus, præclarus ſcientia, virtute fœcundus, converſatione purus, à Sede Apoſtolica meritò appellatus. Hujus Ordinis Fratres ſacrarum litterarum ſtudiis incumbunt, animarum profectibus, Divinis Officiis inceſſanter intendunt, Prædicationi ardentèr inſiſtunt, & lumen doctrinæ ubique diffundunt.*

D. Cùm Ordo Fratrum Prædicatorum ſummâ ſemper fuerit neceſſitudine devinctus cum Ordine Fratrum Minorum, convenientiſſimum eſſe videtur, ut, poſt laudatos illuſtres Ordinis Fratrum Prędicatorum Scriptores, ſeriem nunc texas celebriorum Theologorum, qui in Ordine Fratrum Minorum Sæculis XIII. & XIV. eximiæ eruditionis laude claruerunt.

M. Concordiæ ſine ulla æmulatione ſinceriſſimæ utriuſque Ordinis, Fratrum videlicet Prędicatorum, & Fratrum Minorum, antiqua & indubitata extant teſtimonia, quæ fruſtrà moliantur invidi delere ex hominum memoria, aut ex animis utriuſque Ordinis Religioſorum. Hinc miſſos legimus utriuſque Inſtituti Patres à *Gregorio IX.* ad Tartaros, alioſque Orientis populos fidei prædicandæ causâ. Hinc, teſte *Spondano*, ad annum MCCLXXIV. ab ejuſdem nominis *Gregorio X.* injunctum Provincialibus Prædicatorum & Minorum, ut ſuos Fratres mitterent bello ſacro indicendo &

proſequendo ardentiùs. Et multò antè ad annum MCCXXXIII. ex eodem *Spondano*, duo Dominicani, & Franciſcani, tanquàm Summi Pontificis Legati acceſſerunt ad Græcos, pacis cum Eccleſia Latina inſtaurandæ causâ, *quam enim*, inquit Spondanus, *tot Cardinalium auctoritate haud præſtare potuerat*, Gregorius IX. *ſibi procurandam ſtatuit per Fratres Prædicatores & Minores, illa maximè tempeſtate, doctrina, pietate, atque integritate præſtantes.* Hinc denique, teſte eodem *Spondano* ad annum MCCXLV. *Innocentius IV.* Fratres Prędicatores, & Minores infeſtatione Magnatum vexatos ſuâ protectione, & auctoritate Apoſtolicâ communivit. Cùm igitur uterque Ordo de Eccleſia benè meritus arctiſſimis charitatis vinculis, quæ nunquam abrumpi poterunt, fuerit ſemper ligatus, neceſſe eſt, ut poſt recenſitos nobiliores Ordinis Prædicatorum Scriptores, eos nunc in medium proferamus clariſſimos Theologos, qui in Ordine Fratrum Minorum eruditionis præſtantiâ cæteris anteſteterunt. Incipiam verò à S. *Franciſco*, natione Italo, Aſſiſii in Umbria nato, Ordinis Fratrum Minorum Patriarcha, qui ſimplicibus verbis, ſed divino Spiritu, quo erat perfuſus, ſcripſit Regulas, Collationes, Epiſtolas, Cantica, Apophthegmata, Familiaria Colloquia, Prophetias, Parabolas, & exempla, Benedictiones, Sententias communes, Sermones, Orationes piiſſimas, aliaque Opuſcula, ac demùm Teſtamentum. Quę omnia S. *Franciſci* Opera collegit, atque Pariſiis edi curavit *Joannes de la Haye* Ordinis Fratrum Minorum anno MDCXLI. De his etiam S. *Franciſci* Operibus conſuli poteſt *Wadinghus* tomo I. Annalium, & in Biblio-

bliotheca Ordinis Minorum. Inter Theologos Scholaſticos, qui Sæculo XIII. doctiſſimis ſuis Scriptis in Ordine Fratrum Minorum nominis ſui famam longè lateque propagarunt, Principem locum obtinet *Alexander de Hales*, natione Anglus, patriâ Gloceſtrienſis, Vir pietatis eximiæ, Sacræ Facultatis Pariſiēſis Doctor,& S.*Bonaventuræ* præceptor, non tamen S. *Thomæ Aquinatis*, ut ſuperiùs obſervavimus. Adeò in Theologia Scholaſtica excelluit, ut vulgò à ſuis *Fons Vitæ*, *Doctor Doctorum*, & *irrefragabilis*, appelletur. Multa ſcripſit Opera,quorum indicem exhibet *Lucas Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, ex quo tamen Viri eruditi cenſent expungi debere *Summam Virtutum*, *Commentarium in Metaphyſicam*, & *Commentarios in* IV. *libros ſententiarum*, ut videre eſt apud noſtrum *Natalem Alexandrum* in Opuſculo I. *de Collatione Dominicani cum Fratre Minore*, quod eſt in Appendice ad tom. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*. Vitam *Alexandri Halenſis* deſcripſit mox laudatus P. *Joannes de la Haye*, ejuſdem Ordinis Profeſſor, in qua, ut probet S. *Thomam Aquinatem* ex Summa *Alexandri Halenſis* mutuatum eſſe plurima, adducit cap. XI. nonnulla Scripturæ Sacræ loca, quædam S. *Auguſtini*, vel aliorum Patrum, Auctorumque teſtimonia, quaſdam etiam rationes & objectiones, quas S. Thomam, Doctorem Angelicum, ex Alexandro *Halenſi* de verbo ad verbum mutuatum eſſe pertendit. Verùm ipſe etſi lubentiſſimè fatear, magnam fuiſſe S. *Thomæ* de *Alexandro Halenſi*, ejuſque doctrinâ exiſtimationem, hunc tamen Doctorem Angelicum ex Summa *Alexandri Halenſis* plurima in ſuam

de verbo ad verbum tranſcripſiſſe, exiſtimo, putidam calumniam eſſe, quæ multis momentis falſi convinci poteſt. Primò, quia ſi quis utramque Summam, ideſt *Alexandri Halenſis*, & *Sancti Thomæ*, Doctoris Angelici, conferat, facilè comperiet, Summam *Alexandri Halenſis* ab ordine Summæ S. *Thomæ*, methodo, ſublimitate, ſtylo, nitore, eruditione, & ratiocinandi vi toto cœlo diſtare. Præterea; ſi S. Thomas ex Summa *Alexandri Halenſis* plurima in ſuam transfudiſſet, omni procul dubio doctor ille Angelicus laudaſſet aliquandò *Alexandrum Halenſem*, ex quo tàm præclara excerpſiſſet, ſicut alios Auctores, ex quibus aliquid hauſit, ſæpius in ſua Summa, honoris ergò, appellat. Porrò, *Alexandrum Halenſem* ne ſemel quidem in ſua Summa laudat S. *Thomas*. Denique, ſi quid ponderis haberet Patris *Joannis de la Haye* conjectura, nullus eſſet Theologus, qui ab altero non eſſet dicendus accepiſſe, cùm nemo ſit, qui aliquibus Scripturæ Sacræ, aut Patrum teſtimoniis non utatur, quibus in iiſdem controverſiis uſus eſt alter: Nemo qui momenta graviora ab Hæreticis objectari ſolita, vel trita in Scholis argumenta non diluat, propriâ quiſquis eruditione ac methodo eadem tractans, diſcutiens ac ediſſerens. Mirum itàque nemini videri debet, quòd S. *Thomas*, ſummo ingenii acumine pollens, & in Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum Operibus apprimè verſatus, eadem interdùm in ſua Summa laudet Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum teſtimonia, eaſdemque prævideris objectiones, & argumenta, quæ aliquandò habentur etiam in Summa *Alexandri Halenſis*. Optima quippè ratio, res com-

communis eſt. Nec minùs Scripturam Sacram ac Sanctos Patres pervoluerat S. *Thomas*, quàm *Alexander Halenſis*, atque in penetrandis & præoccupandis objectionibus, quæ adversùs quæſtiones, quas tractabat, opponi poterant, non minori ingenii vi ac ſublimitate præditus erat, quàm *Alexander Halenſis*. Nullam ergo fidem merentur P. *Joannes de la Haye*, aliique Scriptores, qui effutiunt, S. *Thomam Aquinatem* ex Summa *Alexandri Halenſis* plurima, ſuppreſſo ejus nomine, in ſua Summa mutuatum fuiſſe. Quod profectò eximiæ Doctoris Angelici modeſtiæ, humilitati, generoſo & grato adversùs Magiſtros animo contumelioſum eſſe, nemo eſt qui non videat.

Alexander Halenſis Diſcipulum habuit S. *Bonaventuram*, natione Italum, Balneoregii in Tuſcia ortum, qui anno ætatis vigeſimo ſecundo Ordinem Fratrum Minorum ingreſſus, eâ vitæ innocentiâ, morumque integritate vixit, ut *Alexander Halenſis*, ejus Præceptor, dicere ſoleret, videri ſibi Adamum in *Bonaventura* non peccaſſe. Tantâ eruditionis famâ claruit, & cum tanto omnium applauſu, ſacræ Facultatis Pariſienſis doctoris infulâ decoratus, Theologiam publicè docuit, ut ejuſdem Facultatis Cancellarius, *Joannes Gerſonius* in Epiſtola, quam Lugdunum ad quemdam Fratrem Minorem ſcripſit an. MCCCCXXVI. his verbis eum magnificè commendet: *Sint alii Doctores, qui dicantur Cherubici, hic*, ſeu Bonaventura, *veriſſimo nomine Saraphicus ſimul & Cherubicus, quia inflammat affectum, & erudit intellectum, reducit & unit ad Deum per amorem excitativum, dùm alii multi ſolùm divaricant & diſpergunt intellectum per præciſio-*

nes, prioritates & poſterioritates, & ſigna & contingentia, cùm tamen unum ſit neceſſarium. De Doctrina etiam S. *Bonaventuræ* idem Cancellarius ad finem libri *de Examinatione Doctrinarum* hoc judicium profert: *Porrò, ſi quęratur à me quis inter cæteros Doctores plùs videatur idoneus? Reſpondeo ſine præjudicio, quòd Dominus Bonaventura, quoniam in docendo ſolidus eſt, & ſecurus, pius, juſtus & devotus. Prætereà, recedit à curioſitate quantùm poteſt, non immiſcens poſitiones extraneas, vel doctrinas ſæculares Dialecticas aut Phyſicas terminis theologicis obumbratas more multorum, ſed dùm ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem & religioſitatem affectus &c.* Ordinis Fratrum Minorum electus Miniſter Generalis, *Bonaventura*, eo, communi Fratrum ſuffragio ſibi credito, officio præclarè functus eſt, & ad reſtaurandam ſenſim collapſam Ordinis Seraphici diſciplinam multa geſſit, totique Ordini maximè profuit. Concilio Generali Lugdunenſi II. interfuit, ubi Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis à *Gregorio X.* creatus, paulò poſt Lugduni obiit die xv. Julii anni MCCLXXIV. quem Funebri Oratione laudavit noſter *Petrus à Tarentaſia* Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, & poſt *Gregorium X.* Summus Pontifex, dictus *Innocentius V.* ſumpto pro Orationis ſuę themate lamentabili *Davidis* textu libri 2. Regum cap. 1. verſ. 26. *Doleo ſuper te mi frater* Jonatha. Sanctorum Faſtis ſolemni Eccleſiæ ritu *Bonaventuram* adſcripſit *Sixtus IV.* anno MCCCCLXXXII. & inter Doctores Eccleſiæ eum cenſeri debere decrevit *Sixtus V.* Pontifex Maximus, qui etiam omnia, quæ S. *Bonaventura* reliquit ingenii ſui, & doctrinæ monumenta, diligen-

ter, & ſummo cum examine undique conquiſita, octo in tomos diſtributa curavit publicâ luce donari, Romæ anno MDLXXXVIII. ut videre eſt apud *Wadinghum* in Bibliotheca Minorum, ubi de Operibus S. *Bonaventuræ* fuſiſſimè differit. Præcipuam S. *Bonaventuræ* in ſcribendo dotem *Trithemius* in Chronico dilucidè exprimit his verbis. *Profundus eſt, non verboſus; ſubtilis, non curioſus; diſertus non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens: undè & ſecuriùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, frequentatur dulciùs, & fluctuoſiùs retinetur.* Ejuſdem Sancti Doctoris Opera hoc elogio celebrat S. *Antoninus* 3. parte Chronicorum tit. XXIV: *Intellectus ejus perſpicacitatem*, inquit, *omnia Opuſcula ejus redolent iis, qui divinam ſcientiam requirentes, hanc libentiùs, quàm vanitatem Ariſtotelicam venerantur.*

S. *Bonaventuræ* coævi fuerunt duo illuſtres Ordinis Minorum Scriptores, natione Angli, *Rogerius Baconus*, & *Richardus de Mediavilla*, quorum primus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis fuit, à *Joanne Pico*, Mirandulæ Comite, *Vir ingenioſiſſimus* appellatus, & ab hominibus ſui temporis *Doctor Mirabilis* dictus. Ad eum S. *Bonaventura* Opuſculum ſuum miſit *De paupertate, labore manuum, & legendi ſtudio*. Reconditos naturæ receſſus *Rogerius Baconus* acutiſſimo ſuo ingenio penetravit, curioſa quæque rimatus eſt, latentes rerum cauſas penitiùs indagavit, & mirabiles quoſdam effectus longè ſupra communem hominum captum extulit in lucem, adhibitis ad id machinis non ſine ſummâ ingenii ſolertiâ excogitatis. Hinc non tantùm apud imperitum vulgus, ſed

apud

apud doctos etiam, ei impactum eſt *Magi* nomen. Quamobrem in Magicarum artium ſuſpicionem adductus, in judicium vocatus eſt ab *Hieronymo de Eſculo* totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro anno MCCLXXVIII. ut videre eſt apud *Wadinghum* in Bibliotheca Minorum, ubi ejuſdem *Rogerii Baconi* Operum accuratum texit Catalogum. *Richardus de Mediavilla*, Oxonienſis Academiæ Doctor itidèm fuit, tamque celebre id ætatis ſibi nomen comparavit, ut *Doctoris ſolidi, copioſi, & fundatiſſimi* nomen conſecutus ſit. Multa ſcripſit hic Doctor, in Theologia Scholaſtica, in Sacris Litteris, & jure Canonico peritiſſimus, de quibus legendi ſunt *Baleus* Centuriâ IV. *De Scriptoribus Britannicis* pag. 359. *Pitſeus* De Scriptoribus Angl. pag. 386. & *Wadinghus* in Annalibus, & in Bibliotheca Minorum. His duobus Scriptoribus Anglis meritò addi debet *Joannes Peckamus*, Ordinis Minorum, natione paritèr Anglus, qui in Oxonienſi Academia cum magno Auditorum applauſu & admiratione publicè prælegit, eâque eruditionis famâ claruit, ut ad Sedem Cantuarienſem, per ceſſionem *Roberti Killwarbeii* Archiepiſcopi Cantuarienſis vacantem, à *Nicolao III.* Pontifice Maximo fuerit ſublimatus, & Romæ anno MCCLXXVIII. illius Eccleſiæ Archiepiſcopus conſecratus. Permulta ſcripſit Opera *Joannes Peckamus* quorum quędam edita ſunt, videlicet *Collectanea Bibliorum*: *Conſtitutiones quadraginta ſeptem* de variis argumentis: *Perſpectiva Communis*. Alia verò ejus Opera inedita ſunt, & adhuc MSS. latent in Bibliothecis Angliæ, ſicut teſtantur *Baleus*, & *Pitſeus* in Catalog. Scriptorum Anglorum. Floruit etiam in Anglia circa

circa annum mcclx. *Joannes Guallenſis*, Ordinis Minorum, ob eximiam doctrinam paſſim *Arbor Vitæ* appellatus. Ejus Opera tàm edita, quàm inedita recenſet *Baleus* cap. 48. Centuriæ iv. *De Scriptoribus Britannicis*. Ad Ordinem Fratrum Minorum Sæculo XIII. hoc eſt, anno mccxl. tranſiit *Albertus*, Cœnobii Stadenſis in Diœceſi Bremenſi, Ordinis S. *Benedicti* Abbas. Apud Fratres Minores, quorum Inſtitutum amplexus erat, tantam exiſtimationem ſibi peperit, ut totius Ordinis Franciſcani Generalis Miniſter fuerit electus. Scripſit Chronicon ab orbe condito ad annum mcclvi. in quo melioris notæ Authores ſequutus, Hiſtoriam vetuſtiorum temporum, tùm verò præcipuè res Germanicas illuſtrat. Primus iſtud *Alberti* Chronicon edidit *Reinerus Reineccius* Hemſtaldii anno mdlxxxvii. quod fuit poſteà recuſum Witembergæ anno mdcviii.

Sub finem Sæculi XIII. floruit in Ordine Fratrum Minorum *Guillelmus Lamarenſis*, qui adversùs Doctrinam S. *Thomæ Aquinatis*, cujus æmulus erat, librum edidit, quem inſcripſit: *Correctorium Operum Fratris Thomæ*. At *Ægidius Romanus*, Scriptor ejuſdem ſæculi, ex gente *Columna*, apud Italos illuſtriſſimâ, oriundus, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, & Prior poſteà Generalis, necnon Archiepiſcopus Bituricenſis, hunc librum *Guillelmi Lamarenſis* egregiè confutavit, atque ad vindicandam doctrinam Sancti Thomæ, inter cujus Diſcipulos primarius, illiuſque doctrinæ ſtudioſiſſimus ſemper fuit, librum compoſuit, qui inſcribitur: *Correctorium Corruptorii Fratris Thomæ*, ſeu *Defenſorium Fratris Thomæ*, in cujus libri Apologetici

tici Prẹfatione meritò invehitur *Ægidius Romanus* in quoſdam malè feriatos, *qui*, ut inquit, *Doctrinam S. Thomæ, qua fulget Eccleſia, immò veritatem, quam docuit, depravare nituntur, ipſius Sermonibus veritate plenis, & Spiritu veritatis inſtigante conſcriptis, detrahentes*. Hunc eximium Doctorem, quem Academia Pariſienſis tanti fecit, ut *Doctoris Fundatiſſimi* honorificum nomen ei detulerit, doctrinæ ſuæ vindicem habere meruit S. *Thomas*, Theologorũ Princeps, & Scholarum Angelus, in quem *Guillelmus Lamarenſis*, togæ ſuæ nimiùm amans, alienæ impotentèr æmulus, aperto marte inſurrexerat.

D. Tenenturne Fratres Minores ſequi in Scholis doctrinam *Alexandri Halenſis*, aut S. *Bonaventuræ*, ſicut Fratres Prædicatores in verba Sanctæ *Thomæ* jurare, & ab ejus doctrina ne latum quidem unguem deſciſcere obſtringuntur?

Fratres Minores nec in *Alexandri Halenſis*, nec in S. *Bonaventuræ* verba jurare coguntur, ſed *Joannis Scoti* Doctoris Sacrẹ Facultatis Pariſienſis, Theologi ſubtiliſſimi, quem Magiſtrum venerantur, doctrinam in Scholis ſequuntur, pro ea acerrimè pugnant, & Scotiſtarum nomine gloriantur. Quâ de re olim *Gerſonius*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarius, in Epiſtola jam citatâ ad quemdam Fratrem Minorem Lugduni commorantem, conqueritur paulò durioribus hiſce verbis: *Et ecce proh dolor! Doctores iſti duo Ales & Bonaventura, videntur quaſi ſepulti cum illis, quorum non eſt memor amplius, præſertim in cordis amore. Extolluntur alii quidam, quorum ſint utinam nomina in libro vitæ! non enim Studioſis invidemus. Sed multæ aliquos ipſorum litteræ fecerunt ſub nomine ſubtilitatis*

inſa-

inſanire, cum ſequacibus eorum &c. Sed quidquid dicat *Gerſonius*, quem in *Scotum*, ejuſque diſcipulos, minùs æquum fuiſſe aſſerunt Fratres Minores, certum eſt, *Joannem Scotum* novam inſtituiſſe Scholam, quam anno MCCCXX. florere cœpiſſe, & progreſſu temporis celeberrimam evaſiſſe probat doctiſſimus *Antonius Pagius*, Ordinis Minorum, in ſua *Critica Hiſtorico Chronologica Baronii* ad annum MCXC. num. 10.

D. Expone, quæſo te, paulò uberiùs, quis fuerit iſte *Joannes Scotus*, novæ Scotiſtarum Scholæ inſtitutor, & quâ in re potiſſimùm excelluerit?

M. Qua ex patria oriundus ſit *Joannes Duns*, cognomento *Scotus*, nihil certi affirmare poſſum, maximè cùm ea de re Angli, Scoti, & Hiberni acerrimè inter ſe digladientur, ſingulis certatim illum ſibi vendicantibus, aſſerit tamen *Lucas Wadinghus*, Minorum Annaliſta, eum natione fuiſſe Hibernum, & Duni in Ultonia natum. Ordini Fratrum Minorum juvenis adhuc nomen dedit, & in Philoſophia ac Theologia Scholaſtica adeò excelluit, ut *Doctor Subtilis* fuerit appellatus. Nihil erat tam obſcurum, denſâque caligine involutum, quod ille, ſibi ſaltem, non redderet perſpicuum, & clarum; nihil tam occultum & abſtruſum, quod actutùm ingenio ſuo ad litteras planè facto, & ad miraculum ſubtili atque acuto, non penetraret, nihil denique tam nodoſum, quod ille non diſſolveret. Theologiam docuit primùm Oxonii in Anglia, deinde Pariſiis. Aſſerunt nonnulli Scriptores, *Joannem Scotum*, dùm Oxonii in Anglia doceret, tantâ ſui nominis gloriâ hanc Cathedram Theologicam fuiſſe moderatum, ut triginta pluſquam

Scho-

Scholarium millia, ejus audiendi gratiâ, Oxonium undique confluxerint. Multa Opera Philoſophica, & Theologica ſcripſit ſubtilis ille Doctor, quæ duodecim tomis comprehenſa, ac Notis illuſtrata *Lucas Wadinghus*, unà cum ejus vita, Lugduni edi curavit anno MDCXXXIX. In hac *Wadinghi* Operum *Scoti* Editione Tomi V. VI. VII. VIII. IX. & X. complectuntur magnum *Scoti* Commentarium in IV. libros Sententiarum, dictum *Oxonienſe*, eò quòd Oxonii à *Scoto* fuiſſet elucubratum. Tomus verò undecimus continet *Reportatorum Pariſienſium libros* IV. qui quaſi compendium rude ſunt jam citati magni Commentarii *Scoti* in IV. libros Sententiarum, quod *Oxonienſe* appellatur. De hoc Opere *Reportatorum Pariſienſium* hanc cenſuram fert *Wadinghus*: *præter ſtylum longè diverſum à ſcripto Oxonienſi, diſcrepat etiam ab eodem valdè doctrina. Adde, longè humiliùs & inferius eſſe priori Opere, proindè ingenio jam provectioris Doctoris ſubtilis indignum*. Hactenus *Wadinghus*; qui hac ratione factum eſſe ait, ut, neglectis *Reportatis Pariſienſibus*, omnes inhæreant Oxonienſi Commentario. Sed de Operibus *Joannis Scoti* conſule eumdem *Wadinghum* tomo 3. Annalium, & in Bibliotheca Fratrum Minorum. Scribit in Annalibus Eccleſiæ noſter *Bzovius*, ſecutus *Paulum Jovium*, infelici vitæ exitu *Joannem Scotum* fuiſſe extinctum, eumque comitiali morbo laborantem, & nimis feſtinato funere elatum, cùm, redeunte vitâ, ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtrà miſerabili mugitu opem petiiſſe, pulſatoque diu lapide, eliſo tandem capite periiſſe. Verùm, hanc fabulam pluribus momentis refellit *Wadinghus*, quorum

præ-

præcipuum petitur ex uſu, qui in Conventu Colonienſi Fratrum Minorum, ubi mortuus eſt *Joannes Scotus*, ſemper obtinuit, ſepeliendi videlicet Fratres non in Sepulchris concameratis, ſed in humo effoſsâ, alligatis manibus & pedibus defuncti, atque injectâ ſupra Corpus Cadaveris terrâ. Juxta quem ritum ſi quis, etiam vivus ſepeliatur, neque ſpirare, neque mugire, neque gradus aſcendere, neque lapidem pulſare poterit ſemel ſepultus. Exploſâ itaque hac fabulâ, hoc unum certum eſt, *Joannem Scotum*, Doctorem ſubtilem obiiſſe Coloniæ anno MCCCVIII. ſexto Idus Novembris.

Duos ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum eximios Theologos *Joannes Scotus*, diſcipulos habuit, videlicèt *Franciſcum Mayronium*, & *Guillelmum Okamum*. Primus natione fuit Gallus, è Dinienſi Provinciæ Oppido oriundus, Theologus Facultatis Pariſienſis, & *Doctoris Acuti* nomine clarus. Exercitationem illam celebrem à Facultatis Pariſienſis Baccalaureis in Aula Sorbonica haberi ſolitam inſtituit hic *Franciſcus Mayronius*, quam vulgò *Sorbonicam* appellant, & quæ incipit à ſexta hora matutina, & deſinit in ſexta veſpertina, ſine præſide, ſine ſocio, ſine prandio & paſtu, ſine ulla emigratione, in eadem perpetua corporis & animi contentione, per duodecim horas continuas omnibus & ſingulis arguentibus reſpondetur. Quam exercitationem abſque aliquo ſalutis detrimento vix fieri poſſe facilè crediſiſſem, niſi ipſe dùm Actus meos Academicos Pariſiis quatuordecim abhinc annis in ſtudio Licentiæ peragerem, contrarium proprio experimento didiciſſem. Scripſit *Franciſcus Mayronius* Commentarium in

IV. li-

IV. libros Sententiarum : librum unum de Formalitatibus: Sermonum de Tempore librum unum: & alterum librum Sermonum de Sanctis. Scripſit etiam quæſtiones Quodlibetales, quas in Codice MS. vetuſtiſſimo, in quo plures continebantur quæſtiones, quàm in Quodlibetis editis, apud ſe habuiſſe teſtatur *Antonius Pagius* ad annum MCXC. num. XI. *Guillelmus Okamus*, gente Anglus, & *Joannis Scoti* alter diſcipulus fuit, ſed ejus doctrinæ poſteà impugnator acerrimus. In Ariſtotelica Philoſophia adeò profecit, ut ob Logicas meditationes, & cætera Philoſophica & Theologica Theoremata ſubtilitèr inventa, ſubtiliùſque firmata, *Venerabilis inceptor*, & *Auctor invincibilis* vulgò appellaretur. Scholam Nominalium inſtauravit, eorumque ſubtilitates & argutias jam penè obſoletas & emortuas excitavit. Ad *Ludovicum Bavarum*, Imperatorem, qui id ætatis Eccleſiam funeſto Schiſmate turbavit, ſeſe contulit, eumque ſic affatus eſt: *Tu me defendas gladio, & ego te defendam calamo*. Partes *Petri de Corbario*, Franciſcani Antipapæ, ſtrenuè fovit, & adversùs *Joannem XXII.* legitimum Pontificem, à quo fuerat excommunicationis fulmine percuſſus, acerrimè ſcripſit, præſertìm in Tractatu, quem contra Summi illius Pontificis Conſtitutionem, quæ incipit. *Quia Vir reprobus Michaël*, edidit, quemque inſcripſit: *Opus nonaginta dierum*, ubi Summum Pontificem *Joannem XXII.* paſſim inſectatur, centiès repetitis his verbis: *Dicit iſte Hæreticus*. Tractatus, quos edidit *Guillelmus Okamus* adversùs *Joannem XXII.* editi ſunt à *Goldaſto* tomo 2. *Monarchiæ*, ſicut & alii Tractatus, quos adversùs eumdem Summum Ponti-

tifi-

tificem ſcripturivit *Michaël Cæſenas*, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, qui à *Ludovici Bavari* Imperatoris partibus ſtetit, & à *Joâne XXII.* atque à ſuis meritò damnatus eſt anno MCCCXXIX. & MCCCXXXI. ut videre eſt apud *Spondanum*. Multa alia Opera ſcripſerunt *Guillelmus Okamus*, & *Michaël Cæſenas*, de quibus legendus eſt *Wadinghus* in Annalibus, & in Bibliotheca Fratrum Minorum, ubi etiam probare nititur, *Guillelmum Okamum*, & *Michaëlem Cæſenatem* ad meliorem frugem ſeſe recepiſſe, & pœnitentes obiiſſe. Quod licèt ipſe inficias ire nolim, incertum tamen eſſe puto, dicente S. *Auguſtino* in libro de Doctrina Chriſtiana: *Sicuti non poteſt malè mori, qui benè vixit, ita vix benè moritur, qui malè vixit.* Et ſanè, multos legimus in omnibus Eccleſiæ Sæculis ſurrexiſſe erroris & Schiſmatis Duces, atque ab avita Religione populorum animos abalienaſſe; Sed qui reverterentur deindè deſerta in caſtra, ſuiſque ſe aſſeclis ſubducerent, vix unum alterumve legimus. Ut ut ſit, proterviam *Guillelmi Okami*, & *Michaëlis Cæſenatis* retudit, & pro *Joanne XXII.* Apologiam adornavit *Alvarus Pelagius*, Ordinis Fratrum Minorum, Epiſcopus primùm Coronenſis in Achaja, & poſteà Antiſtes Silvenſis in Luſitania, conſtitutus, qui vixit eodem Sæculo XIV. hoc eſt, circà annum MCCCXL. Scripſit etiam idem *Alvarus Pelagius* duos libros *de Planctu Eccleſiæ*, quos nuncupavit *Petro Gomeſio*, Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro, & alia Opera, de quibus legendus eſt *Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum pag. 15.

Præter *Mayronium*, & *Okamum*, duos alios

celebres Diſcipulos habuit *Joannes Scotus*, quos hic prætermittere non debeo. Primus eſt *Antonius Andreas*, Ordinis Minorum, Philoſophus & Theologus inſignis, *Doctor Dulcifluus* à ſuis nunupatus, qui Commentarium ſcripſit in IV. libros Sententiarum. Alter eſt *Joannes Baſſolis*, Ordinis Minorum, *Doctoris Ordinatiſſimi* nomen conſecutus, qui Miſcellanea Philoſophica & Medica, necnon Commentaria in IV. libros Sententiarum ad poſteros tranſmiſit. Denique, ne in aliis recenſendis Ordinis Fratrum Minorum Scriptoribus in immenſum diffundar, quatuor dumtaxat celebriores ſubnectam, videlicet *Nicolaum de Lyra*, *Petrum Aureolum*, *Aſteſanum*, & *Raymundum Lullum*, qui Sæculo XIV. floruerunt. In primis, *Nicolaus de Lyra*, natione, non Brabantinus, nec Flandricus, nec Anglus, ut falsò putarunt varii Scriptores, ſed Normannus, è *Lyra* Normandiæ vico, Judaicis parentibus ortus eſt, unde *Lyranus* vulgò dictus. Ordinem Fratrum Minorum in Cœnobio Vernolienſi profeſſus eſt, & in Sacra Facultate Pariſienſi Doctoralibus Infulis exornatus, per plures annos Sacram Scripturam Pariſiis Summa cum laude interpretatus eſt. Pratèr quæſtiones veteris & novi Teſtamenti, *Poſtillam* paritèr edidit, ſeu brevia Commentaria in univerſam Scripturam Sacram, quæ ſimul cum ordinaria *Strabi* Gloſſa, & Interlineari *Anſelmi* Laudunenſis reperitur. Scripſit etiam idem *Nicolaus Lyranus* Tractatus in Judæos, Commentarios in IV. libros Sententiarum, & alia Opera, de quibus legendus eſt *Lucas Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. Obiit *Nicolaus Lyranus* Pariſiis die XXIII. Octobris anni

ni MCCCXL. & in Aula Capitulari Conventus Fratrum Minorum ſepultus. *Petrus Aureolus*, natione Gallus, Vermetiæ, Oppido ad Iſaram fluvium, natus, Ordinem Minorum profeſſus, Laureâ Doctorali in facultate Pariſienſi inſignitus eſt. Dein, ad Archiepiſcopatum Aquenſem anno MCCCXXI. promotus fuit, atque ob ingenii perſpicaciam *Doctor Facundus* appellatus. Edidit *Petrus Aureolus* Breviarium Bibliorum, ſive Epitomen univerſæ Scripturæ Sacræ juxtà ſenſum litteralem: Compendium Theologiæ: Commentarios in IV. libros Sententiarum: librum de Conceptione B. Virginis *Mariæ*: Tractatum de Paupertate & uſu paupere rerum: Sermones &c. *Aſteſanus*, natione Italus, ex *Aſta*, Subalpinorum urbe nobili, oriundus, claruit in Ordine Fratrum Minorum, & ſcripſit Summam Caſuum Conſcientiæ in octo libros diſtributam, quæ vulgò *Aſteſana* dicitur, obiitque circà annum MCCCXXX. *Aſteſanum* alterum paulò poſt in Ordine Minorum floruiſſe, Auctorem Commentariorum in libros Sententiarum, & in Apocalypſim, ac Sermonum de Tempore, rectè obſervat *Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum. Circa *Raymundum Lullum*, quem Tertio Ordini S. *Franciſci*, nomen dediſſe, & Sæculo XIV. floruiſſe ſcribunt Authores Minoritæ, non nulla jam obſervavimus in Colloquio tertio, ubi oſtendimus primò, multas propoſitiones, ex libris *Raymundi Lulli* excerptas, à *Gregorio XI.* Pont. Maximo fuiſſe ceù Hæreticas proſcriptas, ut liquet ex ipſius Diplomate, relato à noſtro *Eymerico* in Directorio Inquiſitorum, quod Diploma nec ſubreptitium, nec ſuppoſititiū eſſe, ibidem evicimus, Secun-

do, commonſtravimus, *Raymundo Lullo*, propter illas propoſitiones hæreticas, infamem hæreſeos dicam impingi non debere, quia certiſſimè conſtat, eum correctioni & judicio Eccleſiæ omnia ſua ſubjeciſſe Opera, ut multis probat *Wadinghus*, Minorum Annaliſta, & poſt ipſum *Joannes Baptiſta Sollerius*, continuator *Bollandi* in Diſſertatione Hiſtorica *de Orthodoxia & libris B. Raymundi Lulli genuinis ac ſuppoſititiis*, quam inſeruit tomo v. De Actis Sanctorum menſis Junii. Ex quo ſequitur, non minùs Orthodoxiam; immò & ſanctitatem *Raymundi Lulli* vindicari poſſe; quàm vindicari ſolet Orthodoxia, & Sanctitas *Joachimi* Abbatis, quem, ſicut obſervavimus in Colloquio III. in Hiſtoriam ſæculi duodecimi, *Honorius III.* Pontifex Maximus defendit contra ejus Calumniatores; tametſi Abbatis *Joachimi* liber contra *Petrum Lombardum* Oecumenici Concilii Lateranenſis IV. judicio fuiſſet confixus, idque eâ ſolùm de cauſa, quòd Abbas *Joachimus ſcripta ſua mandavit Romano Pontifici aſſignari Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda*, ut ait ille Summus Pontifex in Brevi Pontificio, quod ad Antiſtites Cuſentinum, & Biſiniacenſem in gratiam Abbatis *Joachimi* deſtinavit. De Vita, & Geſtis *Raymundi Lulli*, ortu Majoricenſis; legeſis poſt *Wadinghum*, jam citatum *Joannem Baptiſtam Sollerium* ad diem XXX. menſis Junii, ubi ex variis Scriptoribus omnia collegit, quæ ſpectant converſionem *Raymundi Lulli*, frequentes ejus peregrinationes, pro dilatatione Fidei Catholicæ ſuſceptos labores, heroicas virtutes, Martyrium pro fidei defenſione, ei à Saracenis Bugiæ in Africa illatum, cultum, quo Majori-
çenſes

cenſes eum ut Martyrem venerantur, & miracula, quæ patravit poſt mortem. Quæ licèt omnia in dubium, hìc revocare non auſim, his tamen fidem adhibere non teneor, quia Eccleſia Romana, cæterarum Mater & Magiſtra, necdùm *Raymundi Lulli* Heroicas virtutes, Martyrium, & miracula vindicavit. Innumeros penè libros ſcripſit *Raymundus Lullus*, quorum Catalogus, quem poſt *Wadinghum* exhibet ad diem xxx. Junii pag. 697. *Sollerius*, Bollandi continuator, tomo v. *de Actis Sanctorum*, complectitur libros trecentos triginta & unum, non computatâ Appendice aliorum librorum, qui ſub ejus nomine circumferuntur, quique ad Chimiam majori ex parte attinent. Sed, ut candidè fatear, difficilè in animum meum inducere poſſum, ab uno *Raymundo Lullo*, tot variis occupationibus, peregrinationibus, & concionibus diſtracto, tantam librorum copiam, non dico componi attentiùs, ſed vel tranſcribi commodè potuiſſe. De Scriptis *Raymundi Lulli* varia ac diverſa ſunt Authorum judicia, quibus referendis, ne longior ſim, conſultò ſuperſedebo, unum dumtaxat, quod Lulliſtis ſuſpectum eſſe haud poteſt, proferam judicium *Wadinghi*, qui tomo 3. Annalium Minorum ad annum MCCCXV. quo obiit *Raymundus Lullus*, ſic de ejus Operibus cenſet: *Quid de genuinis Lulli Operibus ſentiam*, inquit, *liberè pronunciabo. Opus Theologicum in libros Sententiarum, eò majorem ingerit admirationem, quò copioſiùs, miris & inuſitatis modis loquendi, omnia fidei comprehendit arcana, deque ſingulis Theologiæ controverſiis plures inſtituit quæſtiones. Libri de Contemplatione, & pia quæque argumenta, quæ tractat, devotionem*

 ſpi-

rant, *& fidei dilatandæ præferunt ardorem. Præter hæc, varii ſunt Tractatuli, vario fine & tempore compacti, qui vagum & verſatile, & ad omnia paratum hominis indicant ingenium. Artes Magna, & Parva, & Inventiva veritatis, admirabiles habent ambages, & ſinuoſos anfractus, per quos nec Dædalo liceat incedere, nec ingenioſiſſimis aliquandò viris etiam filum ſufficiat Ariadnæ, quin in itinere, vel judicio ſæpè deficiant. Paucos, vel nullos invenias, qui hanc artem, vel artium omnium ſecretiſſimum & myſterioſum, quod fingunt, Seminarium, vel, ut, alii volunt ludibrium, perfectè aſſequantur ...... in univerſis autem hominis Operibus ſtylus inconcinnus, inæqualis, non ſolum humilis, verùm paſſim barbarus, idiotiſmis aliorum idiomatum ubique ſcatens. Methodus irregularis, inculta & confuſa: Rerum geſtarum neque ſeria, neque lenis, ſed levis & aſpera, aliquandò ridicula, vera tamen & ſincera narratio. Modi, & termini loquendi à communi diſſident loquela Theologorum, & pleræque ejuſdem aſſertiones à communi noſtri ævi doctrina.* Candidè etiam fatetur ibidem *Wadinghus*, majorem partem propoſitionum, quas noſter *Eymericus* in ſuo *Directorio Inquiſitorum*, tanquam hæreticas perſtringit, offendi in Operibus *Raymundi Lulli*: ſic enim inquit: *Porrò ex reliquis propoſitionibus, quas Eymericus centum exſcripſit in Directorio, major & potior pars verè in ejus Operibus reperitur, quarum nonnullæ duriores & craſſiores ſunt, quàm eas communis Theologorum ſchola admittat, aut ſine cenſuris elabi permittat.* Hactenùs *Wadinghus*, cujus accurato de *Raymundi Lulli* Operibus judicio lubentiſſimè ſubſcribo.

D. Jam intelligo, benèmultos ex utroque

Ordi-

Ordine Fratrum Mendicantium, Prædicatorum, & Minorum Sæculis XIII.& XIV. prodiiſſe præclariſſimos Scriptores, nec dubito, quin in aliis duobus Ordinibus Mendicantium, videlicet Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, celebres itidèm floruerint Scriptores, quos profectò ſilentio prætermittere haud debemus.

M. In Ordine Fratrum Eremitarum S. *Auguſtini* floruit ſub finem Sæculi XIII. & initium Sæculi XIV. *Ægidius*, patriâ Romanus, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Prior Generalis, deindè Bituricenſis Archiepiſcopus. S. *Thomæ Aquinatis*, cujus diſcipulus fuerat, acerrimum ſeſe præbuit vindicem, &, ſicut antea obſervavimus, contra *Guillelmum Lamarenſem*, Minoritam, qui S. *Thomæ* doctrinam primus impugnaverat, librum compoſuit, quem inſcripſit *Correctorium Corruptorii Operum F. Thomæ*. Laureâ Doctorali in Sacra Facultate Pariſienſi donatus, ob eximiam, quâ fulgebat, eruditionem, *Doctoris Fundatiſſimi*, omnium virorum eruditorum calculo, promeritus eſt. Interfuit Concilio Generali Viennenſi celebrato anno MCCCXI. ac demùm Avenione meritis plenus obiit die XXII. Decembris anni MCCCXVI. Multa ſcripſit *Ægidius Romanus* Philoſophica, Theologica, Moralia, Commentarios in Cantica Canticorum, in Epiſtolam S. *Pauli* ad Romanos, & in Epiſtolam primam ejuſdem Apoſtoli ad Corinthios, nec non librum *de Eccleſiaſtica Poteſtate*, quem *Philippus Bergomenſis* in Supplemento Chronicorum ad annum MCCCXVI. recenſet, ubi etiam *Ægidium Romanum* miraculis claruiſſe, & ſanctitatis merito *Beatum Doctorem* appellatum ſcribit.

Præter *Ægidium Romanum*, alii duo ejuſdem Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Priores Generales Sæculo XIV. Theologiam Scholaſticam perdoctis ſuis lucubrationibus illuſtrarunt, videlicet *Thomas Argentinenſis*, & *Gregorius Ariminenſis*, quorum primus, ſeu *Thomas Argentinenſis*, natione Germanus fuit, patriâ Argentoratenſis, unde nomen traxit, Theologus Pariſienſis, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Prior Generalis electus Pariſiis anno MCCCXLV. cùmque annos XII. Magiſtratum geſſiſſet, è vita migravit Viennæ in Auſtria anno MCCCLVII. Extant etiamnùm Commentarii, quos edidit in IV. libros Sententiarum. Cæterùm, confundi haud debet iſte *Thomas Argentinenſis* cum altero ejuſdem cognominis *Thoma de Argentina* Ordinis Prædicatorum, qui ſub finem Sæculi XV. hoc eſt, anno MCCCCXCV. claruit, & ſcripſit Sermones, Meditationes, Epiſtolas, & Quæſtiones, ut teſtantur *Trithemius*, & *Simlerus*. Alter Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Generalis Prior, ſeu *Gregorius Ariminenſis*, natione fuit Italus, patriâ Ariminenſis, Facultatis Pariſienſis Doctor, & Theologorum ſui temporis ſubtiliſſimus. Edidit Commentarios in IV. libros Sententiarum, in Epiſtolas S. *Pauli*, & in Epiſtolam Canonicam S. *Jacobi*, librum *de Uſuris*, & Sermones de Tempore & de Sanctis. Inter Illuſtres etiam Sæculi XIV. Scriptores Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, jure ac merito recenſeri debent *Auguſtinus Triumphus*, & *Richardus Hampolus*. Summam *de Poteſtate Eccleſiaſtica* edidit *Auguſtinus Triumphus*, Italus, quam *Joanni XXII.* nuncupavit, necnon *Milleloquium S. Auguſtini*, quod *Bartholomæus Urbinas*, ejus diſcipu-

ſcipulus, abſolvit, & *Clementi VI.* dicavit, teſte *Trithemio*. Natione Anglus & patriâ Eboracenſis fuit *Richardus Hampolus*, qui in plures Sacræ Scripturæ libros edidit Commentarios, & alia quædam Opuſcula aſcetica, quæ extant in Bibliotheca Patrum tomo XXVI. Prætermitto, brevitatis ergò, alios complures Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Scriptores, qui Sæculo XIV. in Theologia Scholaſtica verſatiſſimi Commentarios in IV. libros Sententiarum adornarunt, vel in arte concionandi diù multùmque exercitati Sermones ediderunt, & alia id genus Opuſcula Sacra.

In Ordine Carmelitarum Complures itidèm Sæculo præſertim XIV. extiterunt eruditi Theologi Scholaſtici, qui Commentarios in IV. libros Sententiarum ſcripſerunt; eximii Scripturæ Sacræ Interpretes, qui Commentarios in Scripturam Sacram concinnarunt; Egregii Concionatores, qui Sermones, & libros de Vita Aſceticâ lucubrarunt, de quibus ſingillatim differere, cùm mihi non permittant anguſtiæ temporis, duos celebriores hìc tantùm laudabo, quorum primus, & unus inſtar omnium eſt *Joannes Baconus*, natione Anglus, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus, qui tantam in reſolvendis Theologiæ Scholaſticæ quęſtionibus famam conſecutus eſt, ut *Doctoris Reſoluti* nomen obtinere promeritus fuerit. Scripſit Commentaria in IV. libros Sententiarum, Compendium Legis Chriſti; Quodlibetica quædam Carmeliticum Ordinem ſpectantia, Commentaria in libros Sancti Auguſtini *de Civitate Dei*, & *de Trinitate*, & in libros Sancti Anſelmi *de Incarnatione Verbi*, Tractatus varios adversùs Judæos, Sermones

nes varios, & alia Opera, quæ adhuc inedita ſunt, quorum Catalogum ſatis longum texunt *Baleus*, *Pitſeus*, aliique, qui de Scriptoribus Anglis, eorumque Operibus diſſerunt. Alter Scriptor Ordinis B. *Mariæ de Monte Carmelo*, qui Sæculo XIV. floruit, eſt *Guido de Perpiniano*, è Ruſcinonenſi Comitatu Oriundus, qui hujus Ordinis Prior Generalis fuit, deindè Majoricenſis in Inſulis Balearibus Epiſcopus, demùm Elnenſis. Scripſit librum *de Hæreſibus* ad *Gaucelinum* Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, & *Concordiam quatuor Evangeliſtarum*. Ejuſdem *Guidonis* Commentarium in Decretum *Gratiani* extare MS. in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi teſtatur *Stephanus Baluzius* in ſuis Notis in *Gratianum* pag. 642. & *Caſimirus Oudinus* in Supplemento Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſerit, *Tractatum de perfectione Vitæ*, quem ſcripſit idem *Guido de Perpiniano*, reperiri MS. in Bibliotheca Colbertina. Si plura de Scriptoribus Ordiuis Carmelitarum ſcire aveas, legeſis *Joannem Baptiſtam de Lezana*, qui eorum Annales concinnavit, & *Trithemium*, qui de illorum origine & laudibus ſcripſit.

D. De his Scriptoribus plura ſcire non deſidero, ſed unam dumtaxàt ſub finem hujuſce Colloquii percupio habere notitiam illorum Authorum, quos in decima claſſe Scriptorum Sęcul. XIII. & XIV. repoſuiſti, quique de Jure Canonico ſcripſerunt, aut Epiſtolas Decretales Romanorum Pontificum in unum corpus redegerunt.

M. Seriem Authorum, qui Sæculs XIII. & XIV. de Jure Canonico ſcriſperunt, incipiam à doctiſſimis Romanis Pontificibus, qui his duobus Sæculis Eccleſiam rexerunt, & Epiſtolas Decretales edide-

ediderunt, quarum deindè variæ factæ ſunt Compilationes, quæ ad Jus Canonicum, ſeu Pontificium attinent. Et primò quidem *Innocentius III.* Pontifex Maximus, benè multas ſcripſit Epiſtolas, quas duobus libris collegit, edique curavit *Guillelmus Sirletus*, poſteà Cardinalis, Romæ anno MDXLIII. His duobus Epiſtolarum *Innocentii III.* libris, quatuor alios ineditos ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Collegii Fuxenſis adjecit, ac evulgavit Toloſæ anno MDCXXXV. *Franciſcus Boſquetus*, poſteà Epiſcopus Montiſpeſſulanus, à quo etiam additæ ſunt eruditæ Notæ. Verùm, omnium curas longè ſuperavit *Stephanus Baluzius*, qui Pariſiis anno MDCLXXXII. pulcherrimam & caſtigatiſſimam adornavit Editionem omnium, quas reperire potuit, *Innocentii III.* Epiſtolarum, quæ certè quantùm ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam illius temporis illuſtrandam, & ad jus Canonicum excolendum conferant, jam obſervarunt Viri eruditi. Pratèr tot Epiſtolas, quas, ob varia Eccleſiæ emergentia negotia, ſcripſit *Innocentius III.* alia ejus Opera ſeorſim edita in duos tomos conjecta ſunt, quorum priori continentur in primis *Sermones*, variique pii Tractatus, ut de *Myſteriis Miſſæ*, *de contemptu Mundi*, *de Sanctorum veneratione*, & *Acta atque Decreta Concilii Lateranenſis*, *Hymnus etiam in Chriſtum & ejus Matrem*.

Honorius III. multas etiam ſcripſit Epiſtolas. Quamvis enim tres tantùm illius Pontificis Epiſtolæ in Collectione Conciliorum habeantur, aliæ tamen occurrunt apud *Odoricum Raynaldum*, *Bzovium*, *Wadinghum*, *Duchenium*, & alios Eccleſiaſticos Scriptores, præter Compilationem integram De-

Decretalium ab *Innocentio Cironio*, Cancellario Eccleſiæ Toloſanæ, editam anno MDCXLV. Inter Juris Canonici peritos Pontifices Romanos cenſeri debet *Gregorius IX.* cujus ſexdecim Epiſtolæ inter Pontificias relatæ fuerunt, & aliæ non paucæ variis in locis publicatæ reperiuntur. Hujus Summi Pontificis juſſu, ſicut anteà obſervavimus, S. *Raymundus Pennafortius*, Ordinis Prædicatorum, Decretalium libros quinque ex prioribus Compilationibus collegit, & anno MCCXXX. vulgavit. Quod quidem ut clariùs intelligas, obſervare debes, poſt editum *Gratiani Decretum* novas ſubindè à ſequentibus Romanis Pontificibus emanaſſe Epiſtolas, & Conſtitutiones, quæ cùm jus facerent in rebus Eccleſiaſticis, earum acceſſione locupletari Canonicam Diſciplinam neceſſe fuit. Primus itaque *Bernardus*, Præpoſitus Papienſis, ac deindè Epiſcopus Faventinus, Decretales præſertim ſuæ ætatis Pontificum Epiſtolas in quinque libros collegit paulò antè annum MCXC. Hæc eſt prima Collectio, ſeu Compilatio Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum. Emergentibus deindè aliis ſubindè Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionibus, ſecunda Collectio, ſeu Compilatio ter à tribus Authoribus confecta eſt, *Gilberto* videlicèt Abbate, *Alano* Epiſcopo Antiſiodorenſi, & *Joanne Galenſi* ſeu *Vallenſi*, Volaterris in Tuſcia nato. Prævaluit tamen ea Collectio, ſeu Compilatio, quam *Joannes Vallenſis* compoſuit. Tertiam Collectionem ex Regeſtis *Innocentii III.* compilaverat *Bernardus*, Archidiaconus Compoſtellanus, quæ non eſt recepta. Unde *Innocentius III.* aliam Collectionem, quam vocamus *Tertiam*, confici juſſit, & auctoritate publicâ

blicâ munivit. Quartam collectionem compilari curavit idem Summus Pontifex *Innocentius III.* cui aliam quintam Collectionem addidit *Honorius III.* Ex his itaque quinque Collectionibus, ſeu Compilationibus Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum, voluit *Gregorius IX.* ſucceſſor *Honorii III.* ut *S. Raymundus Pennafortius* novam Compilaret Collectionem, quæ quinque libris conſtat, & cæteris aliis Collectionibus longè accuratior cenſetur. Poſt illos quinque Decretalium libros à S. *Raymundo* juſſu *Gregorii IX.* editos, duobus voluminibus conſtare cœpit Juris Pontificii Corpus, *Decreto* ſcilicet *Gratiani*, *& Decretalibus*. Nam licet à ſequentibus Pontificibus conditæ fuerint Conſtitutiones non paucæ, non niſi tamen circà annum MCCC. in unum volumen digeſtæ fuerunt juſſu *Bonifacii VIII.* qui partim ſuas, partim Superiorum poſt *Gregorium IX.* Pontificum, ipſiuſque *Gregorii IX.* poſteriores Decretales collegit, & ſimul cum illis duorum Conciliorum Generalium Lugdunenſium Decreta. Quæ *Bonifacii VIII.* Compilatio *Sexti* nomine donata eſt, eò quòd *Bonifacius VIII.* librum ſuum annecti voluerit quinque aliis libris Collectionis, ſeu Compilationis, juſſu *Gregorii IX.* factæ à *S. Raymundo*. Poſt mortem *Bonifacii VIII.* & *Benedicti XI.* aliàs *X.* Sedem Pontificiam Româ Avenionem tranſtulit *Clemens V.* qui Conſtitutiones Generalis Concilii Viennenſis, cui præfuit anno MCCCXI. unà cum nonnullis ſuis Conſtitutionibus atque Epiſtolis Decretalibus, ante, aut poſt prædictum Concilium emiſſis, colligi curavit. Sed, eo ante promulgationem defuncto, proximus ejus Succeſſor *Joannes XXII.* eas auctoritate

ritate publicâ donavit, ediditq; VIII. Kal.Novembris anno ſecundo Pontificatus ſui, ideſt anno Chriſti MCCCXVII. Hæ autem Conſtitutiones, ſeu Epiſtolę Decretales, cùm ſolum *Clementem V.* partim per ſe, partim per Synodum Generalem Viennenſem ab eodem Pontifice celebratam, Authorem habeant, *Clementinæ* dictæ ſunt, quamvis *Clemens V.* eas ſub titulo libri VII. *Decretalium* vulgare deſtinaſſet. Denique, *Joannes XXII.* vulgò nuncupatus, Avenione Sedens, IV. Idus Novembris anni Pontificatus ſui noni, ideſt, Æręę Chriſtianæ MCCCXXIV. proprias Conſtitutiones numero viginti ſub 14. titulis libro uno promulgavit, quæ *Extravagantium* nomine deſignantur, quòd extrà Juris Canonici Corpus olim vagarentur; immò, idem *Extravagantium* nomen nunc quoque retinent, licèt in Juris Pontificii Corpus fuerint tranſlatæ.

Intèr peritos juris Canonici, ſeu Pontificii, Interpretes, qui Sæculo XIII. floruerunt, primas tenet *Innocentius IV.* qui primus *Commentarios in quinque Decretalium libros* Lugduni in Galliis compoſuit, quo tempore Concilium habuit ea in Urbe Lugdunenſe I. in quo *Fridericum II.* Imperatorem anathemate perculit. Suâ doctrinâ promeritus eſt Summus ille Pontifex, ut à Viris juris utriuſque Conſultis *Pater juris*, & *Organum veritatis* appellaretur, Scripſit etiam *Innocentius IV.* Apologeticum librum *De juriſdictione Imperii, & Auctoritate Pontificis*, contra *Petrum de Vineis*, qui pro *Friderico II.* atque Imperatorum poteſtate contra Pontificiam ſcripturierat.

Bernardus, dictus *Compoſtellanus*, quòd eſſet Eccleſiæ Compoſtellanæ in Hiſpania Presbyter, juſſu

juſſu *Innocentii IV.* Pontificis Maximi, *Caſus Decretalium* confecit, & eruditos in eos Commentarios lucubravit, quos *Apparatus* vocant. *Henricus Hoſtienſis*, Seguſii in Diœceſi Taurinenſi natus, adeò in doctrina juris excelluit, ut *juris utriuſque Monarcha* dictus fuerit, & ob eximiam eruditionem Ebrodunenſis primùm Archiepiſcopus ab *Innocentio IV.* creatus, deindè ab *Alexandro IV.* quo hortante ſcripſerat in Decretales, ad Cardinalis dignitatem evectus fuerit, ac Epiſcopi Hoſtienſis titulo cohoneſtatus, à quo Epiſcopatu vulgò *Hoſtienſis* nuncupatur. Inter Opera, quæ edidit, duo imprimis celebrantur, videlicèt *Summa juris Canonici*, vel, ut alii volunt, *utriuſque juris*, quæ *aurea* vocatur, & alterum Opus, quod *Lectura* dicitur, quo nomine *Commentarii* intelliguntur in quinque Decretalium libros, qui in duo volumina ſunt diſtributi. *Henrici Hoſtienſis* diſcipulus fuit *Guillelmus Durandus Speculator*, ſive *Durantes*, ex Provincia oriundus apud Podium Miſſonium natus. In Mutinenſi Academia juvenis admodùm *Gratiani Decretum* interpretatus eſt, & poſteà in Curia Romana Cauſarum Auditor, ingens illud Opus, quod *Speculum* inſcripſit, ante annum ætatis ſuæ vigeſimum quartum componere cœpit, & non niſi intra unum & viginti annos, ipſomet teſte, abſolvit, illudque perfectum *Ottobono* tituli Sancti *Adriani* Cardinali nepoti *Innocentii IV.* nuncupavit. Præter iſtud *Speculum* in quatuor libros diſtinctum, ſic appellatum, quòd forenſes homines variarum cauſarum hominem in eo ſpeculentur, ac velut in ſpeculo inſpiciant, ſcripſit etiam *Rationale Divinorum Officiorum* in libros octo diſtinctum, quod an-

no

Digitized by Google

no MCCLXXXVI. abſoluit, Commentarium quoque in Canones Concilii Oecumenici Lugdunenſis II. cui ipſemet interfuit, & *Repertorium Juris*, quod unà cum ejus aliis Operibus prodiit Lugduni annis MDXVI. & MDLI. Citantur prætereà ab eo conſcripta tùm *Speculum Legatorum*, in quo de ipſorum Officio & poteſtate lato calamo ſcribit, & *Commentaria in Decretales*. Ad Epiſcopatum Mimatenſem in Gallia anno MCCLXXXVI. provectus eſt iſte *Guillelmus Durandus Speculator*, ac decennio poſt obiit Romæ, ſepultus in Fratrum Prædicatorum Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam. Perperàm nonnulli confundunt hunc *Guillelmum Durandum Speculatorem*, Mimatenſem Epiſcopum, cum altero *Guillelmo Durando*, qui fuit etiam poſt ipſum Epiſcopus Mimatenſis, & ſcripſit librum *de Ordine celebrandi Generalis Concilii* occaſione Concilii Oecumenici Viennenſis, quod tum temporis celebrari debebat. Conſtat etenim *Guillelmum Durandum Speculatorem*, Epiſcopum Mimatenſem, ad tempora Concilii Generalis Viennenſis non perveniſſe, adeòque non eſſe Authorem hujuſce libri, *de Ordine Celebrandi Generalis Concilii*, ſed verum illius libri Authorem eſſe alterum *Guillelmum Durandum*, qui fuit itidem Epiſcopus Mimatenſis, & nepos *Guillelmi Durandi Speculatoris*. Denique, inter eruditos juris Canonici Interpretes, qui Sæculo XIII. illuſtriores fuerunt, reponi debent *Bartholomæus Brixianus*, & *Garſias*, quorum primus natione Italus fuit. Juriſconſultus & Hiſtoricus celebris, *Gregorio IX.* Pontifici Maximo familiariſſimus. Scripſit multos Tractatus Juris, quinque libros in Decretales, & Chronicon de

Ur-

Urbibus Italiæ. Obiit *Guillemus Brixianus* anno MCCLVIII. ætatis ſuæ LXXXIV. Ejus cum laude meminere *Trithemius* in Catalogo Scriptorum Illuſtrium, & *Raphael Volaterranus* lib.XXI. *Commentariorum Urbanorum*. Alter verò, ſeu *Garzias*, natione Hiſpanus, Decretales interpretatus eſſe dicitur, circa annum MCCLXXXV. Opere imperfecto. Edidit quoque *Gloſſas* in Sextum Decretalium, & Summæ, quæ *Piſanella* vocatur, quædam adjecit.

D. Alios, ſi qui fuerunt, Sæculo XIV. periti Interpretes Juris Canonici, ſeu Pontificii, breviter percenſe, & tandem Colloquio noſtro, quod ſolitô longiùs protraximus, finem imponamus.

M. Inter peritos Juris Canonici, ſeu Pontificii Interpretes Sæculi XIV. primum locum tenet *Guido Baiſius*, aliàs *de Bayſo*, Patritius Regienſis, qui Jus Canonicum interpretatus eſt Bononiæ anno MCCLXXXIII. qua in Urbe Archidiaconus creatus eſt, & eâ dignitate cognomen *Archidiaconi* apud poſteros meruit. Inter plura Opera, quæ de Jure Canonico edidit, præſertim celebrantur ejus Commentaria in univerſum Gratiani *Decretum* anno MCCC. abſoluta, quæ, ob doctrinæ in his contentæ quaſi fragrantiam, *Roſarii* nomine inſigniuntur. *Decretales* etiam interpretatus eſt, ejuſque Opera Venetiis edita ſunt magna ex parte anno MDCXXX. Hujus *Guidonis Baiſii* diſcipulus fuit *Joannes Andrea* in agro Florentino natus, Juriſconſultus peritiſſimus, qui Bononiæ per annos propè quinquaginta Decreta Pontificum magna cum laude interpretatus eſt, & ſcripſit primò Gloſſemata in ſextum Decretalium poſt *Guidonem*

Baiſium, Archidiaconum, præceptorem ſuum, quem impensè coluit. Deindè, in *Clementinas* Scholia ſcripſit, quæ contextui annexa pro Gloſſis leguntur. Poſtremò, in *Gregorii IX.* Pontificis Maximi *Decretales* Commentarium edidit ſub *Novellarum* titulo. Graſſante peſte Bononiæ obiit *Joannes Andrea* anno MCCCXLVIII. & ſepultus eſt in Eccleſia Fratrum Prædicatorum. Hic *Joannes Andrea*, dùm adhùc in vivis eſſet, in filium ſuum adoptavit *Joannem Calderinum*, patriâ Bononienſem, qui inter Juris Canonici Interpretes Clariſſimus evaſit, & *Clementis VI.* Pontificis Maximi Conſiliarius fuit. Plurima de Jure Canonico Opera ſcripſit *Joannes Calderinus*, & pratèr ejus Commentaria in libros Decretalium, Deciſiones, Conſilia, & alia, quæ recenſet *Simlerus* in Epitome, extat, ejus Tabula continens, authoritates & ſententias Bibliorum; prout in Compilationibus Decretorum & Decretalium inducuntur ſecundùm Alphabeti ordinem, emendata à *Thoma Dumbergio Mēmingo*, Spirenſis Civitatis Conſule, & excuſa à *Petro Drach* anno MCCCCLXXXI. Incertum eſt, quo anno è vivis exceſſerit *Joannes Calderinus*, eum tamen Bononiæ deceſſiſſe, & in marmoreo Sepulchro apud Fratres Prædicatores tumulatum eſſe certiſſimè conſtat. In Gallia Sæculo XIV. floruit Juris Canonici Interpres eximius *Joannes Monachus*, patriâ Ambianenſis, Ordinis Ciſtercienſis, qui primus *Gloſſas* in *Sextum* vulgavit. Poſteà Cardinalis creatus, apud *Philippum Pulchrum* Francorum Regem anno MCCCIII. *Bonifacii VIII.* Legatum egit. *Extravagantes*, ſive Conſtitutiones Romanorum Pontificum, necdùm in Corpus Juris relatas,

latas, interpretatus eſt, & Opuſculum ſcripſit, cui titulus: *Defenſorium juris*, ubi reos docet, quâ ratione ſeſe adversùs Actores tueri debeant. Fundavit in Academia Pariſienſi in gratiam Studentium anno MCCCII. Collegium, quod etiamnùm *Cardinalis Monachi* dicitur, ubi humatus eſt, hoc appoſito titulo: *Hìc jacet Joannes Monachus, Ambianenſis Diœceſis, Tituli Sanctorum Marcelli & Petri Presbyter Cardinalis, fundator iſtius domus: qui obiit Avenione anno Domini* MCCCXIII. *die* XXII. *Auguſti*. Eodem ſæculo jus Canonicum Pariſiis ingenti cum laude profeſſus eſt *Henricus Boich*, Brito è Diœceſi Leonenſi, ut ipſemet teſtatur in principio Commentariorum ſuorum. Scripſit Commenrios in *quinque libros Decretalium*, quos ſe in Scholis Pariſienſibus anno MCCCXLIX. perfeciſſe declarat. Denique, in Italia Sæculo XIV. quinque celeberrimi claruerunt Juriſconſulti, nimirùm *Dinus*, *Joannes Anguiſſola*, *Joannes Lignanus*, *Bartolus de Saxoferrato*, & *Baldus de Ubaldis*. Primus, ſeu *Dinus*, *Mugellanus* cognomine, à *Mugello* agri Florentini oppido, Profeſſorum juris Bononienſium ſuo tempore præſtantiſſimus fuit. Commentarios ſcripſit in *librum ſextum Decretalium*, *Conſilia*, ac plurima alia de jure Civili. E' vivis exceſſit Bononiæ anno MCCCIII. & apud Fratres Prædicatores ſepultus eſt, ut ſcribit *Forſterus*. Alter, ſeu *Joannes Anguiſſola*, Cæſenæ in Flaminia natus, Patavii primùm, deinde circà annum MCCC. Bononiæ Jus Pontificium maxima cum laude interpretatùs eſt. Ex ejus Scriptis vix aliud ſupereſt, quam liber *de Sponſalibus*, & *Matrimoniis*, quem *Joannes Andrea*, doctiſſimus Juriſconſultus, cujus anteà

Gg 2 memi-

meminimus, ſibi vendicaverat. Sed, furto comperto, hic liber ſuo vero ac legitimo Authori, ſeu *Joanni Anguiſſolæ* adjudicatus eſt. *Joannes Lignanus*, à *Lignano* agri Mediolanenſis oppido oriundus, unde & cognomen ſumpſit, juſſu *Urbani V.* Pontificis Maximi ſcripſit circà annum MCCCLXV. Librum *de Pluralitate Beneficiorum*, cui & alios adjecit *de Permutatione*, *de Horis Canonicis*, *de Cenſura Eccleſiaſtica*, atque *Interdicto*, *de Duello*, *de Hæreſibus*, & *de Repræſaliis*. Ejus in omnes *Decretales* Commentaria Patavii ſervantur in majoris templi Bibliotheca. *Bartolus de Saxoferrato* natus eſt anno MCCCIII. in *Umbriæ* Urbe, quæ olim *Sentinum*, nunc *Saxoferratū* dicitur, undè ipſe hoc cognomen accepit. Vir fuit ingenio ſubtili & acuto, aſſiduus in ſtudio legum, tantaque celebritate Jus Piſis, ac poſteà Peruſii profeſſus eſt, ut ad eum ob ſummam eruditionis & ingenii famam ac gloriam undequaque ſtudioſorum turba confluerct, ipſe verò, ob admirabilem legum peritiam, & conſiliorum ſoliditatem, fuerit vulgò appellatus *Juriſconſultorum Princeps*, *lumen ac ſtella*: *Juris lucerna*, *ſpeculum ac veritatis Pater*. Multa ſcripſit Opera, quæ Juriſconſultis notiſſima ſunt, obiitque, ut alii volunt, anno MCCCLV. vel, ut cenſet *Lancelotus* in ejus Vita, anno MCCCLIX. Hujus *Bartoli de Saxoferrato* diſcipulus fuit *Baldus de Ubaldis*, Peruſii natus, qui in ſua Patria docuit ſumma cum laude & auditorum frequentiâ. Dein, à *Joanne Galeatio*, Duce Mediolanenſi, qui Ticini, ſeu Papiæ, Academiam erexerat, & Scholas ſtudiis bonarum litterarum florentes excitaverat, Papiam accerſitus ut juvenes in juriſprudentia inſtitueret, ibi per mul-

multos annos publicè jurisprudentiam profeſſus eſt, & prætèr quinque Reſponſionum volumina, aliaque Opuſcula, Commentarios ſcripſit, quibus totum fere Jus utrumque multùm Illuſtravit. Egregium etiam Commentarium ſcripſit pro aſſerendo *Urbani VI*, tempore Schiſmatis, Pontificatu anno MCCCLXXVIII. quem ex MS. vaticano edidit *Odoricus Raynaldus* ad calcem tomi XVII. Annalium Eccleſiaſticorum. Allegantur etiam quædam alia ejuſdem *Baldi* Opera nondùm prælo ſubjecta, veluti liber, quem *Peculium* inſcripſit, & Tractatus de illuſtribus utriuſque Juris Doctoribus, ſive *de Commemorationibus famoſiſſimorum Doctorum in utroque Jure*: & Opuſculum, cui titulum fecit: *Practica Juris utriuſque.* Hujus doctiſſimi Juriſconſulti laudes hoc Diſthico celebravit quidam Poeta.

Qui Baldum *Juri negat accendiſſe lucernam,*
Ille poteſt medio Sole negare diem.

De anno, quo obiit *Baldus*, inter Scriptores non convenit. Alii quippè dicunt, eum è vita migraſſe die XXVIII. menſis Aprilis anni MCCCC. Alii volunt, eum mortuum eſſe anno MCCCCXXIII. Sunt etiam nonnulli, qui aſſerunt, *Baldum* Ordini Fratrum Minorum nomen dediſſe, idque colligere ſibi videntur ex ejus Sepulchri Epitaphio, quod *Ticini* in Templo Sancti *Franciſci* legitur:

*Clauditur hìc Baldus,*Franciſci *tegmine fultus*
Doctorum Princeps, Peruſina conditus arce.

Verùm, ex hoc *Baldi* Epitaphio tantummodò colligitur, *Baldum* in Eccleſia Franciſcanorum fuiſſe ſepultum; vel, ut ait *Boiſſardus*, eum ſepeliri voluiſſe amictum habitu S. *Franciſci*, eò quòd putaret, id plurimum ad animæ ſalutem conducere

poſſe. Quod ſanè à multis aliis Viris, qui tamen Ordinem *S. Franciſci* nunquàm profeſſi ſunt, pietatis ergò, eâ ætate factitatum eſſe, certis documentis compertum habemus. Expungendus itaque eſt *Baldus* ex Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum Catalogo, cui eum accenſet *Lucas Wadinghus* in ſua Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, ubi etiam recenſet Opera ejuſdem *Baldi*, quem falsò ſibi perſuaſit fuiſſe Franciſcanum.

D. Habeo nunc quamdam quaſi imaginem celebriorum Scriptorum, qui Sæculis XIII. & XIV. floruerunt, quorum notitia mihi deincèps apprimè utilis ac neceſſaria erit, ut facili negotio deprehendere poſſim, quandò quis Scriptor claruerit? quænam ab ipſo Opera edita fuerint? quâ valuerit authoritate in Orbe litterario? nùm fabuloſus, aut parùm accuratus audiat? nùm plagiarius fuerit, & cujus Scrinia compilaverit? Hunc etiam ex ea notitia fructum haud exiguum percipiam, ut nunquàm in nullius pretii Scriptoribus evoluendis oleum & operam perdam, atque ſi mihi aliquandò Bibliothecam inſtruere velim, in libris, vel manuſcriptis Codicibus comparandis, & tempore, & nummis (quod multis ſæpiùs contingere ſolet) fraudari non poſſim.

* *
*

COL-

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina Fidei, de Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quàm Monaſtica, & de Ethices Chriſtianæ Doctrina, quæ Sæculis XIII. & XIV. in Eccleſia obtinuit.

MAGISTER. HÆreticos Calviniſtas, & Lutheranos, qui Waldenſium, & Albigenſium errores ſuſcitarunt, non pudet aſſerere, *Innocentium III.* Pontificem Maximum, antiquam Eccleſiæ Doctrinam Sæculo XIII. immutaſſe, eumque in Concilio Lateranenſi IV. celebrato anno MCCXV. duo monſtroſa *Confeſſionis Sacramentalis*, & *Tranſubſtantiationis* figmenta inter Articulos fidei repoſuiſſe. *Calvinus*, poſt hominum memoriam impudentiſſimus Hæreſiarcha, in ſuo Concilii Tridentini ſupra omne venenum peſtifero antidoto ait, nullum per annos mille fuiſſe in Eccleſia Confeſſionis uſum, *donèc*, inquit, *Innocentius III. cum pauculis cornutis beſtiis laqueum hunc populo Chriſtiano induxit, quem Tridentini Patres adſtringunt*. Hujus procaciſſimi hæreſiarchæ veſtigiis inſiſtens *Joannes Dallæus*, Sectæ Calvinianæ Pſeudo-Miniſter, Catholicum dogma de Sacramentalis Confeſſionis uſu ac neceſſitate omni conatu impugnavit quatuor libris anno MDCLXI. Geneve editis, in quorum ſecundo probandum ſuſcipit, novitiam eſſe apud Chriſtianos Confeſſionis Sacramentalis, ſeu Auricularis, Di-

ſciplinam, ejuſq; Inſtitutionem *Innocentio III.* Pontifici Romano acceptam referri debere. Idem effutiunt hęretici de Tranſubſtantiationis Catholico dogmate, cujus paritèr Authorem faciunt *Innocentium III.* dictitantque, iſtud *Tranſubſtantiationis* nomen eſſe in Eccleſia novum, inſolens & peregrinum, in Scripturis non legi, non fuiſſe ab Apoſtolis vel Sanctis Patribus uſurpatum, ſed à Concilio Lateranenſi IV. cui præfuit *Innocentius III.* poſt mille ducentos annos in Eccleſiam fuiſſe invectum. His putidis calumniis hæretici, nugarum mercatores & mendaciorum Architecti, Eccleſiam Romanam infamare ſatagunt, & quamvis ſæpiùs doctiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Scriptorum Polemicorum lucubrationibus, ita ad incitas fuerint redacti, ut nec hiſcere, nec muſſitare poſſent, nihiloſeciùs ſic errori obfirmato animo adhærent illi inſignis pervicaciæ homines, ut tot ac tantis argumentorum molibus non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis malleis non conquaſſentur, tantis poſtremò fulminibus non conterantur, ſed potiùs perfrictâ fronte vitra fracta, rejectas quiſquilias, & confutatas jamdudùm ſuas in Eccleſiam Romanam jactatas contumelias novam in ſcenam inducere, eaſque, crambis inſtar recoctæ, ad nauſeam uſque obtrudere non erubeſcant. Has igitùr milliès eliſas hæreticorum calumnias hìc jure merito ſilentio prætermittere poſſem, maximè cùm neceſſitatis Confeſſionis Sacramentalis, & Tranſubſtantiationis panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Catholica dogmata ſatis ſuperque in noſtris præcedentibus Colloquiis ex perpetuo Eccleſiæ uſu, ex conſtanti San-

ctos

ctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum traditione, & ex definitionibus Conciliorum adversùs hæreticos probaverim, & à novis ac planè abſurdis illorum commentis vindicaverim. Verùm, Cùm in hocce Colloquio de Doctrina Fidei, quæ Sæculis XIII. & XIV. obtinuit, dicturi ſimus, neceſſe omninò eſt, ut breviter oſtendamus, *Innocentium III.* Pontificem Maximum, nihil omninò immutaſſe Sæculo decimo tertio in antiqua fidei doctrina circà Confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem, & Tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, adeòque explodendàm eſſe hanc malè conſarcinatam fabulam, quam Pſeudo-Miniſtri Calviniani, quaſi de tripode Oracula pronunciantes, ſuis Sectariis etiamnùm plenis buccis, inflatiſque tibiis venditare ſolent.

Et primò quidem *Innocentium III.* Summum Pontificem nihil innovaſſe Sæculo Eccleſiæ decimo tertio in doctrina de Confeſſione Sacramentali, unico, ſed efficaciſſimo evincam ratiocinio, miſſis aliis, ut brevitati conſulam, benè multis argumentis, quæ ex ſacris litteris, ex perpetuo Eccleſiæ uſu, cujus initii nulla memoria habetur, & ex Sanctis Patribus cùm Græcis, tùm Latinis depromunt Doctores Catholici Polemici. At enim negare haud poſſunt hæretici, vigere adhuc in Oriente apud Græcos Schiſmaticos Confeſſionis Sacramentalis uſum, ut manifeſtò conſtat non ſolùm ex Synodo Bethleemitica ann. MDCLXXII. ſub *Doſitheo* Hieroſolymitano Patriarcha celebrata, quę cap. 15. ita decernit: *Pœnitentiæ Sacramentum, in quo & ſecreta includitur confeſſio, tunc tradidit* (Chriſtus)

cùm dixit : quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis , quorum retinueritis , retenta ſunt ; Sed etiam id apertè colligitur ex Orationibus , quas Græci Sacerdotes proferunt ſuper peccatores pœnitentes, ut videre eſt in Euchologio Græcorum , quod doctiſſimis Notis illuſtratum edidit noſter *Goarus* , Vir linguarum Orientalium peritiſſimus , & in Ritibus Græcorum verſatiſſimus . In una ex his Orationibus hæc leguntur : *Ipſe humane , & malorum tolerator Domine , exorare nunc quoque ſuper ſervum tuum, & modum Pœnitentiæ , peccatorumque veniam illi concede ; condonans illi per me indignum famulum tuum omne delictum ſpontaneum paritèr ac involuntarium . Tu enim dixiſti , Domine , divinis & Sanctis Diſcipulis tuis & Apoſtolis : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis , & quorum retinueritis , retenta ſunt . Et , quæcumque ligaveritis & ſolveritis ſuper terram , erunt ligata & ſoluta in Cœlis* . In alia Oratione ſic Sacerdos loquitur: *Deus, qui propter nos homo effectus eſt, & totius mundi peccata tollit , ipſe ſuaviſſima ſua benignitate cuncta hæc ſuſcipiat , quæ coràm indignitate mea enarraſti , Frater , condonans tibi omnia , & in præſenti ſæculo pariter ac in futuro* . Et deinde in altera hæc pronunciat Sacerdos : *Ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque coràm Deo & mea Indignitate confeſſus es*. Hunc Sacramẽtalis Confeſſionis uſum vigere etiamnum apud Græcos Schiſmaticos , & apud omnes Orientales , probant noſter jam citatus *Goarus* in Euchologio Græcorum, *Joannes Morinus* lib. VI. *de Pœnitentia* cap. 23. ſed præſertim *Euſebius Renaudotius* , Vir clariſſimus,& Linguarum Orientalium peritiâ apprimè excul-

tus

tus, qui anno MDCCXIII. typis Pariſienſibus edidit Tomum quintum *de Perpetuitate Fidei*, in quo à pag. 257. uſque ad pag. 292. inviĉtè contra Hæreticos demonſtrat, vigere adhùc Confeſſionis Sacramentalis uſum apud Græcos, Neſtorianos, Jacobitas, & alios Orientales Schiſmaticos, ibidèm que oſtendit, quinam ſit apud illos peccata confitendi modus, quæ forma abſolutionis, quæ pœnitentia tùm Eccleſiaſticis, tùm Laicis pro deliĉtorum gravitate imponatur, quæ denique debeant eſſe internæ Pœnitentium diſpoſitiones, ut juxtà Orientalium ritus percipiant à Sacerdotibus beneficium abſolutionis. Negare itaque non poſſunt Hæretici, niſi in meridie cœcutire velint, Confeſſionis Sacramentalis uſum vigere adhuc apud Greços, & alios populos Orientales, qui ab Eccleſia Romana funeſto Schiſmate ſunt ſeparati: Ex quo ipſe peremptorium deſumo argumentum, quo palàm evincitur, *Innocentium III.* non invexiſſe in Eccleſiam Sæculo decimo tertio Confeſſionis Sacramentalis uſum, ſicut blaterant Hæretici. Verùm enim verò, quis ſibi perſuadeat, Græcos, & Orientales Schiſmaticos adhuc retinere, & maximâ cum religione obſervare velle Confeſſionis Sacramentalis uſum, ſi reverà ille uſus, ut obſtrepunt Hæretici, fuiſſet in Eccleſia Orientali à ſæculis inauditus, & ſæculo dumtàxat decimo tertio ab *Innocentio III.* Romano Pontifice eſſet induĉtus? Quis, amabo, credat, Greços Schiſmaticos, qui, ut in ſuperioribus Colloquiis obſervavimus, poſt Schiſma undecimo ſæculo à *Michaële Cerulario*, Patriarcha Conſtantinopolitano, conflatum, multa exprobrarunt Eccleſiæ Romanæ, ſeu Latinæ, ut ſuum Schiſ-

ma aliquo quæſito colore obducere poſſent, nunquam tamen Latinis objeciſſe hunc Confeſſionis Sacramentalis uſum, qui tamen, ſi Sæculo decimo tertio, ut garriunt Hæretici, ab *Innocentio III.* in Eccleſiam Latinam invectus fuiſſet, non levem poterat eis occaſionem ſuppeditare Latinos accuſandi, illiſque inſultandi. Poſtremò, Græci Schiſmatici, dum Sęculo XIII. ſeu an. MCCLXXIV. in Concilio Lugdunenſi II. pacem ac concordiam inierunt cum Eccleſia Latina, ſuas quidem propoſuerunt controverſias, quas cum Latinis habebant de Primatu Romani Pontificis, de Proceſſione Spiritus Sancti, de additione particulæ *Filioque*, de Azymo, & Purgatorio, ſed de Confeſſionis Sacramentalis uſu ne ullum quidem verbum dixerunt. Quod quidem argumento eſt, Græcos pro comperto habuiſſe, hunc Confeſſionis Sacramentalis uſum, non ab *Innocentio III.* Pontifice Romano recens fuiſſe in Eccleſiam invectum, uti pertendunt Hæretici, ſed illum potiùs ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Orientali ab omnibus Patribus Græcis continuâ ſæculorum ſerie probatum, & ad ſua uſque tempora conſtantèr eſſe retentum; Cujus Sanctiſſimi uſus in Eccleſia Orientali obſervati ipſimet teſtes oculati erant, illumq; ad poſteros ſuos tranſmiſerunt, qui hodie inviolabiliter ei adhuc adhærent, etiamſi diro Schiſmate ab Eccleſia Romana ſint divulſi. Hoc unicum, ſed efficax argumentum jugulum Hæreticorum petit, & abundè ſufficit ad exſufflandum inane illorum figmentum de Inſtitutione Confeſſionis Sacrementalis factâ ab *Innocentio III.* in Concilio Lateranenſi habito anno MCCXV.

Eodem

Eodem itidem argumento evidentèr demonſtratur, *Innocentium III.* non procudiſſe Sæc. XIII. dogma de Tranſubſtantiatione panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſicut calumniantur Hæretici. Græci ſiquidem etiam poſt Schiſma, quo *Michaël Cerularius* undecimo Sæculo Eccleſiam Græcam à Latina ſejunxit, tranſubſtantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti variis vocibus, quibus *converſio, tranſmutatio, tranſelementatio* ſignificatur, expreſſerunt; immò eam μετουσίωσιν, ideſt Tranſubſtantiationē, diſertè nominare non dubitarunt, nec etiamnùm dubitant. *Theorianus*, Scriptor Græcus, qui Sęculo XII. ſub *Manuele Comneno* Imperatore ſcribebat, ſic mentem ſuam, eâ de re aperit in Epiſtola ad Sacerdotes & Monachos, quam refert *Leo Allatius* Exercitatione XXIII contra Creygthonum: *Divinus panis antequam conſecretur*, inquit, *ſive azymus ſit, ſive fermentatus, indifferenter panis eſt, & dicitur à Divina Scriptura, ut oſtendemus: poſtquàm verò conſecratus eſt, nec azymus, nec fermentatus eſt, ſed Domini Corpus & caro eadem ipſamet, nec alia pro alia. Una ſi quidem eſt & ipſa, quæ ex incorrupta virgine ſuſcepta eſt, inque Patris dextera ſedet, & à nobis Orthodoxis myſticè accipitur. Unde Myſterium dicitur, ceù ſecretum, quod multi non percipiant. Si itaque divinum numen commutat propoſita dona in Corpus, & Sanguinem Chriſti, fruſtra fuerit contendere, an id ex azymo vel fermentato fiat, aut albo, aut rubro vino, & ejuſmodi ſtultas curioſitates de tremendis myſteriis agitare.* Quibus verbis *Theorianus* Tranſubſtantiationis dogma apertè profitetur. Qui enim panem quemcumquę conſecratione ſic mutari

tari in carnem Chriſti credit, ut neque jam azymus ſit, neque fermentatus, is profectò in ea opinione non eſt, ſubſtantiam panis poſt conſecrationem remanere, adeòque *Theorianus*, qui Sæculo XII. in Eccleſia Græca floruit, Catholicum dogma, quod Latini Tranſubſtantiationis vocabulo efferunt, hac in Epiſtola confeſſus eſt. Extant inter Acta Concilii Generalis Lugdunenſis II. quod anno MCCLXXIV. celebratum eſt, litteræ *Michaëlis Palæologi*, Græcorum Imperatoris, ad *Gregorium X.* Pontificem Maximum, in quibus inter alia Romanæ fidei capita, & hoc quoque Imperator ſe admittere profitetur de pane non fermentato, videlicet *panem in ipſo Sacramento verè tranſubſtantiari in Corpus, & Vinum in Sanguinem Domini Jeſu Chriſti*. Litteras etiam Synodicas *Joannis Becci*, ſeu *Vecci*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Synodi Orientalis poſt celebrationem Concilii Lugdunenſis II. ſcriptas edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum Chriſti MCCLXXVII. in quibus perindè teſtificantur, ſe certâ fide credere, *Azymum panem* (ut & fermentatum) *verè tranſubſtantiari in Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & vinum in Sanguinem ejus, per Sanctiſſimi Spiritus virtutem & operationem*. Jam verò, cùm hanc reconciliationem Eccleſiæ Grecæ cum Latina à *Michaële Palæologo*, Græcorum Imperatore, in Concilio Oecumenico Lugdunenſi II., initam Græci Schiſmatici deinceps nullis non modis deteſtati ſint, eâque de cauſa Imperatorem iſtum, ac *Joannem Beccum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, hujus unionis promotorem, acerbiſſimis quibusvis conviciis proſciderint, hodieque proſcindere non deſinant;

cùm

cùm adversùs varia Confeſſionis illius ad *Gregorium* X. Papam miſſæ, necnon Synodicarum *Becci* Patriarchæ Conſtantinopolitani Litterarum capita, ac in primis adversùs quatuor illa præcipua, quæ utriuſque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ, præ cæteris obeſſe ajunt, videlicet Spiritum Sanctum, ex Patre Filioque procedere, animas Defunctorum Purgatorio igne expiari, azymum panem legitimam eſſe Euchariſtiæ materiam, Romanum Pontificem primatum in univerſa Eccleſia obtinere; quin immò, adversùs peculiaria quæcumque Latinæ Eccleſiæ placita ac ritus, virulento æſtu deblateraverint Schiſmatici Græci, nihiloſeciùs tantum abeſt, ut *Tranſubſtantiationis*, Græcè μετουσιώσεως, vocem exhorruerint, nedùm ipſummet fidei Catholicæ caput, quod eâ voce ſignificatur, ut eâdem deinceps Schiſmatici lubentiſſimè uſurpaverint. Ad cujus rei confirmationem duo hìc proferam luculentiſſima Græcorum Schiſmaticorum teſtimonia, quorum primum eſt *Georgii Scholarii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui interfuit Concilio Generali Florentino. Hic quippè in Sermone in Paraſceve Lazari, poſtquam aſſeruit, ejuſmodi μετουσίωσιν, ſeu tranſubſtantiationem, ita fieri, ut accidentia deſtructo ſubjecto remaneant, oſtendit diſcrimen, quod intercedit inter Incarnationem & Euchariſtiam his verbis, quæ refert, & Latinè reddidit doctiſſimus noſter *Michaël Lequien* in ſuis Notis in caput XIII. lib. IV. S.*Damaſceni* de Fide Orthodoxa: *Illic enim*, ſeu in Incarnatione, inquit Georgius Scholarius, *neutrum in alterius naturam mutatum fuit, ſed in Chriſti perſona & divinitas & humanitas exiſtunt: hic vero*,

verò, ſeu in Euchariſtia, *Creatura in Creatorem medio corpore transformatur, & quæ anteà extabat ſubſtantia panis, Dei Corpus fit, ubi Chriſti Corpus efficitur*. *Majus equidem, ob rationes, quas adduxi, omnibus, quæ patraverit Deus, miraculis eſt tranſubſtantiatio* (Græcè μετουσίωσις,) *panis in Corpus Dominicum, ſed quæ impoſſibilis non cenſetur ab illo, cui perſpecta potentia Dei fuerit*. Alterum teſtimonium eſt *Nectarii*, nuperi Patriarchæ Hieroſolymitani, qui, ut videre eſt apud noſtrum *Michaëlem Lequien* loco mox laudato, librum contra Latinos compoſuit inſcriptum, *de Principatu Papæ*, qui anno MDCLXXXII. Giaſii in Moldavia editus eſt. In hoc ſiquidem libro Schiſmaticus ille Patriarcha pag. 205. narrat, hoſtiam quamdam, quæ nigrorem ex mucore contraxerat, cùm in ſacro diſco acerræ impoſita fuiſſet, inſolito odore templum omne perfudiſſe. Tumque, juxta verſionem P. *Michaëlis Lequien*, ſic concludit: *Hoc miraculum factum eſſe opinor ad evidentiſſimam magni illius, & immenſi Myſterii demonſtrationem, nempè quòd accidentia ſolummodò panis corrumpantur: ſubſtantia verò panis ſemel mutata, & invocatione Sancti Spiritus in veram Corporis Chriſti ſubſtantiam converſa, nullam prorsùs ſuſtineat corruptionem, ſed incorrupta permaneat, tanquàm verum propriumq; Chriſti corpus.* Eamdem denique doctrinam de converſione ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti omnes etiamnùm profitentur Græci Schiſmatici, eamque mirabilem converſionem exprimunt hac μετουσίωσις, voce, quæ apud Græcos, ut norunt omnes, idem ſonat, quod *Tranſubſtantiationis* vox ſignificat apud Latinos.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, vehementèr mirari ſubit, quâ fronte Hæretici audeant aſſerere, *Innocentium III.* Pontificem Maximum, invexiſſe Sæculo XIII. dogma de Tranſubſtantiatione, ſeu de converſione ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, cùm tamen ipſimet Græci Schiſmatici ante & poſt *Innocentium III.* ad hæc uſque noſtra tempora conſtantèr propugnent, fieri in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, eamque converſionem efferant hac *μετουσίωσις* voce, quæ idem apud Græcos pollet, ac apud Latinos *Tranſubſtantiatio*. Credibile autem non eſt, Græcos Schiſmaticos, qui Eccleſiam Latinam acerrimè inſectantur, voluiſſe à fide majorum ſuorum circa Euchariſtiæ Sacramentum diſcedere, & amplecti dogma de Tranſubſtantiatione, ſeu de converſione ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſi reverà illud dogma, ut fingunt Hæretici, ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo in Concilio Lateramenſi IV. habito ann. MCCXV. in Eccleſiam fuiſſet invectum. Faceſſant ergò Hæretici, ſuaſque craſſiori filo conſutas fabulas tandèm aliquandò decantare deſinant.

D. Fuitne ſemper in Eccleſia Græca, ſeu Orientali, uſurpata hæc *μετουσίωσις* vox, & in Eccleſia Romana, ſeu Latina, perpetuo uſu conſecratum iſtud *Tranſubſtantiationis* nomen ad ſignificandam converſionem, quæ fit in Euchariſtiæ Sacramento, ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti?

M. Certum eſt,utramq;Eccleſiam tam Græcam, quàm Latinam non interruptâ ſerie à Chriſto

Domino ad hæc uſque tempora ſemper crediditſſe, fieri in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, idemque dogma etiamnum profiteri non ſolùm Eccleſiam Romanam, ſed etiam omnes Orientales, tam Catholicos, quàm Schiſmaticos, & Hæreticos, licèt in aliis fidei capitibus à ſe invicem communione diſiuncti ſint, ut in Jacobitis, Eutychianis, Neſtorianis, Moſcovitis, & aliis, qui per Orientem ſunt diſperſi, videre eſt, quos eamdem fidem de converſione ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti adhuc retinere, Sole clariùs demonſtrat *Antonius Arnaldus* in ſuo Opere *De perpetuitate Fidei*. Cùm igitur omnes totius Orbis Chriſtiani Eccleſiæ in hoc fidei dogmate ſemper conſenſerint, & adhuc conſentiant, ineptum omninò eſt, inquirere, utrùm antiquitùs Græci ad ſignificandam converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti uſi ſint hac voce μετουσίωσις, & Latini hanc *Tranſubſtantiationis* vocem ante Concilium Generale Lateranenſe IV. uſurparint? Sufficit quippè, ut antiqui Patres Græci in Eccleſia Orientali, & antiqui Patres Latini in Eccleſia Romana converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, quam nunc Græci per μετουσίωσις vocem, & Latini per *Tranſubſtantiationis* nomen ſignificant, aliis æquipollentibus vocabulis tradiderint. Porrò, inter antiquos Patres Græcos *Chryſoſtomus* converſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti nominat μεταῤῥύθμισιν, Gregorius Niſſenus μεταστοιχείωσιν, Cyrillus Hieroſolymitanus μεταβολὴν, & Sanctus Damaſcenus μεταποίησιν, quæ omnia

nia vocabula ſignificant *Converſionem*, *Tranſmutationem*, *Tranſelementationem*, eamdemque planè habent ſignificationem, quâ pollent iſtæ voces μετουσίωσις, & *Tranſubſtantiatio*, quarum primâ nunc Græci, alterâ Latini ad exprimendam converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, uti ſolent, ut videre eſt apud jam citatum doctiſſimum P. *Michaelem Lequien* in ſuis Notis in Cap. XIII. libri IV. S. Damaſceni *De Orthodoxa Fide*. Eſto itaque ad exprimendam converſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti non ſemper Græci hac μετουσίωσις voce uſi fuerint, & Latini hoc *Tranſubſtantiationis* nomen ante Concilium Generale Lateranenſe IV. ſub *Innocentio III.* habitum non uſurpaverint, inde tamen perperàm inferunt hæretici, Tranſubſtantiationis dogma ab *Innocentio III.* fuiſſe Sæculo XIII. in Eccleſiam invectum. Nam licèt antiqui Patres, cùm Græci, tum Latini, haſce voces, quibus nunc utuntur Græci & Latini, non uſurpaverint, alias tamen æquipollentes, & eamdem planè ſignificationem habentes ad exprimendam converſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti adhibuerunt. Alioquì, ſi quid roboris haberet iſtud hæreticorum argumentum, dicendum eſſet, antiquos Patres Græcos & Latinos, necnon Chriſtianos trium priorum Eccleſiæ Sæculorum non credidiſſe, Verbum Divinum eſſe conſubſtantiale æterno Patri, quia non uſi ſunt hac ὁμοούσιος, ſeu conſubſtantialis, voce, quæ ſolùm in Concilio Nicæno I. celebrato anno cccxxv. contra Arianos fuit in Eccleſia conſecrata, & in uſu apud fideles. Dicendum quoque eſſet, antiquos Patres Græcos & Latinos, atque

omnes Chriſtianos non credidiſſe ante hæreſiarcham *Neſtorium*, MARIAM Virginem eſſe *Deiparam*, ſeu Matrem Dei, quia uſi non ſunt hac Θεοτόκος, ſeu Matris Dei, voce, quæ tantùm in Concilio Epheſino ad configendam Neſtorii hæreſim anno CCCCXXXI. indicto apud Chriſtianos frequentari cœpit. Certè norunt omnes, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſunt verſati, Eccleſiæ Catholicæ ſolemne ſemper fuiſſe novas hæreſeon peſtes novis nominibus refellere. Sic Patrem *Ingenitum* appellavit. Sic nomen *Hypoſtaſis*, nomen *Incarnationis*, nomen ipſum *Trinitatis*, in ſacris licèt litteris non uſurpatum adhibuit. Quorsùm ergo ad veritatem ſacroſanctæ Euchariſtiæ à Chriſto Domino traditam, ab Apoſtolis prædicatam, à Sanctis Patribus Græcis & Latinis perenni traditione propagatam clarè exprimendam, & contra prophanas hæreticorum novitates tutandam, non potuerunt Patres Concilii Generalis Lateranenſis IV. ab *Innocentio III.* convocati hoc *Tranſubſtantiationis* nomen ſolemni Decreto adoptare, & in Eccleſia Catholica conſecrare? Addo etiam falſum eſſe, iſtud *Tranſubſtantiationis* nomen fuiſſe primùm à Concilio Lateranenſi IV. invectum, cùm illius apertè meminerint *Stephanus Eduenſis*, & *Petrus Bleſenſis*, qui Sæculo XII. vixêre, quanquàm tamen in uſu familiari apud omnes non adhiberetur ante laudatum iſtud Concilium, quod prædictum nomen, ad ineffabile illud myſterium explicandum perquàm appoſitum, publico uſu, ad obſtruenda hæreticorum ora, conſecratum in Eccleſia eſſe voluit.

D. Obſervaſti in ſecundo Colloquio, *Joannem*, vulgò dictum vigeſimum ſecundum, qui Sæculo

culo XIV. Romanum Pontificatum tenuit, hæreſeos inſimulari à nonnullis,qui aſſerunt,hunc Summum Pontificem non ſolùm ex animo propugnaſſe veterem quorumdam erroneam ſententiam, quòd Sanctorum Animæ ad ſupremi diem uſque judicii Viſione Dei Beatificâ non fruantur; ſed eam, ut dogma Fidei Eccleſiæ credendam propoſuiſſe. Hunc Summum Pontificem ab hac calumnia hìc vindicare debes, quò certiſſimè conſtet, Doctrinam Eccleſiæ Romanæ Sæculo decimo quarto puram ac illibatam perſtitiſſe.

M. Certa ſuppetunt monumenta, quibus facilè evincitur, *Joannem XXII.* Pontificem Maximum nullo unquam decreto approbaſſe, nedùm toti Eccleſiæ credendam propoſuiſſe veterem & erroneam illorum ſententiam, qui cenſebant, procraſtinandam eſſe viſionem Dei beatificam, hoc eſt Sanctorum Animas Viſione Dei ante ſupremi judicii diem non fruituras. At enim non poteſt meliùs nobis innoteſcere, quænam fuerit mens & ſententia *Joannis XXII.* circa ſtatum animarum poſt mortem, quàm ex eodem Summo Pontifice, qui ſæpiùs declaravit ac profeſſus eſt, ea, quæ de dilatione beatitudinis Sanctorum uſque ad diem judicii nonnunquam prædicaverat, ac defendiſſe viſus erat, à ſe fuiſſe prolata tantùm ad veritatem indagandam, nec quidquam ſuper hac re unquàm definitum eſſe. Id primò diſertè teſtatur *Joannes XXII.* in Epiſtola,quam anno MCCCXXXIII.ſcripſit ad *Philippum* Galliarum Regem, in qua hæc habet: *Propter hoc, ut veritas poſſit melius aperiri, Nos interdum in noſtris ſermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de noſtro capite, ſed dicta Scriptu-*

ræ Sacræ, & Sanctorum: multique tam Cardinales, quàm alii coram nobis, & alibi in ſuis ſermonibus pro & contra, de iſta materia ſunt locuti, & nedùm in ſermonibus, immò publicè, Prælatis, ac Magiſtris in Theologia præſentibus, eſt in Curia pluriès quæſtio hujuſmodi, ut ſic pleniùs poſſit inveniri veritas, diſputata. Idem ſcripſit *Joannes XXII.* in altera Epiſtola, quam anno ſequenti, ſeu MCCCXXXIV. direxit ad Galliarum Reginam. Ex quibus duabus Epiſtolis, quas *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXIII. & MCCCXXXIV. refert, manifeſtò conſtat, *Joan. XXII.* permiſiſſe dumtaxat, ut hæc quæſtio de dilatione beatitudinis uſque ad ſupremi judicii diem, quæ tum temporis decretorio Eccleſiæ judicio necdum eliquata erat, & in dogma fidei tranſierat, in utramque partem ventilaretur, ut ex publicis Theologorum diſputationibus pateſceret veritas. At, cùm nonnulli malevoli & iniqui obtrectatores, quos inter erant *Michael Cæſenas, Guillelmus Okamus, Bonagratia*, Franciſcani, & alii, qui *Ludovici Bavari* Imperatoris Schiſmatici partibus adhærebant, inde anſam & occaſionem arriperent ſiniſtros rumores ſpargendi contra *Joannem XXII.* eumque palàm calumniandi, quaſi negaret Animas, quibus poſt hanc vitam nihil ſupereſt flammis piacularibus purgandum, potiri Viſione Dei beatifica uſque ad ſupremi judicii diem: tunc *Joannes XXII.* publicum Cardinalium Conſiſtorium indixit die III. menſis Januarii anni MCCCXXXIV. in quo, Tabellionibus publicis etiam præſentibus, fidei ſuæ declationem edidit his verbis: *Ne quis ſiniſtrò interpretari poſſit, Nos ſenſiſſe aliquid, aut ſentire, quod Sacræ Scripturæ obviet, aut Fidei Orthodoxæ, dicimus & pro-*

proteſtamur expreſsè, quòd quidquid in quæſtione, ſeu materia viſionis animarum, videlicet an animæ à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ videant Divinam Eſſentiam illa viſione, quam Apoſtolus appellat facialem; ſeu quacunque alia materia in ſermonibus & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeu credere, quod eſſet quovis modo Scripturæ ſacræ obvium, vel contrarium Fidei Orthodoxæ, ſed illud ſolùm tenère, & credere, quod & Scripturæ poteſt & poterat, & Catholicæ Fidei convenire; & ſi fortan in prædictis ſermonibus, vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ ſacræ, ſeu Fidei Orthodoxæ quovis modo eſſent, vel viderentur obvia, ipſa præter intentionem à nobis fuiſſe prolata, dicimus & aſſerimus, eaque revocamus expreſsè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum. Quin, die III. menſis Decembris ejuſdem anni MCCCXXXIV. *Joannes XXII.* lethali morbo correptus, ac propediè m moriturus, fidei ſuæ circa Viſionem beatificam hoc reliquit teſtimonium, dicens: *Fatemur, & credimus, quòd Animæ purgatæ, ſeparatæ à corporibus, ſunt in Cœlo, & vident Deum ac Divinam Eſſentiam facie ad faciem.* Utramque Fidei *Joannis XXII.* declarationem *Benedictus*, vulgò dictus *XII.* ejus in Sede Pontificia Succeſſor, inſeruit ſuo Diplomati dato Avenione an. MCCCXXXV. quod ex MS. Vaticano integrum refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXIV. Prætereà *Joannis XXII.* mentem ac ſententiam, circa ſtatum Animarum poſt mortem, perſpectam, ac exploratam reddunt tria ejus Diplomata, quorum unum dedit pro Canonizatione S. *Thomæ Aquinatis*, alterum

pro Canonizatione S. *Ludovici*, Epiſcopi Toloſani, & tertium pro Canonizatione S. *Thomæ*, Herfordienſis Epiſcopi, in quibus proteſtatur Summus ille Pontifex, Sanctos illos cum Chriſto regnare in Cœlis, & Viſione Dei beatificâ perfrui. His certiſſimis monumentis apertè falſi convincitur impoſtura Hæreſiarchæ *Calvini*, qui libro IV. *Inſtitutionum* cap.7. hæc impudenter ſcripſit: *Expungant*, inquit, *è numero Pontificum oportet, Joannem XXII. qui palàm aſſeruit, animas eſſe mortales, unàque cum corporibus interire uſque ad diem Reſurrectionis. Atque ut videas totam Sedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe, nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit. Sed Schola Pariſienſis Regem Galliæ compulit, ut ad palinodiàm hominem cogeret. Rex ejus communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret; idque de more publicavit per præconem. Hac neceſſitate adactus ille, errorem abjuravit*, & ad marginem ait: *Teſtis Joannes Gerſon, qui tunc vivebat*. Hactenus petulantiſſimus ille Hereſiarcha, cujus quot verba, tot putida ſunt mendacia. Primum mendacium eſt, dum ait, *Joannem XXII.* aſſeruiſſe Animas eſſe mortales, unàque cum corporibus interire uſque ad diem Reſurrectionis, cùm tamen ex antiquis monumentis, & ex locupletiſſimis teſtimoniis probatæ fidei Scriptorum coævorum certiſſimè conſtet, J*oannem XXII.* nunquam aſſeruiſſe, animas eſſe mortales, unàque cum corporibus interire uſque ad diem Reſurrectionis, ſed illum dumtaxat, ut Doctorem privatum, plus æquo faviſſe ſententiæ quorumdam veterum Patrum circa procraſtinationem Viſionis Dei uſq; ad diem ſupremi judicii, quæ tamen ſententia tum temporis,

ris, ut jam obſervavimus, necdum ſolemni Eccleſiæ judicio erat proſcripta, utpotè quæ confixa ſolùm fuerit in Concilio Generali Florentino habito anno mccccxxxix. quâ tamen non obſtante illius Concilii Oecumenici definitione, ſceleſtiſſimus Hæreſiarcha *Calvinus* eamdem opinionem, ab Eccleſia licèt ut hæreticam damnatam, obſtinato animo propugnavit, ſicut alibi oſtendimus. Alterum mendacium profert *Calvinus*, dum affirmat, neminem fuiſſe, qui huic ſententiæ ſe opponeret; cùm tamen Academia Pariſienſis in Saltu Vincennarum congregata hanc ſententiam de dilatione beatitudinis uſque ad ſupremi judicii diem damnaverit, ſuæque cenſuræ ad petitionem *Philippi Valeſii* Galliarum Regis authenticum porrexerit Inſtrumentum, Magiſtrorum omnium ſubſcriptione & ſigillis munitum, quod integrum *Reſponſioni ſuæ ad myſterium iniquitatis* inſeruit noſter *Joannes Coeffeteau* Maſſilienſis Epiſcopus, illudque *Egaſſius Bulæus* tomo iv. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* ad annum mcccxxxii. iterùm retulit, ac Originale in manibus Fratrum Prædicatorum ſe Lutetiæ vidiſſe teſtatur *Philippus Gammacheus*, Doctor Sorbonicus, in primam Secundæ, quæſt. 4. cap. 2. Contra eamdem ſententiam de dilatione Beatitudinis uſque ad ſupremi judicii diem doctiſſimum ſcripſit Commentarium noſter *Durandus à S. Porciano*, Epiſcopus Meldenſis, quod *Odoricus Raynaldus* ex Codice Vaticano deſcripſit, ſuiſque Annalibus inſeruit. Tertiò, mentitur *Calvinus*, dum ſcribit, quòd *Schola Pariſienſis Regem Galliæ compulit, ut ad palinodiam Joannem XXII. cogeret*; cùm potiùs Academiæ Pariſienſis Doctores, juſſu *Philippi Valeſii*, Galliæ Re-

Regis, in Saltu Vincennarum, ut mox diximus, congregati, iſtud de *Joanne XXII.* teſtimonium Regi perhibuerint, dicentes: *Multorum fide dignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia* (ſcilicet de procraſtinatione gloriæ Sanctorum uſque ad diem judicii) *Sua Sanctitas dixit: non aſſerendo, ſeu opinando protulit, ſed ſolummodò recitando.* Quartò, à vero omninò abhorret, quod ſubjungit *Calvinus*, dicens: *Rex* (ſeu *Philippus Valeſius*, qui tunc in Galliis regnabat,) *ejus*, ſeu *Joannis XXII. communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret. Hac neceſſitate adactus ille errorem abjuravit.* Id, inquam, à veritate Hiſtoriæ omninò alienum eſt, tum quia apud nullum Scriptorem coævum legitur, *Philippum Valeſium*, Galliarum Regem, communionem *Joannis XXII.* ſuis ſubditis interdixiſſe; tum quia etiam, omnes ad unum Scriptores, ſi excipias *Guillelmum Okamum*, qui *Ludovici Bavari* Imperatoris Schiſmatici ſtipendiarius erat, teſtantur, *Joannem XXII.* nullum unquam errorem propugnaſſe aut abjuraſſe, eò quòd ſententia de dilatione Viſionis Dei uſque ad ſupremi judicii diem, inquam *Joannes XXII.* ut Doctor privatus, inclinare viſus eſt, nondùm ab Eccleſia eſſet damnata, nec ullo ſolemni Decreto ab ea definitum, Animas corporibus exutas, ac plenè purgatas, *in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt.* Quæ tandem veritas planè dilucidata, & totius Eccleſiæ judicio in Oecumenica Synodo Florentina ſancita ac firmata eſt. Non me fugit, *Petrum de Alliaco*, Cameracenſem Epiſcopum, & poſteà S.R.E. Cardinalem, in quadam Oratione, quam habuit coram *Carolo VI.* III. Idus Decembris

anni

anni MCCCCVI. affirmaſſe, Regem *Philippum Valeſium*, Academiæ Pariſienſis judicio fretum, vehementiſſimas ad *Joannem XXII.* ſcripſiſſe litteras, in quibus rogum ipſi intentabat, ni ſuum revocaret errorem. Sed nullus dubito, quin *Petrus de Alliaco*, qui poſt annos dumtaxat ſeptuaginta ab obitu *Joannis XXII.* id dixiſſe fertur, deceptus ſit, perperàm videlicet applicando perſonæ *Joannis XXII.* minas, quas *Philippus Valeſius*, Galliarum Rex intentarat Miniſtro Generali Fratrum Minorum, *Geraldo* dicto, qui ſententiam de dilatione Viſionis Dei uſque ad judicii diem cum plurium offenſione publicè Pariſiis prædicaverat, cùmque *Philippus* Rex eâ de re per litteras ad *Joannem XXII.* directas conqueſtus fuiſſet, reſcripſit Summus ille Pontifex, & ſub juramento negavit, ſe præfatum Generalem Minorum Pariſios miſiſſe, ut ſententiam de procraſtinatione beatitudinis Sanctorum uſque ad ſupremi judicii diem in hac Civitate Pariſienſi, ſicut fama ferebat, prædicaret. Hanc Epiſtolam *Joannis XXII.* ad *Philippum*, Galliarum Regem, refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXIII. Prætérquamquòd, teſtimonium *Petri de Alliaco* aſſerentis *Joannem XXII.* in errorem impegiſſe, facili negotio falſi convincitur locupletiſſimis teſtimoniis, quæ mox laudavimus, ejuſdem Pontificis *Joannis XXII.* ejuſque ſucceſſoris *Benedicti XII.* atque Academiæ Pariſienſis, quibus addi etiam poſſunt teſtimonia noſtri *Ptolomæi Lucenſis* cap. 42. lib. 24. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſæpiùs ab *Odorico Raynaldo* ex MS. Vaticano in Annalibus Eccleſiaſticis laudatæ, & *Joannis Villani* cap. 19. lib. 11. *Hiſtoriæ* Italicè ſcriptæ. Qui Authores, cùm *Joanni XXII.* coævi fue-

fuerint, longè majorem, quàm *Petrus de Alliaco* in rebus Hiſtoricis ſui temporis fidem merentur. Idem judicium ferendum eſſe cenſeo de *Joanne Gerſonio*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellario, quem Hæreſiarcha *Joannes Calvinus* omnium in *Joannem XXII.* mendaciorum ſuorum teſtem citat in margine his verbis: *Teſtis Joannes Gerſon, qui tunc vivebat*. Qua in re *Calvinus* non minùs ignorantiam, quàm malitiam ſuam prodidit; ignorantiam quidem, dum ait, *Joannem Gerſonem* eodem tempore vixiſſe, quo *Joannes XXII.* Eccleſiam regebat, cùm tamen certum ſit, *Joannem Gerſonium* longè poſt obitum *Joannis XXII.* natum eſſe. Mortuus quippè eſt *Joannes XXII.* anno MCCCXXXIV. ut teſtatur *Joannes Villani* libro XI. *Hiſtoriæ* cap. 19. *Joannes* verò *Gerſonius* natus eſt anno MCCCLXIII. ut videre eſt apud *Trithemium* in libro *De Viris Illuſtribus*. Quî igitur, amabo, fieri potuit, ut *Joannes Gerſonius* eodem tempore vixerit, quo *Joannes XXII.* At hic Anachroniſmus, etſi graviſſimus, poſſet *Calvino* condonari, niſi ibidem ſuam malitiam apertè indicaret. Poſtquàm enim audaciſſimus ille Hæreſiarcha infrunito ore aſſeruit, *Joannem XXII.* negaſſe immortalitatem animæ, & *Philippum Valeſium*, Galliarum Regem, communionem hujus Summi Pontificis ſuis ſubditis interdixiſſe, aliaque non minus inſulſa congeſſit mendacia, citat ad marginem *Ioannem Gerſonium*, ut vadem ac teſtem omnium mendaciorum, quæ in *Joannem XXII.* virulento calamo ſcripſit, cùm tamen *Ioannes Gerſonius* nullibi dicat, *Ioannem XXII.* negaſſe immortalitatem animæ, & *Philippum Valeſium* Galliarum Regem interdixiſſe ſuis ſubditis communionem *Ioan-*

nis

Digitized by Google

nis XXII. Hoc unum dumtaxat, ut candidè fatear, aſſerit *Joannes Gerſonius*, videlicet *Joannem XXII.* ut Doctorem privatum, propugnaſſe ſententiam de dilatione Viſionis Dei uſque ad judicii diem, eamque ſententiam à Theologis Pariſienſibus fuiſſe damnatam. Sic enim in Sermone de Feſto Paſchatis, illud explicans: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, effatur iſte Academiæ Pariſienſis Cancellarius: *Propter quod inſuper apparet falſitas doctrinæ Papæ Joannis XXII. quæ damnata fuit cum ſono buccinarum coram Rege Philippo avunculo tuo per Theologos Pariſienſes, de Viſione beata, & credidit potius Theologis Pariſienſibus, quàm Curiæ*. Hoc *Joannis Gerſonii* teſtimonium hic referre neceſſarium eſſe duxi, ut inde facilè intelligeres, falsò *Joannem Gerſonium* citari ab Hæreſiarcha *Calvino* tanquam teſtem omnium mendaciorum, quæ ipſe de induſtria ſuo in cerebro conficta in *Joannem XXII.* ſacrilego ore evomuit. Quamquam tamen, ut obiter dicam, nec ipſimet *Joanni Gerſonio* fides adhibenda ſit, non ſolùm quia aſſerit, ſententiam de procraſtinatione Viſionis Dei uſque ad judicii diem fuiſſe à Theologis Pariſienſibus damnatam cum ſono buccinarum, quæ profectò circumſtantia de cenſuræ Theologorum Pariſienſium promulgatione facta *cum ſono buccinarum* ab antiquioribus, & coævis Scriptoribus omninò reticetur; ſed etiam quia *Gerſonius* innuere videtur, *Joannem XXII.* ex animo propugnaſſe ſententiam de dilatione beatitudinis uſque ad ſupremi judicii diem, cùm potiùs ex antiquiſſimis Monumentis, quæ jam laudavimus, & ex diſertis coævorum, ac ſubindè *Gerſonio* antiquiorum Scriptorum teſtimoniis haud obſcu-

ſcurè colligi poſſit, *Joannem XXII.* propendiſſe dumtaxat in ſententiam de dilatione beatitudinis uſque ad judicii diem, eumque inquirendæ ac elucidandæ veritatis gratiâ, quæſtionem hanc de Sanctarum Animarum beatifica Viſione in utramque partem diſceptari optaſſe, eam tamen auctoritate Pontificiâ nunquàm definiiſſe, cùm illius Pontificiæ definitionis nullum in hujus Summi Pontificis, ſeu dictis, ſeu factis, ſignum, aut leviſſimum reperiatur veſtigium.

D. Quænam in Scholis Sæculis XIII.& XIV. Theologiam docendi obtinuit methodus, & quæ potiſſimùm Diſciplinæ, Artes, ac Scientiæ excultæ fuerunt?

M. Quamvis Sæculis XIII. & XIV. ſtudium juris Canonici & Civilis maximè viguerit, in profeſſione tamen Theologiæ Scholaſticæ omnis ferè litterarum dignitas conſiſtebat, præſertim poſtquàm S. *Thomas*, Doctor Angelicus, Theologiam Scholaſticam egregiis Commentariis, ac Summâ ſuâ tripartitâ plurimùm illuſtraſſet, atque Philoſophiam obſequio fidei mancipaſſet. Huic quippè Sanctiſſimo Præceptori prima, ac penè una cura fuit inquirere ac certò noſſe, quid Scriptura, quid conſenſus omnium Sanctorum Patrum de quâque re doceret, ut, eo conſtituto tanquàm immoto fundamento, totam illi Theologiam adſtrueret. Hinc *Doctoris communis* nomen aſſecutus eſt, quia, Duce verbo Dei, fugit diverticula, & tritam Patrum calcavit viam, à qua ne latum quidem unguem permiſit ſibi diſcedere. Omnes Scientias obſequio fidei ſubjecit, & ex philoſophia eas ſententias delegit, quæ ad fidei myſteria explicanda & pro-

& propugnanda conducere poſſent; verbo dicam, ſicut vitæ origo & finis eſt à corde, quod primum omnium incipit, & ultimum deſinit vivere, ita S. *Thomæ Aquinati* ſcribenti, & docenti fides inſtar cordis fuit, ab una fide & traditione cœpit, & in fidem deſiit. Theologica è doctrina Patrum, & principiis fidei hauſit, in opinionibus verò philoſophicis deligendis, inter hinc indè probabilia unius fidei defendendæ rationem ita habuit, ut merità Doctoris illius Angelici Scripta appellare poſſim Chriſtianæ Religionis Armamentarium, & quęcunque docet, ſint vel conſectaria à fide deducta, vel præſidia fidei & ad illam apparatus. Si vellem ad hujus rei fidem faciendam, quæ ſuppetunt, hìc proferre experimenta, decurrendæ mihi eſſent omnes Theologiæ partes, quia ubique eamdem methodum ſervavit. Hanc S. *Thomæ* in pertractandis quæſtionibus Theologicis methodum, quâ ad veritatis diſcuſſionem nulla aptior, ad Catholicam fidem defendendam ſolidior, ad mores probè informandos ſecurior eſſe poteſt, qui Sæculis XIII. & XIV. ſecuti ſunt Theologi, à veritatis tramite nunquam deviarunt. At, proh dolor! nonnulli fuerunt Sæculis XIII. & XIV. Theologi, qui diverſam à Sancti *Thomæ* methodo viam ineuntes, & in Theologia Philoſophos agentes, in varios errores proruperunt, quorum temeritatem, ſuperbiam, inſolentiamque repreſſit Academia Pariſienſis, ſicut oſtendimus in Colloquio tertio. Extiterunt etiam alii Academiæ Pariſienſis Theologi, qui Sæculis XIII. & XIV. affectatâ ingenii ſubtilioris famâ, inutilium, & metaphyſicarum difficultatum Concertationibus Scholas impleverunt, nodiſque in-

intricatiſſimis futilium quæſtionum, quæ vix aliud quàm temporis jacturam, aut quod multò periculoſius, nec minus frequens malum accidebat, pietatis faſtidium afferebant. De hoc graviſſimo, qui in Theologiam Scholaſticam apud Theologos Pariſienſes irrepſerat, abuſu, jure ac meritò conqueritur Joannes *Gerſonius*, Facultatis Pariſienſis Cancellarius, in Epiſtola, quam Brugis ſcripſit ad quemdam Prælatum, in qua, teſte *Egaſſio Bulæo* tomo IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* hæc habet: *Reverende Pater, ſub veſtra, & Magiſtrorum noſtrorum correctione in Facultate Theologiæ videtur eſſe neceſſaria reformatio ſuper ſequentibus inter cætera. Primò, ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles ſine fructu & ſoliditate, quoniam per eas, doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ & utiles deſeruntur, neſciunt neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt, inquit Seneca. Secundò, per eas non ſtudentes ſeducuntur, quia ſcilicet putant, illos principaliter eſſe Theologos, qui talibus ſe dant, ſpreta Biblia, & Sacris Doctoribus. Tertiò, per eas* (ſeu inutiles doctrinas) *termini à Sanctis Patribus uſitati tranſmutantur contra illud Auguſtini: Nobis ad certam Regulam loqui fas eſt &c. Et non ſequitur velocior ſcientiæ alicujus corruptio, quam per hæc &c. Quartò, per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur, nam ideò appellantur Phantaſtici, & dicuntur nihil ſcire de ſolida veritate, & Moralibus & Biblia. Quintò, per eas viæ eorum multiplices aperiuntur. Quia enim loquuntur, & fingunt ſibi ad placitum terminos, quos alii Doctores & Magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & abſurdiſſima, quæ ex ſuis abſurdis fictionibus dicunt ſequi. Sextò, per eas Eccleſia & Fi-*

des

des neque intus, neque foris ædificantur. Conſtat, quòd dant potiùs occaſiones credendi, quòd Deus non ſit omnimodè ſimplex, aut unus. Septimò, per eas multi ex Theologis tam activè, quàm paſſivè ſcandalizantur, nam alii vocantur rudes ab aliis, & alii è contra Curioſi, & Phantaſtici: Tales nunc currunt propoſitiones ex talibus doctrinis: infinitæ ſunt durationes in divinis ſecundùm prius & poſterius quamvis æternæ; Spiritus Sanctus liberè, contradictoriè, contingenter producitur ex parte principii &c. Hactenus *Joannes Gerſonius*, qui doctrinas inutiles, quæ his temporibus in Scholas invectæ, germanæ Theologiæ faciem deturpabant, meritò improbat, monetque Theologos, ut abſtineant à tractandis illis quæſtionibus, quæ ſemper litigandi novam videntur ſubminiſtrare materiam, eaſque ſolùm ventilent, quæ ad Scripturæ Sacræ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ac veræ Theologiæ notitiam conferre, aut fidelibus Chriſtianæ pietatis ſemina inſtillare poſſunt. Hùc enim profectò præcipua Theologorum cura intendi deberet, ut proſcriptis, & ab ipſis uſque radicibus evulſis ex hominum animis falſis opinionibus, præſertim illis, quæ laſcivienti hominum libidini indulgent, ſanam Theologiam ex Sacris litteris, ex Sanctorum Patrum Operibus, atque ex Sacris Eccleſiæ ſanctionibus hauſtam traderent diſcipulis, eaſque ſæpius in Scholis neceſſarias diſputationes, & exercitationes haberent, quæ intelligendi prudentiam acuunt, loquendi celeritatem incitant, artemque edocent hæreticos feriendi, repellendi, & tanquam machinatione aliqua in omnem partem contorquendi. Quâ in re impensè laudo noſtri temporis Theologos, qui, eximiâ inſtructi diſſerendi faculta-

te, benè multa, quæ antehàc aut concluſa, aut obſcura erant; variis diſputationibus tractata eruerunt, dilucidè expoſuerunt, & ad altiorem ſacrarum litterarum peritiam, ad meliorem Sanctorum Patrum doctrinam, quæſtiones ad exercenda ingenia, ac diluenda contorta hæreticorum ſophiſmata apprimè utiles providè atque ſapienter adjecerunt.

D. Cùm non ſolùm doctrinam Eccleſiæ, ſed etiam Leges & Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quibus ſancitur Diſciplina, callere debeat Clericus, ne quidquam faciat, quod Patrum poſſit eſſe regulis contrarium; magni mea intereſt, ut hìc Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ Sæculis XIII. & XIV. viguit, ſpeciem & formam adumbres.

M. Priuſquàm Singularia quędam attingam Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita, non abs re erit generales præmittere Obſervationes, ſpectantes Diſciplinam Eccleſiæ, quæ Sæculis XIII. & XIV. ſancita fuit, atque executioni mandata. In primis, obſervare debes, pluralitatem Beneficiorum Sæculo decimo tertio multis Clericis placuiſſe, eumque abuſum frequentibus Decretis & Canonibus Summorum Pontificum ac Conciliorum damnatum eſſe, ſed cùm nihiloſeciùs hæc peſtis, præſertim in Galliis, latiùs graſſaretur, *Guillelmum* Pariſienſem Epiſcopum, per triennium, hoc eſt, ab anno MCCXXXV. uſque ad annum MCCXXXVIII. hanc de Beneficiorum unitate aut pluralitate Controverſiam juſſiſſe à Theologis Academiæ Pariſienſis diſputari, an videlicèt ſalvâ conſcientiâ poſſet quis plura adire & habere Beneficia? Hanc quæſtionem diuturno examine diſcuſſerunt Theologi

logi Pariſienſes, ac tandem plenis Theologorum Comitiis, quibus ex Familia Dominicana intererant tres, *Hugo à Sancto Charo*, Theologiæ Profeſſor, ac poſteà S.R.E. Cardinalis, *Guerricus à Sancto Quintino*,& *Gaufridus*,quorũ ſuffragiis decretum eſt, nullum poſſe, ſine legitima cauſa, pluribus Beneficiis potiri, ſi ex uno Beneficio annuos redditus ad honeſtam vitæ ſuſtentationem ſufficientes perciperet. Id diſertè teſtatur noſter *Thomas Cantipratanus*, qui tum temporis Pariſiis verſabatur, libro I. *Apum* cap.xx. num.v. ubi hęc habet: *Volo*, inquit, *ut quicumque hæc legerit, ſciat me anno ab Incarnatione Domini* MCCXXXVIII. *fuiſſe Pariſiis,ubi Venerabilis Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, qui in Theologia rexerat, conventionem fecit omnium Magiſtrorum in Capitulo Fratrum Prædicatorum. Propoſita ergo quæſtione de pluralitate Beneficiorum, ſolerti, & valdè longa diſſertatione probatum eſt, duo Beneficia, dummodò unum valeret quindecim libras Pariſienſes*(quę Summa tunc temporis in Galliis,ob monetę penuriam ad honeſtum Clerici victum ſufficiebat) *teneri cum ſalute animæ non poſſe*. Verùm, inter Scriptores Sæculi XIII. nullus, meâ quidem ſententiâ, diligentiùs excuſſit, & clariùs atque ſecuriùs hanc de unitate, vel pluralitate Beneficiorum Controverſiam explanavit, quàm S. *Thomas*, Doctor Angelicus, Quodlibeto IX. Quæſtione VII. Art. II. ubi primùm docet, quòd inter actiones de ſe indifferentes ad bonum & malum locum habere non poſſit plurium præbendarum, ſeu cumulatorum Beneficiorum poſſeſſio, *cùm hoc, quod eſt habere plures Præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat; utpotè quia,non eſt poſſibile aliquem in plu-*

ribus Eccleſiis deſervire , in quibus eſt præbendatus , cùm præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium . Sequitur etiam diminutio Divini Cultus , dùm unus loco plurium inſtituitur . Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum Teſtatorum, qui ad hoc bona Eccleſiis contulerunt , ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet . Sequitur etiam inæqualitas , dùm unus pluribus Beneficiis abundat , & alius nec unum habere poteſt . Secundò , docet S. *Thomas* , Præbendarum , ſeu Beneficiorum pluralitatem *eſſe in numero harum actionum, quæ abſolutè conſideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important , quæ tamen, aliquibus circumſtantiis advenientibus,bonæ efficiuntur; Sicut occidere hominem vel percutere , in ſe deformitatem quamdam importat ; Sed ſi addatur , occidere malefactorem propter juſtitiam , vel percutere delinquentem causâ diſciplinæ, non erit peccatum , ſed virtuoſum . In numero harum actionum videtur eſſe , habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas Inordinationes contineat , tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire , ita honeſtantes actum, quòd prædictæ inordinationes totalitèr evacuentur ; ut putà ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequio , & poſſit plus ſervire Eccleſiæ , vel tantumdèm , abſens quàm alius præſens ; & ſi qua alia ſunt ejuſmodi . Et tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum rectâ intentione non erit peccatum . . . . . Si verò aliquis* , ſubdit Doctor ille Angelicus , *hac intentione plura Beneficia habeat, ut ſit ditior , ut lautiùs vivat , & ut faciliùs ad Epiſcopatum perveniat in aliqua Eccleſiarũ,ubi eſt Præbendatus,non tolluntur prædictæ deformitates,ſed augentur , quia cum tali intentione & unum Benefi-*

cium

cium habere, quod nullam inordinationem importat, eſſet illicitum. Denique, concludit *S. Thomas*: *ſine quibus circumſtantiis tutum non eſt plures habere Præbendas, quantumcùmque Diſpenſatio interveniat; eò quòd diſpenſatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, ſed ſolùm ligamen Juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt.* Ex qua S. *Thomæ* doctrinà manifeſtò colligitur, Beneficiorum pluralitatem, quæ his munita non eſt circumſtantiis ab illo Doctore Angelico aſſignatis, illicitam eſſe, meritòque damnatam Canone XIX. Concilii Lateranenſis IV. ſub *Innocentio III.* anno MCCXV. celebrati, quem Canonem poſteà Sæculo XIV. renovarunt Summi Pontifices *Joannes XXII.* in ſua Decretali, quæ incipit, *Execrabilis &c.* & *Urbanus V.* in ſua Conſtitutione, cujus initium, *Horribilis &c.* Refert etiam *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXI. fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ Præſulem Anonymum, qui in Concilio Generali Viennenſi contra Beneficiorum pluralitatem acritèr invectus eſt his verbis: *Hodiè, quod cum dolore referendum eſt, una perſona, aliquandò minus idonea, quatuor vel quinque in diverſis Eccleſiis obtinet Beneficia, ideſt, quinque vel quatuor dignitates., aliquando tres vel duas; Quin immò, quod non eſt minimum inconveniens vel abſurdum, una perſona, cui ſecundùm ſtatum ſuum una ſufficeret Canonica vel Præbenda, decem vel duodecim in diverſis Eccleſiis obtinet, & aliquandò plures, ſicut vidi. Heu! aliquandò una perſona tot obtinet dignitates, Perſonatus, vel Officia, quot ex eis poſſet quinquaginta vel ſexaginta exercitatis & litteratis perſonis ſufficientiſſimè provideri. Ex quo pernicioſo abuſu ſequitur deſtructio Ec-*

cleſiarum, defectus ſervitiorum Eccleſiaſticorum, enervatio & diſſipatio ſtudiorum, quæ modernis temporibus ubique terrarum depereunt, propter hoc quòd bonis Scholaribus exercitatum ingenium habentibus provideri non poteſt per Prælatos &c.

Hanc generalem obſervationem de pluralitate Beneficiorum Sæculis XIII. & XIV. multis Summorum Pontificum & Conciliorum Decretis proſcriptâ, altera excipiet obſervatio de Reſidentia, quæ Epiſcopis, Canonicis, & Curatis, omnibuſque Beneficia curam animarum habentia obtinentibus fuit iiſdem Sæculis XIII. & XIV. Sacris Eccleſiæ Canonibus imperata. Epiſcopi tamen à Reſidentia legitimè diſpenſati aliquandò cenſebantur, tùm ob cauſam pietatis, quandò videlicèt adeunda erat Apoſtolica Sedes, ad reverentiæ, & obedientiæ ſignificationem ei exhibendam, tùm etiam ob cauſam neceſſitatis, nimirùm quandò intereſſe debebant Conciliis Generalibus, vel adibant Concilia Provincialia, quæ Metropolitani ſingulis annis celebrare tenebantur, ut ſanxit Concilium Generale Lateranenſe IV. ſub *Innocentio III.* Summo Pontifice, Canone VI. ubi ſic ſtatutum eſt: *Sicut olim à Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corripiendis exceſſibus, & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum &c.* Hanc Conciliorum Provincialium celebrationem, quæ ſenſim ſine ſenſu Sęculo decimo quarto in deſuetudinem abire cœperat, imperavit *Gregorius XI.* Pontifex Maximus, in Epiſtola ad *Petrum* Archiepiſcopum Narbonen-

bonenſem, datâ anno MCCCLXXXIV. A' lege reſidendi in ſuis Eccleſiis Beneficiarios ſtudentes, eorumque Profeſſores diſpenſavit Sæculo XIII. *Honorius III.* in Decretali *ſuper ſpecula*; *De Magiſtris*, cujus hæc ſunt verba: *Docentes verò in Theologica Facultate, dùm in Scholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integrè per annos quinque percipiant, de licentia Sedis Apoſtolicæ, proventus Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua alia conſuetudine vel Statuto, cùm denario fraudari non debeant in Vinea Domini operantes.* Iſtam *Honorii III.* Decretalem Sæculo decimo quarto *Clemens V.* anno MCCCVIII. *Joannes XXII.* anno MCCCXXXI. *Clemens VI.* ann. MCCCXLII. & MCCCXLVI. confirmarunt.

Clericos Beneficiarios bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatores dumtaxat & Oeconomos, ſed non dominos eſſe, ſæpiùs declararunt Concilia Nationalia Sæculis XIII. & XIV. celebrata, quorum Canones in Colloquio IV. laudavimus. Eamdem doctrinam S. *Thomas*, qui Sæculo XIII. vixit, diſertè tradit Secundâ Secundæ, Quæſtione CLXXXV. Art. VII. ubi Epiſcopos bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatores & procuratores, non dominos eſſe docet his verbis: *Aliter eſt dicendum de propriis bonis, quæ Epiſcopi poſſidere poſſunt, & de bonis Eccleſiaſticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent. Undè ex ipſa rerum conditione non obligantur ut ea aliis conferant, ſed poſſunt ea vel ſibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. Poſſunt tamen in eorum diſpenſatione peccare, propter inordinationem affectus, per quam contingit quod vel ſibi plura conferant, quàm oporteat, vel aliis etiam non ſubveniant, ſecundùm quod requirit debitum charita-*

tis. Non tamen tenentur ad reſtitutionem, quia hujuſmodi res ſunt eorum dominio deputatæ: Sed Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores vel procuratores .... Sunt autem bona Eccleſiaſtica non ſolum in uſus Pauperum, ſed etiam ad Cultum Divinum & neceſſitates Miniſtrorum expendenda .... ſi aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in uſum Miniſtrorum, aut in Cultum Divinum expendenda, non eſt dubium quin contra fidem diſpenſationis agat, & mortalitèr peccet, & ad reſtitutionem teneatur.

Clericos exactionibus, procurationibus, vectigalibus, pedagiis ſubdi paſſa non eſt Eccleſia XIII. & XIV. Sæculis, etiam ratione patrimonii & hæreditatis, niſi uxorati eſſent, vel mercaturam exercerent, & Cenſuris Eccleſiaſticis eorum immunitatem defendit. Diſtrictè quoque prohibuit Eccleſia, ne Clerici Laicum Judicem ſibi conſtituerent, aut ad Laicorum Tribunalia traherentur, ut videre eſt in multis Conciliorum Canonibus, quos in quarto Colloquio retulimus. Hanc Eccleſiarum, Clericorum, & bonorum Eccleſiaſticorum immunitatem, egregiè, ut alibi obſervavimus, *Petrus Bertrandus* Æduenſis Epiſcopus, & poſteà S. R. E. Cardinalis, Sæculo XIV. totius Eccleſiæ Gallicanæ nomine coram *Philippo Valeſio*, Galliarum Rege, tuitus eſt contra *Petrum de Cugneriis* Regium Advocatum, pro Baronibus, & Sæcularibus Magiſtratibus perorantem, qui, licèt non diffiteretur, judicium de cauſis Clericorum ad Epiſcopos de jure ſpectare, aliquos tamen excipiebat caſus, ſcilicèt primò crimen furti. Secundò, Clericorum conjugatorum delicta. Tertiò, ſi abſque Tonſura

&

& veſte Clericali eſſent in crimine deprehenſi. Quartò, ſi de ipſorum conjugibus ageretur. Quintò, Clericos in terris Baronum à Miniſtris Eccleſiaſticis capi non poſſe pertentedat. His exceptionibus Immunitatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam limitare ac elevare pro viribus ſtudebat *Petrus de Cugneriis*, quem adeò nervosè confutavit laudatus *Petrus Bertrandus* Epiſcopus Æduenſis, ut *Philippus Valeſius*, Rex Chriſtianiſſimus, libratis æquâ lance hinc indè momentis, Immunitatem & Juriſdictionem Eccleſiaſticam ſartam tectam in ſuo Regno conſervari voluerit, & *Petrus de Cugneriis*, qui eam impugnare ac labefactare auſus fuerat, in vulgi fabulam abierit. Cæterùm, etſi Clerici Sæculis XIII. & XIV. ab exactionibus liberi eſſent, & Laicorum Judicum Tribunalibus exempti, interdùm tamen Summi Pontifices, ob publicas Eccleſiæ neceſſitates, præſertim pro Expeditione Sacra, & ad bellum contra Hæreticos Albigenſes conficiendum, legem impoſuerunt Clericis Decimas perſolvendi Regibus ac Principibus Laicis ad certum tempus præfixum, ut conſtat ex multis exemplis, quæ referuntur à Scriptoribus horum temporum, & quæ, brevitatis ergò, ſilentio prætermitto. Permiſerunt etiam Summi Pontifices Galliarum Regibus, ut flagitioſos Clericos propter crimina homicidii, mutilationis, aut alterius enormis facinoris, vel etiam ſuper hujuſmodi criminibus publicè diffamatos, in carceres ſuos detruderent, non ut jus aliquod in eos exercerent, ſed Præſulibus traderent, ne in effrænatam licentiam impunitatis ſpe prorumperent iſti Clerici graviſſimorum criminum notâ inuſti. Hoc privilegium

Nico-

Nicolaus IV. Pontifex Maximus conceſſit *Philippo III.* Regi Chriſtianiſſimo, anno MCCLXXXVIII. ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum num. XXXVII. Idem Privilegium *Joannes XXII.* anno MCCCXVII. indulſit *Philippo V.* Regi Chriſtianiſſimo, ſicut ad hunc annum num. XIII. refert citatus *Odoricus Raynalus*.

Deniquè, circa Diſciplinam Eccleſiæ, quæ in adminiſtratione Sacramentorum Sæculis XIII. & XIV. frequentari ſolebat, generatim obſervare debes primò, viguiſſe adhuc Sæculo XIII. antiquum morem baptizandi per immerſionem, ſicut S. *Thomas*, qui eo Sæculo vixit, apertè teſtatur 3. Parte ſuę Summæ Quæſtione LXVI. Art. VII. ubi ait: *Quamvis tutiùs ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus*. Et in reſponſione ad ſecundum ſibi propoſitum argumentum inquit: *Ad ſecundum dicendum, quòd in immerſione expreſſiùs repræſentatur figura ſepulturæ Chriſti, & ideò hic modus baptizandi communior eſt & laudabilior*. Id etiam confirmat Articulo octavo ejuſdem quæſtionis, ubi docet, quod *communitèr obſervatur in Baptiſmo trina immerſio, & ideò graviter peccaret alitèr baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Aſt, ſub finem Sæculi XIV. evanuit apud Latinos ritus baptizandi per immerſionem, & obtinuit mos conferendi baptiſmum per effuſionem, ut liquet ex omnibus Ritualibus, quæ à tempore Sæculi XIV. edita ſunt, in quibus, omiſsà immerſione, ſolius effuſionis in baptiſmi adminiſtratione modus præſcribitur. Cur autem Eccleſia Latina hunc antiquum per immerſionem baptizandi modum in alium Sæculo XIV. immutaverit, multiplex

plex ratio à Theologis afferri ſolet. Prima eſt, quia Miniſtri, ubi in Eccleſiis deſiit Diaconorum copia, baptizandos, adultos præſertim, immergere vix potuerunt. Secunda, quia cùm parvuli recens nati majorem conſtituerent baptizandorum numerum, periculum fuit, ne ex eorum immerſione eorum valetudini aliqua labes inferretur. Tertia, quia Eccleſia tàm miniſtrorum, quàm ſuſcipientium Baptiſmum pudori conſulere voluit, cui quidem pudori, cùm non ampliùs extarent Diaconiſſæ, quibus fœminas, quæ erant baptizandæ, immergendi cura olim incumbebat, difficili negotio conſultum fuiſſet, ſi baptiſma, fœminis præſertim, ut fiebat antiquitùs, per immerſionem fuiſſet collatum.

Præterea, circà adminiſtrationem Euchariſtiæ, quamvis Sæculo XIII. antiqua adhuc vigeret conſuetudo communionem dandi ſub utraque ſpecie, nihiloſeciùs in quibuſdam Eccleſiis communio ſub unica tantùm ſpecie, ſcilicèt panis, populo porrigebatur. Hujus conſuetudinis teſtis eſt locupletiſſimus S. *Thomas*, qui 3. Parte ſuę Summę Quæſtione LXXX. Art. XII. hæc habet: *Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti Myſterii; quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi: & quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes & juvenes & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant, ideò providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à Sa-*

à Sacerdote ſumatur. Contendunt multi Viri eruditi poſt doctiſſimum P. *Joannem Morinum*, Congregationis Oratorii Presbyterum, in libro *de Pœnitentia*, formam abſolutionis, quam Sacerdotes in tribunali Pœnitentiæ adhibebant, fuiſſe in Eccleſia Latina ad duodecimum uſque ſeculum dumtaxat *deprecativam*, quali etiamnùm Græci utuntur in Sacramento Pœnitentiæ, ſed non fuiſſe *indicativam*, ſeu his verbis conceptam: *Ego abſolvo te à peccatis tuis*. At, ut ut ſit de hac Patris *Morini*, & aliorum Theologorum ſententiâ, quam hìc diſcutere animus non eſt, certum eſt, Sæculo XIII. formam Sacramentalis Abſolutionis in Eccleſia Latina non fuiſſe *deprecativam*, qualis eſt apud Græcos, ſed *indicativam*, ſicut nunc uſurpatur in Eccleſia Latina. Hujus rei teſtem omni exceptione majorem proferam S. *Thomam*, qui in Opuſculo XXII. cap. II. impugnans aliquem Scriptorem, qui Sæculo XIII. multa antiquorum Authorum laudabat teſtimonia pro ſola deprecativa abſolutionis forma in Sacramento Pœnitentiæ adhibendâ, ſic reſpondet Doctor ille Angelicus; *Nunquid etiam ſi nunc viverent* (ideſt illi Authores citati ab illo Scriptore, quem refellit) *præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis: Ego te abſolvo, abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem*. Prætermittere hìc non poſſum obſervationem, quam mihi ſuppeditat idem S. *Thomas* circà Jejunium Quadrageſimale, quod ad duodecimum uſque ſæculum in Eccleſia Latina veſpere tantùm ſolvebatur, ſed ineunte Sæculo XIII. mox ille antiquus mutatus eſt, & horâ nonâ

nonâ ſolvi cœptum etiam in Quadrageſima jejunium, ſicut teſtatur Doctor Angelicus Secundâ Secundæ Quæſtione XLVII. Art. VII. in quo inquirit, *utrum hora nona convenientèr taxetur ad comedendum his, qui jejunant?* At jejunium etiam tempore Quadrageſimæ, quod, teſte S. *Thoma*, Sæculo XIII. ſolvi dumtaxàt poterat horâ nonâ, tandem cadente Sæculo XIV. hominibus majorem ad relaxationem pronis, ad meridiem ſolvi cœpit, & ad jejunium quadrageſimale ſatis ſuperque ſufficere viſum eſt, ſi Officio veſpertino circà meridiem perſoluto pranderetur, Eccleſiâ infirmitati hominum indulgente, ut cænæ mutarentur in prandia meridiana, modò, quæ jejunio eſſentialis eſt, refectionis unitas ſervaretur, nec meridie pranſi veſperè cœnarent. Hinc meritò inferas Cœnulam ſerotinam, quæ *Collatio* vulgò vocari ſolet, fitque nunc tempore Quadrageſimalis Jejunii, ex hominum relaxatione ortum habuiſſe, eique nec Sanctos Patres, nec Conciliorum Canones ſuffragari, nec Eccleſiam latâ lege conſenſiſſe unquam, quamvis eam toleret.

D. Placent mihi admodùm generales iſtæ, quas hactenùs in Diſciplinam Eccleſiaſticam Sæculorum XIII. & XIV. præmiſiſti Obſervationes. Nunc particulatim percenſere debes præcipua Diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita, quæ ſpectant Jura & Officia Metropolitanorum, Electiones, & juriſdictionem Epiſcoporum, Ordinationes Clericorum, eorumque ad Eccleſiaſtica Beneficia promotiones.

Hæc erant Sæculis XIII. & XIV. Jura & Officia Metropolitanorum. Primò, abſolvere poterant eos, qui excommunicati fuerant à ſuis Suffraganeis, vel

vel eorum Officialibus, ſi à ſententiâ latâ ad eorum tribunal appellatum eſſet, illos tamen abſolvere non poterant, qui ab Archidiaconis, aut aliis Subditis Suffraganeorum ſuorum erant excommunicati, quia horum Judices non cenſebantur, ſed Epiſcopi, ſeu Metropolitanorum Suffraganei, ut conſtat ex capite *Venerabilibus*: in Sexto; Titulo *De Sententia Excommunicationis*. Secundò, Metropolitani ſupplere poterant Suffraganeorum Epiſcoporum defectum ac negligentiam in Collationibus, Inſtitutionibus, Electionibus, & Confirmationibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ut habetur in Capite *Licet*, lib. 1. Decretalium, tit. 10. *De ſupplenda negligentia Prælatorum*, quod eſt *Innocentii III.* Poterant etiam Metropolitani, ſi vacante aliquo Epiſcopatu, Capitulum adminiſtrationem ſpiritualem aut temporalem Diœceſeos negligeret, inſtituere, & delegare ad illam Cathedralem Eccleſiam vacantem aliquem Viſitatorem aut Adminiſtratorem, ſicut decrevit *Bonifacius VIII.* Pontifex Maximus, in Sexto, cap. *Eccleſiæ*, tit. *De ſupplenda negligentia Prælatorum*. Tertiò, Metropolitani Provincias ſuas viſitare tenebantur, quæ correctione indigebant, paſtorali ſollicitudine emendare, & Synodos Provinciales convocare, ut adhuc vigentia ſedulò tenerentur, retinerentur collabentia, prorsùs collapſa renovarentur, & ſacri ad inſtaurandam Eccleſiæ Diſciplinam ſanciti Canones, quos Summus Pontifex S. *Leo Magnus* Epiſtolâ 84. ait, *Spiritu Dei conditos, ac totius Orbis reverentia eſſe conſecratos*, executioni mandarentur, ſicque radicitùs evellerentur pravæ quædam inolitæ conſuetudines ac corruptelæ, quas Epiſcopi divinâ

vinâ ad regendam Eccleſiam auctoritate præditi, & in quorum firmitate unum eſt collabentis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ præſidium, tolerare ſine piaculo non poſſunt, ſed invaleſcentibus abuſibus vehementiùs reluctari, & ad Diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurandam diligenti curâ, ſtudio & contentione incumbere debent, quantùm tamen patitur Chriſtiana prudentia, quæ interdùm nonnullas labes, majoris mali vitandi causâ, nonnunquàm tolerari præcipit. Denique, Metropolitanis Jus aſſertum erat confirmandi Electiones Epiſcoporum, non ſecùs ac Metropolitanorum electiones confirmandi jus ad Romanum Pontificem ſpectabat.

Epiſcopi ab Eccleſiarum vacantium Capitulis Sæculis XIII. & XIV. eligebantur, nec in eas electiones ſeſe Principes Laici ingerere poterant, aut ſi in his ſuam aliquandò interponerent authoritatem, tunc hujuſmodi Electiones nullę ac irritæ cenſeri debebant, ſicut ſtatutum eſt in Concilio Generali Lateranenſi IV. Canone xxv. his verbis: *Si quis electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit contra Canonicam libertatem; & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione poſſit ad aliquam eligi dignitatem. Qui verò electionem hujuſmodi, quam ipſo jure irritam cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab Officiis & Beneficiis penitùs per triennium ſuſpendantur, eligendi tunc poteſtate privati.* Hanc ſacrarum Electionum libertatem S. *Ludovicus*, Galliarum Rex, Pragmaticâ Sanctione, quam promulgavit ann. MCCLXVIII. aſſeruit his verbis, quæ habentur Articulo ſecundo: *Eccleſiæ Cathedrales*, inquit, *& aliæ*

aliæ Regni noſtri, liberas electiones, & earum effectum integralitèr habeant. Et Art. 4. *Item promotiones, collationes, proviſiones & diſpoſitiones Prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & Officiorum Eccleſiaſticorum Regni noſtri, ſecundùm diſpoſitionem, ordinationem & determinationem juris communis, Sacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque Inſtitutorum Sanctorum antiquorum Patrum, fieri volumus & ordinamus*. Hujus Pragmaticæ Sanctionis à S. *Ludovico* Galliarum Rege editæ ſi pleniorem notitiam habere deſideres, legeſis *Franciſci Pinſſonii*, Biturici, Pariſienſis Advocati, eruditam lucubrationem, quâ illam hiſtoricâ Præfatione, & luculento Commentario illuſtravit. Translationes Epiſcoporum, ſolius Sedis Apoſtolicæ auctoritate,& ob Eccleſiæ commodum Sæculis XIII. & XIV. fieri poterant, ut docet *Innocentius III.* Cap.*Cum ex illo*: *De Translatione Epiſcopi*. At avaritiam levitatemque Sacerdotum,qui pravâ cupiditate ex alia in aliam volebant tranſilire Eccleſiam,graviſſimis Decretis coercuit Eccleſia, quia naturali lege prohibitum eſt, ut docet S. *Thomas* Quodlibeto 9. art. 15. ne quis in miniſterio capeſſendo aliud quam Eccleſiæ utilitatem & Chriſti gloriam intueatur: *Non ſua quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti*, inquit Apoſtolus, quâ voce omnem omninò à Sacri Miniſterii ſuſcipiendi propoſito terreni commodi conſectationem removet. Quòd ſi Eccleſiæ munera privatæ utilitatis gratiâ ſuſcipere non liceat, nihilò magis licitum cenſeri debet propter aliquod commodum jam ſuſcepta non inſtabili modò, ſed ſordido ac ſervili animo mittere, & ad alia tranſvolare, quia pinguiora ſunt.

ſunt. Epiſcoporum ceſſiones ſine cauſis Canonicis, & citrà Romani Pontificis authoritatem Sæculis XIII. & XIV. fieri non poterant. Sex autem cauſas cedendi Epiſcopatu *Innocentius III.* Pontifex Maximus recenſet Cap. *Niſi*: *De renunciatione*, cujus hæc ſunt verba: *Intueri te volumus, quod hæc ſunt illa, per quæ cedendi Epiſcopus licentiam poteſt poſtulare: conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grave ſcandalum, irregularitaſque perſonæ, ſed in his omnibus eſt obſervanda cautela.* Porrò, Epiſcopi, qui ſemel cedendi facultatem à Romano Pontifice poſtulaverant, ad cedendum poſteà compelli debebant, ſi fortè, eâ obtentâ, Epiſcopatum retinerent, ſicut ſtatuit idem Summus Pontifex his verbis: *Quidam cedendi licentiam cum inſtantia poſtulantes, ea obtenta, cedere prætermittunt. Sed cùm in poſtulatione hujuſmodi, aut Eccleſiarum commoda quibus præſunt, aut ſalutem videantur propriam attendiſſe (quorum neutrum ſuaſionibus aliquorum quærentium quæ ſua ſunt, ſeu etiam levitate qualibet volumus impediri) eos ad cedendum decernimus compellendos.* Epiſcopi, qui vel ſenio confecti, vel frequentibus, & quaſi perpetuis infirmitatibus conflictati, aut aliis graviſſimis cauſis impediti, paſtorali munere fungi haud poterant, ſibi laborum ſocium, ſeu Coadiutorem, accedente tamen Sedis Apoſtolicę conſenſu, adſciſcebant, ſicut decretum eſt ab *Innocentio III.* Cap. *Ex parte*: *De Clerico ægrotante*, his verbis: *cùm Arauſienſis Epiſcopus gravi, & incurabili morbo ferè per quadriennium laboraverit, ita quòd Paſtorale Officium non poteſt ullatenus exercere; Princeps terræ illius, ac cives civitatis ejuſdem à te poſtulant inceſſan-*

ter, ut ipſis (cum ſis Metropolitanus eorum) ſtudeas providere. Verùm, cùm ipſum ad ceſſionem compellere non poſſis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio ſit addenda, ſed potiùs miſeriæ miſerendum, eò quòd idem vir bonus extiterit, & Eccleſiam ſalubriter ſibi commiſſam gubernaverit: Nos volentes tam Epiſcopo, quàm Eccleſiæ providere, mandamus quatenùs illi Coadiutorem aſſocies virum providum & honeſtum, per quem tam Epiſcopo, quàm populo utiliter conſulatur. Hoc *Innocentii III.* Decretum de Coadiutoribus concedendis Epiſcopis, qui ſenio aut valetudine corporali gravati, vel etiam aliàs impediti perpetuò, ut Officium ſuum nequeant exercere, confirmavit *Bonifacius VIII.* in Decretali, *Paſtoralis*, in *Sexto*. Summa erat Epiſcoporum juriſdictio in cauſis Clericorum tam civilibus, quàm criminalibus. Clericos abſque titulo Beneficii aut Patrimonii Sæculis XIII. & XIV. ordinare Sacri Canones Epiſcopis prohibebant, & ſi quis Epiſcopus aliquem ſine certo Titulo, de quo neceſſaria vitæ percipere poſſet, in Diaconum vel Presbyterum ordinaſſet, tamdiù ei neceſſaria ad honeſtam vitæ ſuſtentationem ſuppeditare obſtringebatur, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia Militiæ Chriſtianæ fuiſſent aſſignata, niſi talis ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſet habere. Clericis Beneficia Eccleſiaſtica conferebant Epiſcopi, modò tamen idonei eſſent ſcientiâ, moribus & ætate; nam pueros ad Beneficia Eccleſiaſtica promovere nefas erat, ut colligitur ex Epiſtola *Innocentii III.* quæ extat libro xv. & eſt ordine ccxxxv. in qua inter alias cauſas, propter quas Epiſcopi Melfitani depoſitionem decernit,

hanc

hanc aſſignat, quòd prædictus Epiſcopus *nepotibus ſuis vagientibus in cunabulis, licèt ad plus vix valentibus balbutire, majores Præbendas tribuit, & Beneficii meliora: portantibus aliis pondus diei & æſtus, & iſtis, ubi non ſeminaverunt, metentibus plena manu*. Præbendæ Cathedralium Eccleſiarum interdùm à ſolis Epiſcopis, quandòque à ſolis Capitulis, nonnunquàm ab utriſque conjunctìm, ſecundùm varios Eccleſiarum mores conferebantur; ſuoque etiam jure Patroni Laici Clericos ad Beneficia præſentandi fruebantur. Indignis conferri Beneficia vetabant Canones, eaque dignioribus eſſe conferenda propugnabant Sęculi XIII. Doctores, quos inter cenſetur S. *Thomas*, Doctor Angelicus, qui Quodlibeto v. Quæſtione vi. Art. iii. hæc docet: *contingit quandòque*, inquit, *aliquem eſſe meliorem ſimpliciter, qui tamen non eſt melior quantùm ad hoc quod Beneficium percipiat: quia aliquis fortè poteſt Eccleſiam magis juvare, vel per conſilium ſapientiæ, vel quia ſervivit in Eccleſia. Non ergò Epiſcopus tenetur dare meliori ſimpliciter, ſed tenetur dare meliori quoad hoc. Non enim poteſt eſſe quod unum præferat alteri, niſi propter aliquam cauſam. Quæ ſi quidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ, jam quantùm ad hoc iſte eſt melior: Si autem illa cauſa ad hoc non pertineat, erit acceptio perſonarum, quæ tantò eſt gravior, quantò in rebus divinis committitur. Unde ſuper illud Jacobi Cap.* 1. *Tu ſede hìc benè &c.* dicit *Gloſſa Auguſtini: Si hanc diſtantiam ſedendi, & ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, non eſt putandú leve eſſe peccatum in acceptione perſonarum habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi divitem ad Sedem honoris Eccle-*

ſiæ, contempto paupere ſanctiore & inſtructiore. Hanc Doctrinam ſæpiùs in ſuis Operibus inculcat S. *Thomas*, præſertim, Secundâ Secundæ, Quæſt. LXIII. Art. II. & Quodlibeto VIII. Quæſt. IV. Art. I. Quid ergò, ut obiter dicam, ſentiiſſet Doctor ille Angelicus de his laxioris doctrinæ Theologis, qui non ſolùm aſſerebant, in collatione Beneficiorum minus dignos ſine peccato præponi poſſe dignioribus, ſed etiam docebant, licitum eſſe muneribus ac donis merè liberalibus allicere animum Epiſcopi ad impetrandum ab ipſo Beneficium, vel ad aſſequendum aliquod Beneficium offerre, & dare pecuniam tanquàm motivum, non tanquàm pretium. Nullus dubito, quin has & ſimiles opiniones ab avita Eccleſiæ Diſciplina penitùs abhorrentes, & viam ad Beneficiorum nundinationem exercendam aperientes totis ingenii ſui viribus confutaſſet, ac proſcripſiſſet Doctor Angelicus, ſicut eas noſtris temporibus Romani Pontifices, omneſque totius Orbis Chriſtiani Epiſcopi cenſuris inuſtas diris devoverunt. Sed redeamus ad Eccleſiæ Diſciplinam, quæ licèt Sæculis XIII. & XIV. ſępiùs Sacris Conciliorum Canonibus ſancita ac reſtaurata fuerit, tamen Sæculo XIV. præſertim tempore Schiſmatis, graviſſimam labem in Gallia, quæ *Clementem VII.* Avenione ſedentem pro legitimo Pontifice agnoſcebat, in collationibus Beneficiorum contraxit. Tunc enim per collationes titulo *Commendæ* factas Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum & Abbatiarum tàm Regularium, quàm Sæcularium, per Reſervationum, Gratiarum expectativarum, & Penſionum accumulationem, latiſſimum ad Polygamiam ſpiritualem, ſeu Beneficiorū pluralitatem, oſtium apertum eſt.

D. Mo-

D. Monaſticam, ſeu Regularem Diſciplinam Sæculis XIII. & XIV. reſtauratam fuiſſe, ac magnum indè ſuſcepiſſe incrementum, ex eo præſertim conjecturam facio, quòd multiplices in utroque ſæculo emerſerint Religioſorum Ordines, qui doctrinâ & ſanctitate Eccleſiam plurimùm illuſtrarunt, & etiamnùm præclaris meritis, atque Apoſtolicis laboribus illuſtrare pergunt. De his itaque Religioſis Ordinibus, de eorum in Eccleſiam promeritis, & de Regulari Diſciplina in illis præſcriptâ ſingillatim diſſerere debemus, ut Originem, ac Diſciplinam illorum Ordinum, quibus Eccleſia, ſicùt *Regina circumamicta varietatibus*, exornatur, exploratam habere poſſim.

M. Incipiam ab Inſtitutione Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem tamen, ne quis exiſtimet, me nimio aſſentandi palpandique ſtudio, à quo ſempèr vehementèr abhorrui, hìc laudandum ſuſcepiſſe; benè multa conſultò reticebo quæ hunc præclarum Ordinem de Eccleſia optimè meritum commendare poſſent. Prætermittam Sanctiſſimos Pontifices, doctiſſimos Cardinales, innumeros Archiepiſcopos & Epiſcopos doctrinâ & pietate inſignes, quos hic celeberrimus Ordo Eccleſiæ dedit. Miſſa faciam Elogia, quibus Romani Pontifices hunc Ordinem, ac plures ex ejus alumnis Sanctorum Faſtis ſolemni Eccleſiæ ritu adſcriptos ſæpiùs laudarunt, ac prædicarunt. Nihil dicam de peritia Theologorum ejuſdem Ordinis, de tot libris, quos ediderunt de rebus Theologicis, & de illorum in iiſdem tractandis eloquentiâ, ſolidâ eruditione, linguarum, maximè Græcæ & Hebraicæ, notitiâ. Nec referam librorum ſpiritua-

tualium, quos lucubrarunt, copiam ac præſtantiam, nec illuſtres Commentarios, quos in Sacram Scripturam adornarunt, nec Summas Morales, in quibus uberrimam ſanioris Theologiæ Moralis doctrinam ex limpidiſſimis Sanctorum Patrum fontibus, & ex Sacris Conciliorum Canonibus hauſtam tradiderunt. De Imperatorum, Regum, Principum ac Magnatum Confeſſariis, egregiiſque Concionatoribus, quos protulit hic clariſſimus Ordo, in præſentia ſilebo. Denique, alteri Scriptori, ſeu noſtro erudito *Jacobo Echardo*, qui propediem *Bibliothecam Scriptorum Ordinis Fratrum Prædicatorum* in lucem emiſſurus eſt, prædicanda relinquo ſingularia Fratrum Prædicatorum in Summos Pontifices, in Eccleſiam Catholicam, & in omnes Chriſtianos merita, quibus totum Orbem impleverunt, ſeu vocatione infinitarum Gentium ad fidem, & ad Ovile Chriſti, ſeu victoriis de Hæreſibus, Gentiliſmo, Impietate, improbitateque morum feliciter reportatis, ſeu inſtauratâ germanâ pietate, frequentiâ Sacramentorum, Oratione mentali, aliiſque piis inductis exercitationibus, ſeu validâ Sedis Apoſtolicæ contra protervos Schiſmaticos, Reges, Imperatores, denique adversùs Inferi portas defenſione. His, inquam, referendis omninò ſuperſedebo, & ea dumtaxàt, quæ ad exordium Ordinis Fratrum Prædicatorum ſpectant, & quorum notitia connexa eſt cum Hiſtoria Sæculorum XIII. & XIV. compendiosâ narratione perſtringam.

Ordo Fratrum Prædicatorum inſtitutus eſt à S. *Dominico* ex nobiliſſima Guſmanorum familia Calarogæ in Hiſpania nato ſub finem Sæculi XII. hoc

hoc eſt, anno MCLXX. Patrem habuit Sanctiſſimus ille Patriarcha *Felicem Guſmanum*, & matrem *Joannam de Aza*. Studia, æquè ac pietatem à teneris annis coluit *Dominicus*, & à *Didaco* Oxomenſi Epiſcopo inter Canonicos Regulares ejuſdem Eccleſiæ anno MCXCIV. adſcitus, Venerabilem illum Antiſtitem Romam pietatis ergò profectum,& deindè ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo ad Albigenſis Hæreſeos expugnationem, & Hæreticorum converſionem in Gallias miſſum comitatus eſt. Immenſos labores, quos eo in munere Apoſtolico exantlavit S. *Dominicus*, conſtantiam ejus ac zelum in exercendo ſibi demandato Sacræ Inquiſitionis Officio adversùs Hæreticos Albigenſes, qui viribus pollentes, & potentiorum favore ſuperbè elati, ſuos contumaciùs defendebant errores; inſignes denique victorias, quas *Simon Comes Monfortius*, Belli Sacri Dux, S. *Dominici* precibus atque conſiliis adjutus de Hæreticis Albigenſibus, multò licèt potentioribus, ſæpiùs reportavit, ſatis in ſuperioribus Colloquiis deſcripſimus. Unde, his prætermiſſis, ne tibi iteratis repetitionibus faſtidium creem, pauca dumtaxat memoriâ digna, quæ in evertenda Albigenſium Hæreſi geſſit S. *Dominicus*, hic referre non pigebit. In primis, occurrit inſigne illud miraculum, quo S. *Dominicus* Fidei Catholicæ veritatem confirmavit, quodque *Petrus de Valle Cernaij*, Ordinis Ciſtercienſis, Scriptor coævus, memorat capite 7. *Hiſtoriæ Albigenſium*,quam deſcripſit. Conſenſerunt quippè, teſte illo Scriptore, hæretici Albigenſes, ut Schedula, in qua S.*Dominicus* Fidem Catholicam ſcripſerat,in ignem projiceretur, ſed eâ lege, ut *ſi combureretur, vera*

eſſet fides, immò perfidia Hæreticorum; ſi verò incombuſta maneret, fidem, quam prædicabant noſtri, veram eſſe faterentur. Quid plura? Schedula in ignem projicitur, ſed cùm in medio igne aliquantulùm moram feciſſet, incombuſta penitùs ab igne reſilivit. Stupentibus qui aderant, unus cæteris durior ait illis: projiciatur in ignem iterùm, iterùm reſiliit incombuſta; quod videns ille durus & tardus ad credendum, dixit iterùm: Trina vice projiciatur, & tunc ſine dubio rei exitum cognoſcemus. Projicitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, ſed integra ab igne reſilit, & illæſa. Contra veritatem illius miraculi nihil effutire poſſunt hæretici noſtri temporis, cùm iſtud miraculum referatur ab Authore coætaneo, viro gravi & prudenti, quem veriſimile non eſt voluiſſe mentiri in re ipſis hæreticis notoria, à quibus illico mendacii coargui potuiſſet, quod ad Catholicæ Religionis dedecus & ignominiam non potuiſſet non cedere. Eo miraculo confusâ Hæreticorum turbâ, nonnulli, ejuratâ hæreſi, ad gremium Eccleſiæ Catholicæ redierunt, ſed novem præſertim nobiles mulieres, quas S. *Dominicus*, in Monaſterio, quod Toloſæ extrui curavit, ac *Prullianum* dicitur, incluſit, ut in eo tutiùs illæ viverent, ac remotis periculis, quibus inter hæreticos objiciebantur, ſanctè pièque inſtituerentur. Hoc fuit primum Cœnobium puellarum, quod condidit S. *Dominicus*, noſtrâ adhuc ætate in tota Gallia celeberrimum, ſacris Virginibus nobilitate ac ſanctitate illuſtribus omni tempore inſigne. Eadem pietate motus S. *Dominicus*, Virgines Deo ſacras Romæ in Monaſterio S. *Sixti* congregavit, & illud fuit ſecundum Virginum Deo ſacrarum Monaſterium, quod inſtituit San-

Sanctus ille Patriarcha; ex quo tamen translatis poſteà ob Cœli gravitatem Monialibus in Clivum, qui olim *Balnea Pauli*, nunc corrupto nomine vulgò *Magnanapoli* dicitur, aliud Cœnobium extructum eſt, quod ad hanc diem Romæ nobiliſſimum habetur, & in eo benè multæ puellæ, ex illuſtriſſimis Principum proſapiis oriundæ, virginitatem ſuam, ſpretis Mundi illecebris, Deo conſecrare ſummo ſibi honoris loco ducunt. His duobus inclytis Familiæ Dominicanæ Monialium Cœnobiis à S. *Dominico* excitatis tertium adjungere placet, ſeu *Poſſiacum*, quod in Galliis non multò poſt obitum S. *Dominici* Regiâ munificentiâ *Philippus Pulcher*, Galliarum Rex, extruxit & ornavit, quodque quàmplures Virgines ortæ ex Regia ſtirpe eximiâ pietate, & immortali gloriâ illuſtrarunt.

Sed revertamur ad ſeriem rerum, quas S. *Dominicus* ad profligandam graſſantem in partibus Toloſanis Albigenſium Hæreſim præclarè geſſit. Præter Sacræ Inquiſitionis munus, quod S. *Dominicus* invictâ conſtantiâ, atque infatigabili zelo in Hæreticos Albigenſes exercuit, Ordinem inſtituit *Militiæ Jeſu Chriſti*, eo potiſſimùm fine, ut hi, qui huic Ordini erant adſcripti, Hæreticos coercerent, Eccleſiæ jura, libertatem, immunitates & bona ab Hæreticorum furore & invaſione vindicarent ac ſtrenuè tuerentur. Verùm, mortuo S. Dominico, & exterminatis penitùs Hæreticis Albigenſibus, cùm ille Ordo haud ampliùs neceſſarius videretur, mutato nomine & Inſtituto, dictus eſt *Ordo Fratrum & Sororum de Pœnitentia S. Dominici*, à Summis Pontificibus haud paucis Privilegiis exornatus. Oppoſuit etiam *S. Dominicus* impietati Hæreti-

reticorum Albigenſium novam à ſe inſtitutam devotionem recitandi *Roſarium* B. Virginis Deiparæ, quam ſuis alumnis ita propriam eſſe voluit, ut ſapientiſſimus Doctor *Martinus Navarrus*, non dubitet aſſerere, Roſarium *Patrimonium eſſe Ordinis Dominicani*. Scio eſſe quoſdam, qui clàm muſſitare audent, Roſarii Inſtitutionem *S. Dominico* acceptam referri non debere, eo ſolo nomine, quòd *Theodoricus de Appoldia* in Vita *S. Dominici* ne minimum quidem verbum faciat de hac Roſarii Inſtitutione à *S. Dominico* factâ, & *Thomas Cantipratenſis* libro 2.cap.29. art.6.& 7. tres Salutationum Angelicarum quinquagenas à quibuſdam B.Mariæ Virgini devotis recitari ſolitas memoret, de Authore verò hujus devotionis penitùs ſileat. Eo, inquam, argumento petito ex utriuſque Authoris ſilentio moti quidam Critici, negant *S. Dominicum* eſſe Authorem Roſarii, ejuſque originem referunt aut ad *S. Benedictum*, aut ad *Venerabilem Bedam*, aut ad *Petrum* Eremitam, aut ad alios, quos ſibi pro arbitrio fingunt. Sed proclive eſt oſtendere, moroſos illos Criticos hallucinari. Et primò quidem argumentum, quo nituntur, merè negativum eſt, ac ſubindè, juxtà peritorum Criticorum Regulam, nullius momenti ac ponderis eſſe debet contra poſitiva diſertaque aliorum Scriptorum teſtimonia, contra avitam ac perpetuam traditionem, quæ à tempore *S.Dominici* ad noſtra uſque tempora in Ordine Fratrum Prædicatorum jugiter fuit conſervata; contra etiam Diplomata Romanorum Pontificum *Leonis X. Pii V.* & *Sixti V.* qui profitentur, *S. Dominicum* eſſe Authorem Roſarii. Præterea, Originem Roſarii nec ad *S. Benedictum*, nec ad

ad *Venerabilem Bedam* referri poſſe, patet evidentiſſimo argumento, quod mihi ſuppeditat doctiſſimus P. *Joannes Mabillonius* Præfatione in Sæculum V. Benedictinum, quod eſt Eccleſiæ decimum, ubi ex omnibus antiquis Statutis luculentiſſimè probat, Ævo *S. Benedicti*, aut *Venerabilis Bedæ*, necdùm Salutationis Angelicæ in precibus recitandæ uſum invaluiſſe, eumque Sæculo dumtaxat undecimo in Eccleſia frequentari cœpiſſe, ex quo palàm ſequitur, nec S. *Benedictum*, nec *Venerabilem Bedam* Roſarii Authores eſſe potuiſſe, cùm eorum ætate nondùm apud fideles eſſet in uſu recitatio Salutationis Angelicæ, quæ tamen, ut omnes planè norunt, præcipua pars Roſarii cenſetur. Non inficias tamen eo, obtinuiſſe apud nonnullos, etiam ante S. *Dominicum*, uſum recitandi certum Orationum Dominicarum, & Salutationum Angelicarum numerum, ſed contendo, hanc precandi formulam longè latèque diſcrepaſſe à Roſario, quod inſtituit S. *Dominicus*, quodque quinquaginta ſupra centum Salutationes Angelicas cum quindecim Orationibus Dominicis complectitur, adjunctâ quindecim præcipuorum humanę Redemptionis Myſteriorum piâ meditatione. Hanc precandi Deum in honorem Beatæ Virginis formulam, quæ *Roſarium* dicitur, fuiſſe ante S. *Dominicum* à Fidelibus in Eccleſia frequentatam, nunquam probare poterunt Critici. Hujus itaque pii *Roſarii* Inſtituti Author eſt S. *Dominicus*, qui illud juſſu B. Virginis Mariæ vulgavit, ut ejus illibatam puritatem tueretur adversùs Hæreticos Albigenſes, qui multa impia ſacrilego ore adversùs illam effutiebant: ut Catholicorum erga eam cultum augeret ac propagaret, ut denique divi-

divinorum Myſteriorum, quæ in Roſario percenſentur, contemplatione piorum corda in Dei amorem magis ac magis accenderet. Nec eum ſanè fefellit eventus. Incredibile quippè dictu eſt, quantâ univerſam Eccleſiam utilitate cumulaverit, & etiamnùm abundè ubique terrarum cumulet hæc pia Roſarii Sodalitas, in quam Imperatores, Reges ac Principes, omneſque certatim adſcribi geſtiunt, & ad Beatæ Mariæ Virginis patrocinium corde contrito confugientes, tam in ſuis, quàm in publicis emergentibus Eccleſiæ neceſſitatibus per devotam Roſarii recitationem votorum compotes fiunt.

D. Quandònam, & quo fine S. *Dominicus* ſuum inſtituit Ordinem?

M. Dùm S. *Dominicus* in debellanda Albigenſium hæreſi plurimùm laboraret, & in partibus Toloſanis veſtigia relinqueret eximiæ ſuæ pietatis non preſſa levitèr ad exigui prædicationem temporis, ſed omnium ſermone celebrata, & ad immortalitatem gloriæ conſecrata; voluit firmiſſimam adversùs hæreſes erigere Arcem, & perpetuo Eccleſiam adversùs omnes fidei hoſtes munire præſidio. Quocircà fundamenta jecit Ordinis Prædicatorum, quem *Baronius* appellat *illuſtre Sanctorum Seminarium*, idque vir ille immortalitate dignus reipſa erat demonſtraturus, ſi Eccleſiaſticos abſolviſſet Annales, quos ad annum dumtaxat milleſimum centeſimum nonageſimum octavum perduxit, morte præventus. Ordinem Fratrum Prædicatorum à S. *Dominico* Inſtitutum confirmavit *Honorius III.* Pontifex Maximus apud S. *Sabinam* XI. Kalendas Januarii anni MCCXVI. cum poſſeſſionibus,

nibus, Parochialibus Eccleſiis, & Decimis; & in Bulla Confirmationis idem Summus Pontifex appellat Ordinem Fratrum Prædicatorum *Ordinem Canonicum*, ſeu Canonicorum Regularium: *In primis ſtatuentes* (inquit Honorius III.) *ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini Regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur*. Nullam aliam Regulam ſuis præſcripſit S. *Dominicus* præter Regulam S. *Auguſtini*, quam ipſe, ut Canonicus Regularis, profitebatur. Ad divinas laudes in Choro decantandas, ad prædicandum verbum Dei, & ad alia in Eccleſia obeunda munia, quæ Canonicis Regularibus conveniunt; Fratres ſuos obſtrinxit Sanctiſſimus ille Patriarcha, eisque Conſtitutiones, ad quarum normam vitam exigerent, tradidit, quarum præcipua Capita ab Ordine Præmonſtratenſium, qui veri ſunt Canonici Regulares, accepit, perpetuam videlicet à carnibus abſtinentiam, niſi morbi neceſſitate, continuum ab Exaltatione Sanctæ Crucis ad Paſcha jejunium, lineis induſiis ad carnem non uti &c. Poſt inſtitutum Ordinem S. *Dominicus*, ejusque Fratres veſtem lineam, ſeu, ut vocant, *Superpelliceum*, aliquandiù geſtarunt; & quamvis poſteà, ſeu anno MCCXVIII. annuente Romano Pontifice *Honorio III.* Veſtem Religioſam, quam nunc deferunt Fratres Prædicatores, *Reginaldo* Aurelianenſi Decano Viro religioſiſſimo præmonſtratam induerit S. *Dominicus*, eamque Fratribus tribuerit, inde tamen nec ipſe, nec ejus Fratres deſierunt eſſe Canonici Regulares, quia, ut obſervavimus in Colloquio ſexto in Hiſtoriam Sæculi duodecimi, Religioſi Præmonſtratenſes ſunt veri

Ca-

Canonici Regulares, etſi non deferant veſtem lineam, ſed ſolùm cappam, quam itidem geſtant Fratres Prædicatores cum hoc ſolo diſcrimine, quòd Cappa Præmonſtratenſium alba ſit, Prædicatorum verò nigra. Nec etiam Inſtitutum Canonicorum Regularium dimiſiſſe cenſendus eſt S. *Dominicus*, dùm in Comitiis Ordinis Generalibus Bononiæ celebratis anno MCCXX. omnes poſſeſſiones abdicavit, ſeque ac ſuos Fratres ad arctiorem paupertatem, ſeu *Mendicantium*, ut ajunt, adſtrinxit, immò potiùs Inſtitutum Canonicorum Regularium ad majorem perfectionem provexit. Cùm enim Canonici Regulares ex ſuo Inſtituto ſolemni paupertatis voto ſint obſtricti, & eò perfectius ſit votum paupertatis, quò arctior eſt paupertas, non eſt dubium quin S. *Dominicus* Ordini Canonicorum Regularium, quem profitebatur, majorem perfectionem conciliarit, dum ſe, Fratresque ſuos arctiori paupertati, ſeu Mendicantium, addixit. Hinc in officio S. *Dominici*, quod recitant Fratres Prædicatores, de Sancto illo Patriarcha dicitur: *Sub Auguſtini Regula mente profecit ſedula, Tandem Virum Canonicum auget in Apoſtolicum*. Sanè nemo negare poteſt, S. *Cajetanum* inſtituiſſe Ordinem Clericorum Regularium, & tamen conſtat, illum ſuis Religioſis injunxiſſe, ut abdicatâ rerum omnium ſollicitudine, nec redditus poſſiderent, nec vitæ ſubſidia à fidelibus peterent, ſed ſolis eleemoſynis ſpontè oblatis viverent. Quæ paupertas, ut fatentur omnes, arctior eſt paupertate, quam profitentur Religioſi Ordinum Mendicantium, & tamen non derogat ſtatui Clericorum Regularium, ſed potiùs illum perficit. Simi-

militèr. Patres Societatis *Jeſu* ſunt veri Clerici Regulares, quamvis omnibus Juribus & Privilegiis à Summis Pontificibus conceſſis Ordinibus Mendicantium fruantur, ipſique Officia Religioſorum Mendicantium, Eleemoſynas videlicet à fidelibus petendo, palàm exercere non dedignentur. Quidni igitur dicere ipſe poſſim cum doctiſſimo P. *Joanne Mabillonio* in ſuo ſecundo Scripto, quod Galli *Factum* vocant, Fratres Prædicatores veros eſſe Canonicos Regulares, etiamſi S. *Dominicus*, eorum Inſtitutor, ac Canonicus Regularis, eos ad arctiorem paupertatem, ſeu Religioſorum Mendicantium, adſtrictos eſſe voluerit? Cum Ordine Fratrum Prædicatorum cœpit Sanctæ Inquiſitionis Officium, quod *Honorius III.* Pontifex Maximus, primùm S. *Dominico*, & Fratribus Prædicatoribus præcipuè demandavit ad Hæreſes exterminandas, quo Officio etiamnùm variis in locis funguntur. Cœpit etiam cum Ordine Fratrum Prædicatorum Magiſterium Sacri Palatii Apoſtolici, quod primus exercuit S. *Dominicus*, qui Romæ exiſtens, cùm animadverteret, quotidiè occupatis cum Summo Pontifice Cardinalibus, eorum miniſtros in aula nugis tempus terere, vehementer indoluit, monuitque Pontificem *Honorium III.* turpe, & damnoſum eſſe tempus à tanta multitudine in ludos ac res vaniſſimas abſumi, ſibique utile futurum videri, ſi, dùm Cardinales cum eo negotiis Eccleſiæ vacarent, quiſpiam doctus illos pietatis ac fidei rudimentis imbueret. Annuit lubentiſſimè Romanus Pontifex, illudque munus demandavit S. *Dominico*, quod alacritèr aggreſſus, Epiſtolas S. *Pauli* publicè in Palatio Apoſtolico interpretari cœpit, inde-

indèque hoc perhonorificum munus alicui Religioſo Ordinis Fratrum Prædicatorum ad noſtra uſque tempora collatum eſt, & quotquot S. *Dominico*, qui primùm hoc loco & nomine donatus eſt, perpetuâ nec interruptâ ſerie filii ſucceſſerunt, Parentis cum munere fidem in Sedem Pontificiam exceperunt, nullus eorum ab officio amotus eſt, ſed omnes Magiſterio immortui ſunt, præter eos, qui ſibi indè gradum ad altiora fecerunt. Hic autem debes obitèr obſervare, Sanctum *Dominicum*, contemptis Philoſophorum figmentis, totum ſe dediſſe lectioni Scripturæ Sacræ, & ad illius ſtudium ſæpiùs Fratres ſuos fuiſſe adhortatum, ſicut teſtatur *Theodoricus de Appoldia* in ejus Vita libro IV. cap. IV. his verbis: *Et quia ſine Sanctarum notitia Scripturarum perfectus Prædicator nemo eſſe poteſt, hortabatur Fratres S. Dominicus fidelitèr, ut ſemper in Novi & Veteris Teſtamenti lectione eſſent, atque ipſe quoque Evangelium ſecundùm Matthæum, & Pauli Epiſtolas apud ſe ferens, multùm in eis lectitabat, ut propemodùm memoria retineret. Evangelium enim & Apoſtolicam doctrinam & vitam amans & amplectens, Philoſophica figmenta non magni faciebat.* Author erat etiam S. *Dominicus* ſuis Fratribus, teſte *Flaminio* in ejus Vita, ut Veterum Patrum Opera aſſiduè verſarent, ab eis illibatam doctrinam haurirent, atque ab eorum documentis ne tranſverſum quidem digitum deſciſcerent. Noverat quippè Sanctiſſimus ille Patriarcha, Catholicam Religionem ſanâ, ſolidâque Sanctorum Patrum doctrinâ, ſeu ſacrâ anchora niti, & ex ea, velut ex munitiſſimo armamentario, tela depromi, quibus confodiantur Hæreſes.

Poſt

Poſt obitum S. *Dominici*, qui incidit in diem VI. menſis Auguſti anni MCCXXI. ejuſq; Canonizationem ſolemni Eccleſiæ ritu peractam à *Greg.IX.* Pont.Max. III.Idus Julii an. MCCXXXIV. ſanctiſſimas Leges ac Conſtitutiones condiderunt Comitia Generalia Ordinis FF.Prædicat. quas Romani Pontifices approbarunt, quos inter *Clemens VIII.* aſſerere non dubitavit, ad Religioſum ex Dominicana Familia in Sanctorum numerum ſolemni ritu referendum, ſibi loco omnium miraculorum fore exactam ſuarum Conſtit. obſervantiam. Adeò huic Summo Pontifici ſancta videbatur Diſciplina, quæ præſcripta eſt in Ord. Prædicat. Eâ Sanctiſſimâ Diſciplinâ imbuti Dominicani ſuaviſſimum omnium virtutum odorem Sæc.XIII.& XIV.longè, lateq; diffuderunt, errantes veritatem docuerunt, diſſiparunt carnales affectus, peccatores ad pœnitentiam & pietatem pellexerunt, atque Fidem Catholicam defendendi ardentiſſimo zelo accenſi, adverſus Hæreticos in Conciliis Gen. quæ his temporibus celebrata fuere, acerrimè diſputarunt. In Concil.ſiquidem Later.IV. ſub *Innocentio III.* habito anno MCCXV. S. *Dominicus* in Palentina Academia Magiſterio donatus,& omnigenâ litteraturâ inſtructus, *Almarici* errores profligavit. In Concilio Lugdunenſi primo ſub *Innocentio IV.* anno MCCXLV. celebrato, *Hugo* Cardinalis, Ordinis Prædicatorum, jura Summorum Pontificum magno animi æſtu tuitus eſt contra *Friderici II.* Imperatoris tyrannidem,& ejus Cancellarii *Petri à Vineis* Capuani, quantùm illa Sæcula ferebant, Viri eloquentis libros. In Concil.Lugd.II. quod *Gregorius X.* convocavit anno MCCLXXIV. præter S. *Thomam Aquinatem*, qui, dum eò perge-

 ret,

ret, ad Deum in itinere migravit, interfuere tres Cardinales, triginta Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum aſſumpti, & ingens ac valida Theologorum turma, ſub Magiſtro Generali *Joanne Vercellenſi*, qui eodem anno Lugduni Comitia Generalia celebrabat. Hos inter Dominicanos eminebant *Petrus à Tarentaſia*, tum Cardinalis, poſteà Pontifex Maximus creatus nomine *Innocentius V.* & *Albertus-Magnus*, quo potiſſimum Duce victi fuerunt in hoc Lugdunenſi II. Græci Schiſmatici, & abdicatis erroribus atque Schiſmate, Romano Pontifici ſeſe ſubjecerunt. Tandem in Concilio Generali Viennenſi, quod *Clemens V.* Pontifex Maximus anno MCCCXI. habuit, Beguardorum, & Beguinarum errores ab *Eymerico*, & *Berengario*, Familiæ Dominicanæ Theologis, confutati ſunt. Sic Dominicani in Conciliis Generalibus, quæ Sæculis XIII. & XIV. coacta fuerunt, edomandis Hæreſibus toti incubuerunt, illudque ingenitum in Hæreticos odium, quod à Patre ſuo hauſerunt, perpetuâ ſerie ad poſteros tranſmiſerunt. Sed longiùs me argumentum hoc abriperet, niſi in materia copioſiſſima mihi temperarem. Vela itaque contraho, nec plura dicam ad commendationem Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui, ut omnes probè norunt, Roſario, Magiſterio Sacri Palatii Apoſtolici, Sanctæ Inquiſitionis officio, & Sanctiſſimi *Thomæ Aquinatis* doctrinâ, veluti quatuor fluviis, univerſam ambit, irrigat, ac fœcundat Eccleſiam.

D. Prodieruntne eodem Sæculo decimo tertio Ordines Fratrum Minorum, Carmelitarum, & Eremitarum *S. Auguſtini*?

M. Certum eſt, Ordinem Fratrum Minorum

rum Sæculo decimo tertio fuiſſe inſtitutum à Sancto *Franciſco*, qui Aſſiſii in Italia ex *Bernardone*, profeſſione Mercatore, natus eſt anno MCLXXXII. Vir fuit tam auſteræ paupertatis, ut audito Evangelio de omnibus relinquendis, paternis bonis omnibus renunciaverit, & anno MCCVIII. ſibi duodecim ſocios adſciverit, quibus vivendi normam arctiori paupertatis profeſſione inſignem præſcripſit, in Lateranenſi IV. Synodo Generali ab *Innocentio III.* atque iterùm ab *Honorio III.* confirmatam. Eo Ordine, ut nullus pauperior, ita & fœcundior fuit. Nam, teſte *Matthæo Pariſio* in Hiſtoria Anglicana ad annum MCCXXVII. Fratres Minores ſtatim ab exordio ſui Ordinis *terram repleverunt, habitantes in urbibus, & civitatibus deni, & ſepteni, nihil omninò poſſidentes, de Evangelio viventes, in victu & veſtitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt*. Præter Ordinem Fratrum Minorum, duos alios S. *Franciſcus* inſtituit. Secundum nempè, Monialium, quas, Duce S. *Clara* Virgine Aſſiſinate, congregavit in Eccleſia S. *Damiani*, unde *Clariſſæ*, & *Damianæ*, ſeu *Daminianiſticæ* dictæ, quæ primæ Ordinis aſperitati ſtrictiùs inhæſerunt, & ab aliis diſcrepant Monialibus, quæ *Urbaniſticæ* appellantur, & quæ mitigationem Regulæ ab *Urbano V.* factam ſequuntur, & prædia poſſident. Tertium denique Ordinem, ſeu *Pœnitentium*, inſtituit S. *Franciſcus*, qui complectitur non ſolùm in Clauſtris degentes Cœnobitas, qui & tertiæ Sancti *Franciſci* Regulæ adhærent, ſed etiam laicos viros & fœminas, qui domi ſuæ juxtà ejuſdem Regulæ præſcriptum vivunt. De S. *Franciſco*, & ejus Or-

dine, præter S. *Bonaventuram*, qui Vitam Sancti illius Patriarchæ accuratiſſimè ſcripſit, legendi ſunt Annales *Wadinghi*, qui de initio, & propagatione illius Ordinis, necnon de Viris, qui ſanctitate, dignitate & doctrina hunc Ordinem illuſtrarunt, longo latoque calamo differit. Hìc dumtaxat ex *Wadingho* in Annalibus Minorum ad annum MCCXLIV. breviter obſervabo, poſt Sancti *Franciſci* obitum, qui contigit IV. Nonas Octobris anni MCCXXVI. *Heliam*, qui ſecundus à B. *Franciſco* Miniſtri Generalis Ordinis Minorum munus excepit, fuiſſe Sanctiſſimo Patriarchæ diſſimilem, & invexiſſe in Ordinem inſatiabilem cupiditatem ædificandi loca ſumptuoſa, procurandi legata pia, & effrænem libidinem bona temporalia poſſidendi, adeò ut Sanctiſſimum illud Inſtitutum funditùs evertiſſet, niſi Sancti *Antonius*, & *Bonaventura* ruentem Ordinem validè ſuſtinuiſſent. Verùm hanc *Heliæ* Miniſtri Generalis, & aliquorum Ordinis Minorum licentiam, cæterorum ejuſdem Ordinis pietas atque obſervantia longè ſuperavit, firmo videlicet permanente Oraculo, quo dicitur Chriſtus S. *Franciſco* promiſiſſe, nunquam defuturos in ipſius Religione Viros, qui doctrinæ vitæq; exemplo aliis in Eccleſia tempore quantumlibet caliginoſo prælucerent. Ordinis Minorum plures nunc ſunt familiæ, de quibus ſuo loco dicemus. Numeroſiſſima eſt *Obſervantium*, qui & *Cordigeri* dicuntur, quòd funiculo cingantur. Eorum alii *Conventuales* majoris ſeu laxioris, alii minoris, ideſt, arctioris obſervantiæ, vocantur. Illis immobilia in communi poſſidere permiſſum, aliis vetitum eſt.

De

De Origine & Antiquitate Ordinis Carmelitarum non una omnium eſt ſententia. Carmelitæ quippè ad *Eliam*, & *Elizeum* Veteris Teſtamenti Prophetas, & Montis Carmeli incolas, ſuam originem referunt. *Sixtus Quartus*, *Sixtus Quintus*. *Pius Quintus*, *L. Andreſ.* Societatis Jeſu, aliique non Carmelitæ, & magnæ notæ Doctores, idem aſſerunt. Ipſe verò ſecutus conſilium Apoſt. c. 3. Epiſt. ad *Titum* dicentis: *Genealogias, & contentiones & pugnas devita, ſunt enim inutiles & vanæ*; vel, ut ait idem Apoſtolus 2. ad *Timotheum* capite tertio: *Sciens quia generant lites*; conſultiùs eſſe duco, de Carmelitarum Origine penitùs in præſentia ſilere, & ea tantummodo hic referre, quæ de Carmelitarum Ordine comperta habemus, atque à nemine in dubium revocantur. In primis, fatentur omnes, Beatum *Albertum*, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam ab anno MCCIV. uſque ad annum MCCXIV. rexit, dediſſe Montis Carmeli Eremitis Regulam breviſſimam præſcribentem divini Officii & Orationis quotidianæ penſum, conſtructionem Oratorii in medio cellularum, ubi manè per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia convenirent, perpetuam ab eſu carnium abſtinentiam, jejunium à Feſto S. Crucis ad Paſcha; ſolitudinem, fugam otii, Prioris electionem, &c. Hæc Regula, quam B. *Albertus* Patriarcha dedit Eremitis Montis Carmeli, fuit confirmata ab *Honorio III.* Pontifice Maximo anno MCCXXVI. eamque poſtea *Hugo à S. Charo* Tituli S. *Sabinæ* Presbyter Cardinalis ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, & *Willelmus*, Anteradenſis Epiſcopus, auctoritate ab *Innocentio IV.* ſibi commiſsâ, declararunt, correxerunt, mitigarunt: quam declarationem, correctionem,

& mitigationem ipſe Pontifex confirmavit, Diplomate dato Lugduni Kalendis Septembris anni MCCXLVIII. ſicut refert *Caſtillus* primâ parte ſuæ Hiſtoriæ, libro 2. capite 25. Præterea, conſtat *Honorium IV.* Pontificem Maximum, anno MCCLXXXV. dediſſe Carmelitis pallium album, mutatis videlicet, ut ait *Spondanus* ad annum MCCLXXXV. Num. XX. eorum chlamydibus, quæ ex albo panno latis faſciis pullis ſive canuſinis intertextis variatæ erant. Quàm mutationem Bonifacius VIII. confirmavit anno primo Pontificatus ſui. Denique, Religioſi Carmelitani cultum B. *Mariæ Virginis*, cujus ſe *Fratres de Monte Carmelo* appellant, longè latèque in Occidente propagarunt per piam Sodalitatem Mariani Scapularis, cui *Clemens X.* Diplomate, quod incipit: *Commiſſa nobis*, dato die VIII. menſis Maij anni MDCLXXIII. plures Indulgentias conceſſit. Teſtatur *Henricus Spondanus* ad an. MCCLIV. num. XII. *Simoni Stocho*, Anglo, Priori Generali Ordinis Carmelitarum (qui Burdegalæ in Gallia an. MCCL. mortuus eſt, ut habet hujus Vrbis Chronicon, & quem uti Sanctum Ordo colit) primùm Beatiſſimam Virginem manifeſtè apparuiſſe, & ſacrum Scapulare contuliſſe. S. *Ludovicus*, Galliarum Rex, dùm Sacrum Bellum in Palæſtina gereret, amiſsâ libertate, deleto peſte & Barbarorum armis exercitu, magno pretio redemptus, in Gallias rediit, non Palæſtinæ palmas, non Orientis pretioſos uniones, non gazam Regum ſecum deportans, ſed horum omnium loco ſecum deduxit antiquos Carmeli Incolas, ut teſtatur *Petrus Matthæus* in Vita S. *Ludovici*, ex quibus, ut cætera taceam bona, quæ jam Eccleſiæ obvenerunt, una prodiit *Thereſia*, ad quam S. *Ludovicus Bertrandus* Ord. Præd. Epiſtolam ſcri-

pſit

pſit, quâ ei denunciavit, Sacrum Ordinem, quem ibat inſtauratum, intra quinquaginta annos futurum in Eccleſia omnium virtutum & laudum genere florentiſſimum, ſicut opportuniùs oſtendemus in Colloquio VI. in Hiſtoriam Sæculi XVI. Plura in laudem Ordinis Carmelitarum legeſis apud *Trithemium* in libro de Ortu & progreſſu Carmelitarum, *Lezanam* in Annalibus Carmeliticis, *Aubertum Miræum* in libro de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, *Philippum à ſancta Trinitate* in decore Carmeli Religioſi, & in Hiſtoria Carmelitici Ordinis, & alios.

Haud minùs obſcura eſt Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* Origo, quam alii accerſunt à temporibus S. *Auguſtini*, quem hujus Ordinis Inſtitutorem eſſe volunt; & hos abſque ullo veritatis præjudicio in ſuo ſenſu abundare permittimus. Alii, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCLVI. aſſerunt, *Alexandrum IV.* Pontificem Maximum, S. *Auguſtini* monita ſibi per quietem apparentis, multas Congregationes *Eremitarum* diverſis Regulis, titulis & veſtibus viventes, ad tollendam omnem confuſionem in unam Ordinis & Regulæ S. *Auguſtini* obſervantiam, in uniformem vivendi ac veſtiendi modum redegiſſe, atque huic Ordini præfeciſſe primum PrioremGeneralem *Lanfrancum Septalanum* Mediolanenſem. Quinque autem erant Eremitarum Congregationes, ex quibus coaluit hic Ordo Eremitarum S. *Auguſtini*. Prima dicebatur Congregatio Eremitarum S. *Auguſtini*, qui nullum Generalem habebant, ſed parebant Epiſcopis. Altera erat Eremitarum Congregatio Budrioli in Cæſenate Diœceſi inſtituta à B. *Joanne Bono*, & hæc à propriis Generalibus regebatur.

 Ter-

Tertia appellabatur Congregatio *Eremitarum de Brictinis*, quibus *Gregorius IX.* Regulam *S. Auguſtini* tradidit. Quarta vocabatur Congregatio Eremitarum S. *Guillelmi*, quæ tam latè propagata eſt, ut in duas fuerit diviſa, quarum primæ caput fuit Monaſterium in *Stabulo Rhodis*, quo in loco Vir Sanctus obierat; alterius verò Eremitarum S. *Guillelmi* Congregationis caput erat Monaſterium *De Fabali Monte*, quæ Congregatio proprio Generali parebat ſub Regula Sancti *Benedicti*. Porrò, non abs re erit hic obſervare, Sanctum *Guillelmum*, iſtorum Eremitarum Inſtitutorem, perperàm à nonnullis confundi cum *Guillelmo IX.* Aquitaniæ & Pictonum Duce, cùm tamen ab eo fuerit omninò diverſus. *Guillelmus* ſiquidem Aquitaniæ & Pictonum Dux mortuus eſt in ſua peregrinatione ad S. *Jacobum*, quam anno MCXXXVII. pœnitentiâ motus ſuſceperat, teſte *Orderico* libro XIII. Hiſtoriæ. *Guillelmus* verò Eremitarum Inſtitutor, conſilio *Eugenii* Papæ *III.* Hieroſolymam profectus eſt, & cœleſti voce monitus venit in Tuſciam, ubi ſanctè vixit, & obiit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, ut teſtatur *Albertus* ejus diſcipulus, qui Vitam S. *Guillelmi* Eremitæ cognomento *Magni* ſcripſit. Ejus mentio habetur in Martyrologio Romano ad diem X. menſis Februarii his verbis: *In Stabulo Rhodis* (quod nomen ejus Monaſterii fuit) *in territorio Senenſi Sancti Guillelmi Eremitæ*. Ad eamdem diem X. menſis Februarii *Henſchenius* Vitam Sancti Guillelmi Magni Eremitæ deſcripſit. Legendus etiam eſt *Joannes Beſlius* in Hiſtoria Comitum Pictavienſium, & Ducum Aquitaniæ parte 2. ubi integrum Tractatum habet de mendaciis, falſitatibus, & anachroniſmis inſperſis

Ope-

Operi *Joannis Haii*, qui Sæculo præterito Commentarium Hiſtoricum edidit, in quo falſam illam opinionem, quæ duos illos *Guillelmos* in unum confundit, pluribus exponit ac propugnat. Hæc obitèr obſervanda eſſe duxi, ut certam haberes notitiam harum Congregationum Eremitarum, ex quibus formatus eſt Ordo Eremitarum *S. Auguſtini*, qui Ordo adeò celebris evaſit, ut *Joannes XXII.* ei tria in Romana Curia Officia, quæ conjunxerat, conceſſerit, videlicet munus cuſtodiendi Sacrarii Pontificii, Bibliothecæ Pontificiæ, & Confeſſionis Pontificis pro tempore exiſtentis audiendæ, ſicut teſtatur *Pamphilus* Signinus Epiſcopus in Chronico Auguſtiniano ad annum MCCCXIX. ſed de Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* propagatione, Sanctis & Illuſtribus Viris plura legeſis apud *Jordanum de Saxonia* in Vitis Fratrum.

D. Perge, quæſo, aliorum Religioſorum Ordinum, qui Sæculis XIII. & XIV. originem habuerunt, referre Inſtitutionem?

M. Prætermitto Ordinem, qui Sæculo XIII. in Provincia Tarraconenſi inſtitutus eſt, dictuſque *Pauperum Catholicorum*, qui, rebus omnibus abdicatis, pauperem vitam profeſſi, & conſilia Evangelica amplexi, jejuniis & orationibus, lectioni, exhortationi, ac diſputationibus adversùs Hæreticos ſeſe conſecrarunt. Hic quippè Ordo, licèt ab *Innocentio III.* anno MCCXV. approbatus, diù tamen non ſtetit. Prætermitto etiam Ordinem *Humiliatorum*, quem ſub Regula S. *Benedicti* anno MCC. confirmavit *Innocentius III.* eumque poſteà abolevit *Pius V.* propter inſidias B. *Carolo Borromeo* paratas anno MDLXX. Miſſis itaque his jam antiquatis Ordinibus, illos dumtaxàt hìc referam,

qui

qui adhuc perſtant, & Eccleſiam doctrinâ ac pietate illuſtrant. Omnium antiquiſſimus eſt *Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum*, qui inſtitutus eſt à S. *Joanne de Matha* in Gallo-Provincia nato, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, atque à Sancto *Felice* Anachoreta Valleſiano, in loco Diœceſis Meldenſis, qui *Cervus Frigidus* dicitur, ubi adhuc Ordinis Caput, licet apud Maturinenſes Lutetiæ ut plurimùm degat Miniſter Generalis, qui ſemper Gallus eſſe debet, & cujus electio ad ſolos Gallos, & inter eos ad ſolos quatuor hujus Ordinis Provinciarum, Franciæ videlicèt, Campaniæ, Picardiæ, & Normanniæ Miniſtros pertinet. Hic Ordo, qui captivos Chriſtianos ab Infidelium ſervitute liberandi præcipuam curam habet, confirmatus fuit ab *Innocentio III.* anno MCXCVIII. Pontificatus ſui primo, ſicut obſervavimus in ſecundo Colloquio. S. *Joannes de Matha*, hujus Ordinis Conditor Romæ obiit die XXI. menſis Decembris anni MCCXIII. & in Eccleſia S. *Thomæ de Formis* ſepultus eſt.

Ordo *Vallis Scholarium* inſtitutus eſt à *Guillelmo* Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore,& aliquot aliis ejuſdem Academiæ Magiſtris, quibus ſeſe adjunxerunt XXXVII. Scholaſtici, qui ſub Regula S. *Auguſtini* Deo militare decreverunt ac voverunt in Valle, quam ipſis *Guillelmus Joinvillæus* Lingonenſis Epiſcopus aſſignavit, quæ indè nuncupata eſt *Vallis Scholarium*, & hoc nomen etiam adhæſit Ordini, qui confirmatus eſt ab *Honorio III.* anno MCCXVIII. Huic Ordini *Vallis Scholarium* coævus fuit alius Ordo in Diœceſi paritèr Lingonenſi inſtitutus à quodam *Viardo* ſub diſtrictiori Ciſtercienſium Inſtituto, cujus auſteriorem obſervantiam

tiam deſcribit, & commendat *Jacobus de Vitriaco* Cap. XVII. *Hiſtoriæ Occidentalis*.

Congregationem *Silveſtrinorum* inchoavit anno MCCXXXI. in Monte Fano, non longè à Fabriano, inſigni Piceni oppido, B. *Silveſter Guzolinus* Canonicus Auximas, ac deinde Eremita, qui famâ ſanctitatis cùm multos Diſcipulos allexiſſet, eis Religioſum Vitæ Inſtitutum ſub Regula S. *Benedicti* præſcripſit, abiitque è vivis nonagenarius anno MCCLXVII. Ejus Vitam ſcripſit *Andreas Jacobi*, ejuſdem *Silveſtrinorum* Congregationis poſt ipſum quartus Abbas Generalis, quam apud *Surium* Tomo VI. poſterioris editionis ad diem XXVI. menſis Novembris legere eſt. Hanc *Silveſtrinorum* Congregationem confirmavit *Innocentius IV.* Diplomate dato quinto Kalendas Julii ann. MCCXLVII. quod incipit his verbis: *Religioſam Vitam &c.*

Ordo Sanctæ *Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum* à Maurorum & Saracenorum ſervitute, monente Dei-parâ, Sancto *Petro Nolaſco*, natione Gallo, S. *Raymundo Pennafortio*, Ordinis Prædicatorum, & *Jacobo I.* Aragonum Regi conſpicuam ſe præbente, inſtitutus eſt Barcinone die X. menſis Auguſti anni MCCXXIII. ſub Regula Sancti *Auguſtini*, & certis Conſtitutionibus à S. *Raymundo Pennafortio* præſcriptis, ut teſtatur *Clemens VIII.* in Bulla Canonizationis Sancti *Raymundi* his verbis: *Quare hi* (ſcilicet Jacobus Aragoniæ Rex, & Raymundus) *collatis inter ſe conſiliis & conſentientibus animis, Ordinem B. Mariæ de Miſericordia, ſeu de Mercede Redemptionis captivorum fundaverunt, cui Beatus Raymundus certas vivendi leges præſcripſit ad iſtius Ordinis vocationem accommodatiſſimas*. Hunc Ordinem Authoritate Pon-

Pontificiâ approbavit *Gregorius IX.* ann. MCCXXXV. Sanctus verò *Petrus Nolaſcus*, qui unà cum S. *Raymundo Pennafortio* iſtius Ordinis Inſtitutor fuit, obiit die XXIX. menſis Januarii anni circitèr MCCL. ejuſque vitam ex libro *Franciſci Zumel*, ejuſdem Ordinis, *De Vitis Patrum & Magiſtrorum Generalium*, deſcripſit ac publicavit *Bollandus* inter Acta Sanctorum menſis Januarii ad diem XXIX.

Ordini *Servorum B. Mariæ* Virginis initium dederunt anno MCCXXXIII. ſeptem Viri nobiles Florentini, qui Regulam S. *Auguſtini* cum nigra veſte ab Archiepiſcopo acceperunt. Sanctus etiam *Petrus* Veronenſis, qui poſtea Fratrum Prædicatorum Ordinem, & Eccleſiam ſuo Martyrio illuſtravit, pro Servorum Beatæ Virginis clariſſimo Ordine egregiam navavit operam, & diligentiſſimè examinatis ac recognitis hujus Ordinis Religioſorum moribus ac regulis, de optima hujus Religionis inſtitutione certiorem fecit *Innocentiū IV.* qui hunc Ordinem approbavit. Hinc Officium S. *Petri* Martyris habet Ordo Servorum B. Virginis ſub ritu duplici in Conſtitutionibus ab immemorabili tempore celebrandum, eidemque S. *Petro* Martyri ac Fratrum Prædicatorum Ordini Religio Servorum B. Virginis ſummè ſe obſtrictam profitetur, quâ de re videri poſſunt Annales Servorum Centuriâ primâ, libro ſecundo, capite quarto. Inter Generales hujus Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis cenſetur S. *Philippus Benitius*, qui obiit die XXII. menſis Auguſti an. MCCLXXXV. quo die ejus memoria in Eccleſia colitur.

Cœleſtinorum Congregatio erecta eſt à *Petro de Morone*, qui propè Sulmonem Eremiticam vitam profeſſus, ac poſteà Summus Pontifex creatus,

Cœle-

Cæleſtinus V. dictus eſt, indeque huic Congregationi *Cæleſtinorum* inditum nomen. Cœpit hoc Inſtitutum in Magellana Apuliæ Eremo, multis ob famam *Petri* ſanctitatis eò confluentibus, extructâque Eccleſiâ & Monaſterio ſub nomine *Spiritus Sancti* circà annum MCCLXX. Confirmata eſt hæc *Cæleſtinorum* Congregatio, & ampliſſimis Privilegiis donata à *Cæleſtino V.* Pontifice Maximo, qui poſt quintum menſem, Pontificatu abdicato, priſtinæ vitæ normæ retinendę cupidus, ad hanc Congregationem, à qua ægrè divulſus fuerat, rediit. Sequuntur *Cæleſtini* Regulam S. *Benedicti*. Sub eadem S. Benedicti Regula Congregatio S. *Mariæ Montis Oliveti* anno MCCCXIII. inſtituta eſt à Beato *Bernardo Ptolomæo* nobili Senenſi, qui Juris primùm Profeſſor, poſt uſum oculorum invocatione B. *Mariæ* Virginis receptum, in Montem ejus nominis, in Aretina Diœceſi ſeceſſit, aſperam vivendi rationem amplexus. Sed, inſtigante Diabolo, novitatis nomine Avenione apud *Joannem XXII.* accuſatus, ab eodem Pontifice de ejus vivendi ratione ac Inſtituto certiore facto, abſolutus eſt, ſuæque Congregationis confirmationem à *Clemente VI.* Pontifice Maximo anno MCCCXLIV. obtinuit, ac tandem, ſæviente per Etruriam, immò, per totã Italiam, peſtilentiâ, dùm Fratribus ſuis, quorum magna pars hac graſſante peſtilenti lue icta erat, ſolatium auxiliumque ſummâ charitate incenſus afferre adnititur, lethifero ipſe morbo correptus ac brevi confectus ad vitam migravit immortalem XI. Kalend. Septembris anni MCCCXLVIII.

Eremitæ Sancti Pauli Budæ in Hungaria, ex Inſtituto nimirùm S. *Pauli* primi Anachoretæ, Authore

thore B. *Euſebio* Strigonenſi Archiepiſcopo, cœperunt cirà annum MCCXV. Sed eorum Ordinem anno dumtaxat MCCCXXVIII. confirmavit, multiſque auxit Privilegiis *Joannes XXII.* adductus precibus *Caroli* Hungariæ Regis, ut videre eſt in ejus Diplomate eâ de re dato Avenione anno MCCCXXVIII. quod *Odoricus Raynaldus* refert ad hunc annum num. LXXXIII.

Sancta *Brigida*, vel *Birgitta*, Daniæ Regis filia, *Vlphonis* Neritiæ in Svecia Principis Vidua, Religioſum Ordinem S. *Salvatoris* circa ann. MCCCLXIII. inſtituit apud Waſtenam in Svecia, ſub Regula S. *Auguſtini*, additis novis ſanctionibus, Chriſto, ut ferunt, dictante. Veſte & Chlamyde griſei coloris tam Viri, quàm Moniales illius Ordinis induuntur, Cruce rubeâ chlamydi intertextâ, cum albo circulo in medio. Hunc habitum Monachalem non ſumpſit B. *Birgitta*, ſed Ordinis ſui confirmationem anno MCCCLXX. impetravit ab *Urbano V.* Pontifice Maximo. Obiit Sancta illa Vidua, Peregrinationibus, revelationibus, & miraculis clara, Romæ x. Kalend. Auguſti anni MCCCLXXIII. eamque primùm Romani Pontifices *Bonifacius IX.* & *Joannes XXIII.* in Sanctarum numerum retulerunt. Sed ne iſta Canonizatio facta ab his duobus Pontificibus, quos, tempore Schiſmatis, univerſa non agnoſcebat Eccleſia, vacillaret, ad removendum omnem ſcrupulum, *Martinus V.* Pontifex Maximus factam à laudatis Pontificibus S. *Birgittæ* Apotheoſim, ſeu Canonizationem, ultimò ſanxit ac confirmavit Conſtitutione datâ Florentiæ Kalendis Julii anni MCCCCXIX.

Hieronymiani, ſive Monachi S. *Hieronymi*, Auctore

ctore *Petro Fernando* Hiſpano, ejuſque Socio *Petro* Romano, B. Auguſtini Regulam amplexi, Inſtituti ſui approbationem à *Gregorio XI.* circà annum MCCCLXXIV. obtinuerunt. Hujus Ordinis caput eſt Lupiana, vulgò Fanum Beatæ Virginis *de Guadalupe* in Diœceſi Toletana. Teſtatur *Philippus Brietius* Societatis Jeſu in Annalibus ad annum MCCCLXXIII. hos Religioſos Hieronymianos nunc *in Hiſpania magni nominis eſſe, & Sancti Laurentii Eſcurialis inquilinos & cuſtodes, atque Bibliothecarios.* Alii Eremitæ Sancti *Hieronymi* à Beato *Petro Gambacurta* nobili Piſano fuerunt inſtituti ſub annum MCCCLXXX. qui nullis initio votis adſtricti, victum ſibi manibus quærebant, & ſublevandis pauperibus incumbebant. At S. *Pii V.* Pontificis Maximi authoritate Vota ſolemnia amplexi, litteris & concionibus operam dare cœperunt.

Denique, Ordinem S. *Ambroſii* dudùm inſtitutum, ſed abſque certa Regula à Sede Apoſtolica approbatâ, confirmavit *Gregorius XI.* ſub Regula S. Auguſtini, cum poteſtate recitandi Ambroſianum Officium, Priorem eligendi, Verbum Dei prædicandi, Confeſſiones audiendi, & mortuos ſepeliendi, ſicut legitur in ejus Diplomate dato Avenione 3. Kalend. Decembis anni MCCCLXXV. quod extat Tomo 1. Bullarii Romani pag. 289. Caput hujus Ordinis eſt Monaſterium Mediolanenſe S. *Ambroſii ad Nemus.*

Conſultò prætermiſi Ordinem *Jeſuatorum*, ſic appellatum, quòd Sanctiſſimum nomen *Jeſu* frequenter in ore haberent; quia licèt hic Ordo à B. *Joanne Columbano* Senis in Etruria fuerit inſtitutus,

tus, & ab *Vrbano V.* ſub Regula S. *Auguſtini* anno MCCCLXVII. confirmatus; attamen poſteà extinctus eſt à *Clemente IX.* Diplomate dato die IV. menſis Decembris anni MDCLXVIII.

D. Hi ſunt igitur omnes Ordines, qui Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti?

M. Præter iſtos Ordines Religioſos, quos hactenùs percenſui, alii Equeſtres Ordines Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti, quorum primus circà annum MCCXXXII. conditus à F. *Bartholomæo*, patriâ Vicentino, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicitur *Ordo Equitum S. Mariæ Glorioſæ*, fuitq; confirmatus ab *Vrbano IV.* Conſtitutione datâ Viterbii Kalend. Januarii an. MCCLXI. Horum Equitum, qui Regulam S. *Auguſtini* profitebantur, erat Viduarum, & pupillorum ſuſcipere patrocinium, pacem & concordiam inter homines pro viribus promovere ac fovere, præſertim in his Italiæ civitatibus, quæ cruentis Gibellinorum & Guelphorum Factionibus, ac inteſtinis odiis, belliſq; conflagrabant. Tunicâ albâ, & ſubcinericiâ togâ induti, Crucem purpuream in campo albo, duabus ſupra poſitis ſtellis, præferebant, & vulgò *Fratres Gaudentes* appellabantur, quòd nullis Religionis ſolemnibus votis addicti, in ædibus ſuis cum uxoribus & liberis vitam agerent. Eodem Sæculo XIII. hoc eſt, anno MCCLIV. *Alexander IV.* Pontifex Maximus, Ordinem *Fratrum & Militum Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani* ſub Regula S. *Auguſtini* confirmavit, eumque Privilegiis auxit *Clemens IV.* Alios duos Equeſtres Ordines Sæculo XIV. approbavit *Joannes XXII.* unum videlicet in Aragonia, dictum *Ordinem Monteſiæ* ab urbe Regni Aragonii, in qua

qua hujus Ordinis Sedes præcipua conſtituta eſt. Obſtringebantur novi iſtius Ordinis Milites, qui veſte candidâ cum rubra Cruce erant inſigniti, Ciſtercienſium Leges ſub proprio Magiſtro ſervare, & Valentinum Regnum à Maurorum incurſibus tueri. Hunc Militarem Ordinem, rogante Aragonio Rege, confirmavit *Joannes XXII.* anno MCCCXVII. & poſt biennium idem Pontifex alteram approbavit Sacram Militiam in Luſitania inſtitutam, dictamque *Militiam*, ſeu *Ordinem Chriſti*. Hæc nova Militia in Luſitaniæ Regno ad propulſandos Mauros ac Saracenos conſtituta eſt, Cruce rubrâ, lineâ candidâ interſecante diſtincta, cujus Sedes principalis Caſtrum Marinum Silvenſis in Algarbiis Diœceſis, unde poſteà Tomarium hujus Ordinis Milites migrarunt, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCXVII. Num. 3. De utroque illo Militari Ordine, videlicèt *Monteſiæ*, & *Chriſti*, legendus etiam eſt Joannes *Mariana* Soc. *Jeſu* libro XV. *Rerum Hiſpanicarum* cap. XV. Mitto Ordinem Militarem *Equitum Navalium*, ſeu *de Nave* dictorum quem *Carolus Dirrachinus*, Rex Siciliæ, ut rem maritimam, quâ multùm indigebat, in Regno ſuo promoveret, anno MCCCLXXXII. inſtituit, cujus ipſe Princeps eſſe voluit, electo in protectorem Ordinis S. *Nicolao* Epiſcopo Mirenſi, erectoque in ejus memoriam Templo, ut refert idem *Spondanus* ad annum MCCCLXXXII. Num. 3. Mitto etiam Ordinem *Periſcelidis*, ſeu *de la Jarretiere*, quem *Eduardus VI.* Angliæ Rex, ſuo in Regno circà annum MCCCL. inſtituit cum hac Gallica Inſcriptione: *Hony Soit qui mal y penſe*, occaſione, ut vulgò dicitur, ortâ ex Periſcelide defluenti Comitiſſę Sa-

riſberienſis, quam Rex deperibat, & quam ei cum publica amoris ſignificatione reddidit, in cujus rei memoriam Rex hunc Equeſtrem, ſed non Militarem, *Periſcelidis* Ordinem inſtituit, qui etiamnùm in Anglia magno in honore habetur. Mitto denique alium Equeſtrem, ſed non Militarem Ordinem *Stellæ* dictum, quem *Joannes*, Galliarum Rex, anno MCCCLI. inſtituit in memoriam illius Syderis, quod Magos ab Oriente ad Chriſtum recens natum adorandum perduxit. Equites hujus Ordinis deferebant ſignum Stellæ torqui aureo appenſum, necnon veſtis conſpicuo loco Phrygio opere adtextum cum hoc Symbolo: *Monſtrant Regibus Aſtra viam*, ſed diuturnus non fuit hujus Ordinis ſplendor, quia ob multitudinem gregariorum, qui, ferventibus bellis, in illum admiſſi ſunt, adeò viluit, ut *Carolus V.* Galliarum Rex, *Joannis* filius, illum Excubiarum Præfecto, ejuſque Satellitibus dimiſerit.

D. In referendis Religioſis Ordinibus, qui Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti, cumulatiſſimè mihi feciſti ſatis. Sed quid Sacri Canones circà Monaſticam Diſciplinam in his duobus Sæculis præcipuè ſtatuerint, mox neceſſe eſt, ut paucis verbis attingas.

M. Nimius profectò forem, ſi ſingula, quæ Sæculis XIII. & XIV. circà Monaſticam Diſciplinam Sacris Canonibus ſancita ſunt, perſequi vellem. Rem totam igitùr paucis abſolvam. In primis, pretium pro ingreſſu Monaſterii, ſeu pro receptione ad Religioſam Profeſſionem exigere ſimoniæ damnant Canones Conciliorum, quæ Sæculis XIII. & XIV. fuerunt celebrata. Si tamen Mona-

Monaſterium tenue eſſet, poterat abſque ſimoniæ labe aliquid accipere pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio recipiebatur. Ita docet S. *Thomas*, qui Sæculo XIII. floruit, & Diſciplinæ Monaſticæ illius temporis teſtis lucupletiſſimus eſſe debet. Sic autem loquitur Angelicus ille Doctor in 4. Sent. Diſtinct.25. Quæſt.2. Art.2. ad 7. *Dicendum, quòd cùm poſſeſſiones alicujus loci Religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo, qui in loco illo vult ſervire Deo, non quaſi pretium Religionis, ſed ut habeat Monaſterium undè ei poſſit provideri, & ideò non committitur ſimonia*. Et in ſua Summa Theologica Secundâ Secundæ Quæſt. 100. Art. 3. in Reſponſione ad tertiam Objectionem, hæc habet: *pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium. Licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiunt Monaſterii opes*. Parentes filios ſuos minorennes, ut conſtat exemplo S. *Thomæ Aquinatis*, Vitæ Monaſticæ Sæculis XIII.& XIV. quandòque devovebant, ſed tamen ad ſæculum redire poterant, niſi anno ætatis decimo quinto Parentum Oblationem confirmarent, ſicut expreſsè definivit *Innocentius III.* in Epiſtola CXVI. libri XV. ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum datâ, ubi ait: *Cautum reperitur in Canone, ut minoris ætatis filii, qui oblati Monaſterio fuerint, ſuſcipientes habitum vel Tonſuram, ſi à Prælatis ſuis anno quintodecimo requiſiti, ſe in aſſumptæ Religionis propoſito conſenſerint permanſuros, pænitendi licentia præcludatur, alioquin eis non adima-*

qui adhuc perſtant, & Eccleſiam doctrinâ ac pietate illuſtrant. Omnium antiquiſſimus eſt *Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum*, qui inſtitutus eſt à S. *Joanne de Matha* in Gallo-Provincia nato, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, atque à Sancto *Felice* Anachoreta Valleſiano, in loco Diœceſis Meldenſis, qui *Cervus Frigidus* dicitur, ubi adhuc Ordinis Caput, licet apud Maturinenſes Lutetiæ ut plurimùm degat Miniſter Generalis, qui ſemper Gallus eſſe debet, & cujus electio ad ſolos Gallos, & inter eos ad ſolos quatuor hujus Ordinis Provinciarum, Franciæ videlicet, Campaniæ, Picardiæ, & Normanniæ Miniſtros pertinet. Hic Ordo, qui captivos Chriſtianos ab Infidelium ſervitute liberandi præcipuam curam habet, confirmatus fuit ab *Innocentio III.* anno MCXCVIII. Pontificatus ſui primo, ſicut obſervavimus in ſecundo Colloquio. S. *Joannes de Matha*, hujus Ordinis Conditor Romæ obiit die XXI. menſis Decembris anni MCCXIII. & in Eccleſia S. *Thomæ de Formis* ſepultus eſt.

Ordo *Vallis Scholarium* inſtitutus eſt à *Guillelmo* Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & aliquot aliis ejuſdem Academiæ Magiſtris, quibus ſeſe adjunxerunt XXXVII. Scholaſtici, qui ſub Regula S. *Auguſtini* Deo militare decreverunt ac voverunt in Valle, quam ipſis *Guillelmus Joinvillæus* Lingonenſis Epiſcopus aſſignavit, quæ indè nuncupata eſt *Vallis Scholarium*, & hoc nomen etiam adhæſit Ordini, qui confirmatus eſt ab *Honorio III.* anno MCCXVIII. Huic Ordini *Vallis Scholarium* coævus fuit alius Ordo in Diœceſi pariter Lingonenſi inſtitutus à quodam *Viardo* ſub diſtrictiori Ciſtercienſium Inſtituto, cujus auſteriorem obſervantiam

tiam deſcribit, & commendat *Jacobus de Vitriaco* Cap. XVII. *Hiſtoriæ Occidentalis*.

Congregationem *Silveſtrinorum* inchoavit anno MCCXXXI. in Monte Fano, non longè à Fabriano, inſigni Piceni oppido, B. *Silveſter Guzolinus* Canonicus Auximas, ac deinde Eremita, qui famâ ſanctitatis cùm multos Diſcipulos allexiſſet, eis Religioſum Vitæ Inſtitutum ſub Regula S. *Benedicti* præſcripſit, abiitque è vivis nonagenarius anno MCCLXVII. Ejus Vitam ſcripſit *Andreas Jacobi*, ejuſdem *Silveſtrinorum* Congregationis poſt ipſum quartus Abbas Generalis, quam apud *Surium* Tomo VI. poſterioris editionis ad diem XXVI. menſis Novembris legere eſt. Hanc *Silveſtrinorum* Congregationem confirmavit *Innocentius IV*. Diplomate dato quinto Kalendas Julii ann. MCCXLVII. quod incipit his verbis: *Religioſam Vitam &c.*

Ordo Sanctæ *Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum* à Maurorum & Saracenorum ſervitute, monente Dei-parâ, Sancto *Petro Nolaſco*, natione Gallo, S. *Raymundo Pennafortio*, Ordinis Prædicatorum, & *Jacobo I.* Aragonum Regi conſpicuam ſe præbente, inſtitutus eſt Barcinone die X. menſis Auguſti anni MCCXXIII. ſub Regula Sancti *Auguſtini*, & certis Conſtitutionibus à S. *Raymundo Pennafortio* præſcriptis, ut teſtatur *Clemens VIII.* in Bulla Canonizationis Sancti *Raymundi* his verbis: *Quare hi* (ſcilicet Jacobus Aragoniæ Rex, & Raymundus) *collatis inter ſe conſiliis & conſentientibus animis, Ordinem B. Mariæ de Miſericordia, ſeu de Mercede Redemptionis captivorum fundaverunt, cui Beatus Raymundus certas vivendi leges præſcripſit ad iſtius Ordinis vocationem accommodatiſſimas*. Hunc Ordinem Authoritate

Pon-

Pontificiâ approbavit *Gregorius IX.* ann. MCCXXXV. Sanctus verò *Petrus Nolaſcus*, qui unà cum S. *Raymundo Pennafortio* iſtius Ordinis Inſtitutor fuit, obiit die XXIX. menſis Januarii anni circitèr MCCL. ejuſque vitam ex libro *Francisci Zumel*, ejuſdem Ordinis, *De Vitis Patrum & Magiſtrorum Generalium*, deſcripſit ac publicavit *Bollandus* inter Acta Sanctorum menſis Januarii ad diem XXIX.

Ordini *Servorum B. Mariæ* Virginis initium dederunt anno MCCXXXIII. ſeptem Viri nobiles Florentini, qui Regulam S. *Auguſtini* cum nigra veſte ab Archiepiſcopo acceperunt. Sanctus etiam *Petrus* Veronenſis, qui poſtea Fratrum Prædicatorum Ordinem, & Eccleſiam ſuo Martyrio illuſtravit, pro Servorum Beatæ Virginis clariſſimo Ordine egregiam navavit operam, & diligentiſſimè examinatis ac recognitis hujus Ordinis Religioſorum moribus ac regulis, de optima hujus Religionis inſtitutione certiorem fecit *Innocentiū IV.* qui hunc Ordinem approbavit. Hinc Officium S. *Petri* Martyris habet Ordo Servorum B. Virginis ſub ritu duplici in Conſtitutionibus ab immemorabili tempore celebrandum, eidemque S. *Petro* Martyri ac Fratrum Prædicatorum Ordini Religio Servorum B. Virginis ſummè ſe obſtrictam profitetur, quâ de re videri poſſunt Annales Servorum Centuriâ primâ, libro ſecundo, capite quarto. Inter Generales hujus Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis cenſetur S. *Philippus Benitius*, qui obiit die XXII. menſis Auguſti an. MCCLXXXV. quo die ejus memoria in Eccleſia colitur.

Cæleſtinorum Congregatio erecta eſt à *Petro de Morone*, qui propè Sulmonem Eremiticam vitam profeſſus, ac poſteà Summus Pontifex creatus,

Cæle-

Cæleſtinus V. dictus eſt, indeque huic Congregationi *Cæleſtinorum* inditum nomen. Cœpit hoc Inſtitutum in Magellana Apuliæ Eremo, multis ob famam *Petri* ſanctitatis eò confluentibus, extructâque Eccleſiâ & Monaſterio ſub nomine *Spiritus Sancti* circà annum MCCLXX. Confirmata eſt hæc *Cæleſtinorum* Congregatio, & ampliſſimis Privilegiis donata à *Cæleſtino V.* Pontifice Maximo, qui poſt quintum menſem, Pontificatu abdicato, priſtinæ vitæ normæ retinendę cupidus, ad hanc Congregationem, à qua ægrè divulſus fuerat, rediit. Sequuntur *Cæleſtini* Regulam S. *Benedicti*. Sub eadem S. Benedicti Regula Congregatio S. *Mariæ Montis Oliveti* anno MCCCXIII. inſtituta eſt à Beato *Bernardo Ptolomæo* nobili Senenſi; qui Juris primùm Profeſſor, poſt uſum oculorum invocatione B. *Mariæ* Virginis receptum, in Montem ejus nominis, in Aretina Diœceſi ſeceſſit, aſperam vivendi rationem amplexus. Sed, inſtigante Diabolo, novitatis nomine Avenione apud *Joannem XXII.* accuſatus, ab eodem Pontifice de ejus vivendi ratione ac Inſtituto certiore facto, abſolutus eſt, ſuæque Congregationis confirmationem à *Clemente VI.* Pontifice Maximo anno MCCCXLIV. obtinuit, ac tandem, ſæviente per Etruriam, immò, per totã Italiam, peſtilentiâ, dùm Fratribus ſuis, quorum magna pars hac graſſante peſtilenti lue icta erat, ſolatium auxiliumque ſummâ charitate incenſus afferre adnititur, lethifero ipſe morbo correptus ac brevi confectus ad vitam migravit immortalem XI. Kalend. Septembris anni MCCCXLVIII.

Eremitæ Sancti Pauli Budæ in Hungaria, ex Inſtituto nimirùm S. *Pauli* primi Anachoretæ, Authore

thore B. *Euſebio* Strigonenſi Archiepiſcopo, cœperunt cirà annum MCCXV. Sed eorum Ordinem anno dumtaxat MCCCXXVIII. confirmavit, multiſque auxit Privilegiis *Joannes XXII.* adductus precibus *Caroli* Hungariæ Regis, ut videre eſt in ejus Diplomate eâ de re dato Avenione anno MCCCXXVIII. quod *Odoricus Raynaldus* refert ad hunc annum num. LXXXIII.

Sancta *Brigida*, vel *Birgitta*, Daniæ Regis filia, *Ulphonis* Neritiæ in Svecia Principis Vidua, Religioſum Ordinem S. *Salvatoris* circa ann. MCCCLXIII. inſtituit apud Waſtenam in Svecia, ſub Regula S. *Auguſtini*, additis novis ſanctionibus, Chriſto, ut ferunt, dictante. Veſte & Chlamyde griſei coloris tam Viri, quàm Moniales illius Ordinis induuntur, Cruce rubeâ chlamydi intertextâ, cum albo circulo in medio. Hunc habitum Monachalem non ſumpſit B. *Birgitta*, ſed Ordinis ſui confirmationem anno MCCCLXX. impetravit ab *Urbano V.* Pontifice Maximo. Obiit Sancta illa Vidua, Peregrinationibus, revelationibus, & miraculis clara, Romæ X. Kalend. Auguſti anni MCCCLXXIII. eamque primùm Romani Pontifices *Bonifacius IX.* & *Joannes XXIII.* in Sanctarum numerum retulerunt. Sed ne iſta Canonizatio facta ab his duobus Pontificibus, quos, tempore Schiſmatis, univerſa non agnoſcebat Eccleſia, vacillaret, ad removendum omnem ſcrupulum, *Martinus V.* Pontifex Maximus factam à laudatis Pontificibus S. *Birgittæ* Apotheoſim, ſeu Canonizationem, ultimò ſanxit ac confirmavit Conſtitutione datâ Florentiæ Kalendis Julii anni MCCCCXIX.

Hieronymiani, ſive Monachi S. *Hieronymi*, Au-

ctore *Petro Fernando* Hiſpano, ejuſque Socio *Petro* Romano, B. Auguſtini Regulam amplexi, Inſtituti ſui approbationem à *Gregorio XI.* circa annum MCCCLXXIV. obtinuerunt. Hujus Ordinis caput eſt Lupiana, vulgò Fanum Beatæ Virginis *de Guadalupe* in Diœceſi Toletana. Teſtatur *Philippus Brietius* Societatis Jeſu in Annalibus ad annum MCCCLXXIII. hos Religioſos Hieronymianos nunc *in Hiſpania magni nominis eſſe, & Sancti Laurentii Eſcurialis inquilinos & cuſtodes, atque Bibliothecarios*. Alii Eremitæ Sancti *Hieronymi* à Beato *Petro Gambacurta* nobili Piſano fuerunt inſtituti ſub annum MCCCLXXX. qui nullis initio votis adſtricti, victum ſibi manibus quærebant, & ſublevandis pauperibus incumbebant. At S. *Pii V.* Pontificis Maximi authoritate Vota ſolemnia amplexi, litteris & concionibus operam dare cœperunt.

Denique, Ordinem S. *Ambroſii* dudùm inſtitutum, ſed abſque certa Regula à Sede Apoſtolica approbatâ, confirmavit *Gregorius XI.* ſub Regula S. Auguſtini, cum poteſtate recitandi Ambroſianum Officium, Priorem eligendi, Verbum Dei prædicandi, Confeſſiones audiendi, & mortuos ſepeliendi, ſicut legitur in ejus Diplomate dato Avenione 3. Kalend. Decembis anni MCCCLXXV. quod extat Tomo 1. Bullarii Romani pag. 289. Caput hujus Ordinis eſt Monaſterium Mediolanenſe S. *Ambroſii ad Nemus*.

Conſultò prætermiſi Ordinem *Jeſuatorum*, ſic appellatum, quòd Sanctiſſimum nomen *Jeſu* frequenter in ore haberent; quia licèt hic Ordo à B. *Joanne Columbano* Senis in Etruria fuerit inſtitutus,

tus, & ab *Vrbano V.* ſub Regula S. *Auguſtini* anno MCCCLXVII. confirmatus; attamen poſteà extinctus eſt à *Clemente IX.* Diplomate dato die IV. menſis Decembris anni MDCLXVIII.

D. Hi ſunt igitur omnes Ordines, qui Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti?

M. Præter iſtos Ordines Religioſos, quos hactenùs percenſui, alii Equeſtres Ordines Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti, quorum primus circà annum MCCXXXII. conditus à F. *Bartholomæo*, patriâ Vicentino, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicitur *Ordo Equitum S. Mariæ Glorioſæ*, fuitq; confirmatus ab *Vrbano IV.* Conſtitutione datâ Viterbii Kalend. Januarii an. MCCLXI. Horum Equitum, qui Regulam S. *Auguſtini* profitebantur, erat Viduarum, & pupillorum ſuſcipere patrocinium, pacem & concordiam inter homines pro viribus promovere ac fovere, pręſertim in his Italiæ civitatibus, quæ cruentis Gibellinorum & Guelphorum Factionibus, ac inteſtinis odiis, belliſq; conflagrabant. Tunicâ albâ, & ſubcinericiâ togâ induti, Crucem purpuream in campo albo, duabus ſupra poſitis ſtellis, præferebant, & vulgò *Fratres Gaudentes* appellabantur, quòd nullis Religionis ſolemnibus votis addicti, in ædibus ſuis cum uxoribus & liberis vitam agerent. Eodem Sæculo XIII. hoc eſt, anno MCCLIV. *Alexander IV.* Pontifex Maximus, Ordinem *Fratrum & Militum Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani* ſub Regula S. *Auguſtini* confirmavit, eumque Privilegiis auxit *Clemens IV.* Alios duos Equeſtres Ordines Sæculo XIV. approbavit *Joannes XXII.* unum videlicet in Aragonia, dictum *Ordinem Monteſiæ* ab urbe Regni Aragonii, in

qua

qua hujus Ordinis Sedes præcipua conſtituta eſt. Obſtringebantur novi iſtius Ordinis Milites, qui veſte candidâ cum rubra Cruce erant inſigniti, Ciſtercienſium Leges ſub proprio Magiſtro ſervare, & Valentinum Regnum à Maurorum incurſibus tueri. Hunc Militarem Ordinem, rogante Aragonio Rege, confirmavit *Joannes XXII.* anno MCCCXVII. & poſt biennium idem Pontifex alteram approbavit Sacram Militiam in Luſitania inſtitutam, dictamque *Militiam*, ſeu *Ordinem Chriſti*. Hæc nova Militia in Luſitaniæ Regno ad propulſandos Mauros ac Saracenos conſtituta eſt, Cruce rubrâ, lineâ candidâ interſecante diſtincta, cujus Sedes principalis Caſtrum Marinum Silvenſis in Algarbiis Diœceſis, unde poſteà Tomarium hujus Ordinis Milites migrarunt, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCXVII. Num.3. De utroque illo Militari Ordine, videlicèt *Monteſiæ*, & *Chriſti*, legendus etiam eſt *Joannes Mariana* Soc. *Jeſu* libro XV. *Rerum Hiſpanicarum* cap. XV. Mitto Ordinem Militarem *Equitum Navalium*, ſeu *de Nave* dictorum quem *Carolus Dirrachinus*, Rex Siciliæ, ut rem maritimam, quâ multùm indigebat, in Regno ſuo promoveret, anno MCCCLXXXII. inſtituit, cujus ipſe Princeps eſſe voluit, electo in protectorem Ordinis S. *Nicolao* Epiſcopo Mirenſi, erectoque in ejus memoriam Templo, ut refert idem *Spondanus* ad annum MCCCLXXXII. Num.3. Mitto etiam Ordinem *Periſcelidis*, ſeu *de la Jarretiere*, quem *Eduardus VI.* Angliæ Rex, ſuo in Regno circà annum MCCCL. inſtituit cum hac Gallica Inſcriptione: *Hony Soit qui mal y penſe*, occaſione, ut vulgò dicitur, ortâ ex Periſcelide defluenti Comitiſſę Sa-

riſberienſis, quam Rex deperibat, & quam ei cum publica amoris ſignificatione reddidit, in cujus rei memoriam Rex hunc Equeſtrem, ſed non Militarem, *Periſcelidis* Ordinem inſtituit, qui etiamnùm in Anglia magno in honore habetur. Mitto denique alium Equeſtrem, ſed non Militarem Ordinem *Stellæ* dictum, quem *Joannes*, Galliarum Rex, anno MCCCLI. inſtituit in memoriam illius Syderis, quod Magos ab Oriente ad Chriſtum recens natum adorandum perduxit. Equites hujus Ordinis deferebant ſignum Stellæ torqui aureo appenſum, necnon veſtis conſpicuo loco Phrygio opere adtextum cum hoc Symbolo: *Monſtrant Regibus Aſtra viam*, ſed diuturnus non fuit hujus Ordinis ſplendor, quia ob multitudinem gregariorum, qui, ferventibus bellis, in illum admiſſi ſunt, adeò viluit, ut *Carolus V.* Galliarum Rex, *Joannis* filius, illum Excubiarum Præfecto, ejuſque Satellitibus dimiſerit.

D. In referendis Religioſis Ordinibus, qui Sæculis XIII. & XIV. fuerunt inſtituti, cumulatiſſimè mihi feciſti ſatis. Sed quid Sacri Canones circà Monaſticam Diſciplinam in his duobus Sæculis præcipuè ſtatuerint, mox neceſſe eſt, ut paucis verbis attingas.

M. Nimius profectò forem, ſi ſingula, quæ Sæculis XIII. & XIV. circà Monaſticam Diſciplinam Sacris Canonibus ſancita ſunt, perſequi vellem. Rem totam igitùr paucis abſolvam. In primis, pretium pro ingreſſu Monaſterii, ſeu pro receptione ad Religioſam Profeſſionem exigere ſimoniæ damnant Canones Conciliorum, quæ Sæculis XIII. & XIV. fuerunt celebrata. Si tamen Mona-

Monaſterium tenue eſſet, poterat abſque ſimoniæ labe aliquid accipere pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio recipiebatur. Ita docet S. *Thomas*, qui Sæculo XIII. floruit, & Diſciplinæ Monaſticæ illius temporis teſtis lucupletiſſimus eſſe debet. Sic autem loquitur Angelicus ille Doctor in 4. Sent. Diſtinct.25. Quæſt.2. Art.2. ad 7. *Dicendum, quòd cùm poſſeſſiones alicujus loci Religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo, qui in loco illo vult ſervire Deo, non quaſi pretium Religionis, ſed ut habeat Monaſterium undè ei poſſit provideri, & ideò non committitur ſimonia.* Et in ſua Summa Theologica Secundâ Secundæ Quæſt. 100. Art. 3. in Reſponſione ad tertiam Objectionem, hæc habet: *pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium. Licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiunt Monaſterii opes.* Parentes filios ſuos minorennes, ut conſtat exemplo S. *Thomæ Aquinatis*, Vitæ Monaſticæ Sæculis XIII.& XIV. quandòque devovebant, ſed tamen ad ſæculum redire poterant, niſi anno ætatis decimo quinto Parentum Oblationem confirmarent, ſicut expreſsè definivit *Innocentius III.* in Epiſtola CXVI. libri XV. ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum datâ, ubi ait: *Cautum reperitur in Canone, ut minoris ætatis filii, qui oblati Monaſterio fuerint, ſuſcipientes habitum vel Tonſuram, ſi à Prælatis ſuis anno quintodecimo requiſiti, ſe in aſſumptæ Religionis propoſito conſenſerint permanſuros, pænitendi licentia præcludatur, alioquin eis non adima-*

tur ad ſæculum redeundi facultas, ne coacta præſtare Deo ſervitia videantur. Inoleverat in Gallis Sæculo XIII. graviſſimus abuſus, quo Parentes, ut filios ſuos ab hæreditate arcerent, illos in Monaſteria detrudebant. Contra quem abuſum inſatiabili Parentum cupiditate invectum *Guillelmus* Pariſienſis Epiſcopus lib. *de Moribus* cap.IX. ita ſcribit: *Alii à Parentibus & Propinquis eo modo in clauſtra proiiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos Matres non ſufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non ſpiritualiter, ſed (ut ita dicam) civilitèr moriantur, videlicèt ut portione hæreditaria priventur, & ad eos, qui in Sæculo remanent, devolvatur, & quantum ad hoc Simoniaca eſt hujuſmodi projectio, immerſio, vel intentio*. Quapropter, ut obiter dicam, ſicut meritò culpari debent parentes, qui filios ſuos ab ingreſſu Religionis, quandò vocantur à Deo, præpoſtero affectu, vel intuitu commodi temporalis deterrent, ità vehementer improbari debet ea inſatiabilis cupiditas parentum, qui familiam à plurium liberorum onere liberare volentes, his liberis ingreſſum Religionis procurant, vel quod naturâ ſint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitioſi, vel ut aliis liberis, quos plus diligunt, iſtorum quaſi ablegatione, ampliores relinquant opes. Certè, hunc abuſum Statui Religioſo, & Eccleſiæ valdè infeſtum deplorat S.*Hieronymus* in Epiſtola 8. *ad Demetriadem* his verbis: *Solent miſeri Parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere: tanti, ut dicitur vitrum, quanti margaritum. Certè, qui religioſiores ſibi videntur, parvo ſumptu,*

&

& qui vix ad alimenta ſufficiat, Virginitati dato, omnem cenſum in utroque ſexu ſæcularibus liberis largiuntur. Quod nuper in hac urbe dives quidam fecit Presbyter, ut duas filias in propoſito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad omnem copiam filiorum luxuriæ atque deliciis provideret. Fecerunt hoc multæ, proh dolor, noſtri propoſiti fœminæ; atque utinam rarum eſſet exemplum. Quod quantò crebrius eſt, tantò iſtæ feliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla ſecutæ ſunt.

Religioſos Viros, Ordinum etiam Mendicantium, Sæculis XIII. & XIV. ad curam & regimen animarum, ad Eccleſiæ munera frequentèr aſſumptos, ad Cardinalitiam, Patriarchalem, Archiepiſcopalem, Epiſcopalem dignitatem, immo, aliquos ad Summum Pontificatum fuiſſe provectos teſtantur Eccleſiæ, ſingulorumque Ordinum Annales. Religioſi tamen, qui ad Eccleſiaſticas dignitates erant aſſumpti, ſui Ordinis habitum deferre, & Regulam, Conſtitutionesque, quantùm eo in ſtatu fieri poterat, obſervare tenebantur, ſicut S. *Thomas*, qui Sæculo XIII. floruit, apertè docet Secundâ Secundæ Quæſt. CLXXXV. Art. 3. his verbis: *Dicendum eſt, quod ſi qua ſunt in Regularibus Obſervantiis, quæ non impediant Pontificale Officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas & alia hujuſmodi, ad hæc remanet Religioſus, etiam factus Epiſcopus, obligatus, & per conſequens ad portandum habitum ſuæ Religionis, qui eſt hujus obligationis ſignum.* Addit etiam Sanctus ille Doctor in Reſponſione ad tertiam objectionem, Epiſcopum ex Ordinibus Religioſis aſſumptum *proprium nullo modo habere poſſe, nec*

Teſtamentum facere. Si tamen ex conceſſione Papæ Teſtamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere Teſtamentum; Sed Apoſtolica authoritate intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis, ut ejus diſpenſatio poſſit valere poſt mortem. Ordinibus Religioſorum Mendicantium Sæculis XIII. & XIV. multa Romani Pontifices conceſſerunt Privilegia, quæ in Galliis occaſionem dederunt *Guillelmo à Sancto Amore*, aliiſque ejuſdem furfuris hominibus & Status Religioſi æmulis obtrectatoribus in ruinam illorum Ordinum conſpirandi. Contendebat *Guillelmus à Sancto Amore* in libro, quem edidit, *De periculis Noviſſimorum Temporum*, Religioſos Mendicantes, juxta illud Chriſti Domini dictum *Matthæi* cap. XXIII. *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*, ſibi nullo pacto vindicare poſſe munus Magiſterii, ſeu publicè docendi, prædicandi, Confeſſiones audiendi, aliaque Eccleſiaſtica munia obeundi, ſed illos è commercio & ſocietate hominum omninò ſemotos peccata ſua plangere ac manibus operari debere. Contra hunc Religioſorum Ordinum impugnatorem Opuſculum, ſeu Apologiam, pro Religioſis Ordinibus ſcripſit S. *Thomas*, qui fuit hujus perſecutionis particeps. Probat autem Angelicus ille Doctor, Viros Religioſos munus docendi, ut miniſterium ſuo ſtatui congruum, ſuſcipere poſſe, quia Viri Religioſi magis ſunt ad docendum idonei, utpote qui rerum divinarum contemplationi plus cœteris vacant. Hinc multi Sancti Patres, qui Religioſam vitam profeſſi ſunt, publicè docuerunt, & ad Epiſcopales Infulas fuerunt ſublimati. Si ergo Viri Religioſi Epiſcopale munus, quod eſt maximum in Eccle-

Eccleſia, obire poſſunt, quidni docendi, & prædicandi Officium, quod minus eſt, exercere poterunt? Sanctum *Gregorium Nazianzenum*, licèt Monachus eſſet, Conſtantinopolim adductum fuiſſe, ut ibi Sacram Scripturam doceret, Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria, & Sanctus *Hieronymus* in Epiſtola ad *Ruſticum* Monachum ait. *Sic vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe merearis, multo tempore diſce, quæ poſtmodùm doceas*. Non ergò ab Officio docendi, prædicandi, & Confeſſiones audiendi arceri debent Viri Religioſi, qui ad illud in Eccleſia exercendum ſunt inſtituti, ſicut Ordines Religioſorum Mendicantium. His, & aliis luculentiſſimis rationibus refellit Sanctus *Thomas* Status Religioſi impugnatores, & ad illud Scripturæ Sacræ teſtimonium: *Nolite vocari Rabbi*, quod *Guillelmus à Sancto Amore* obiiciebat, reſpondet Sanctus Doctor, per hæc Chriſti verba non prohiberi quemlibet Magiſterii appetitum, ſed præpoſterum dumtaxat & indebitum Magiſterii deſiderium, à quo abhorrent Viri Regulares, *cùm non appetant Magiſterium, niſi propter publicam utilitatem, nec velint fieri Magiſtri Scholaſtici, niſi de conſenſu Prælatorum ſuorum*. Demùm, Viros Religioſos ad opus manuum non teneri, niſi ſit Regulis & Conſtitutionibus Monaſticis præſcriptum, probat Sanctus *Thomas* contra *Guillelmum à Sancto Amore* multis argumentis, ex quibus hoc unum ſubiiciam: *Qui habent undè aliàs vivant*, inquit S. Thomas, *quàm de labore manuum, quia habent poſſeſſiones, quæ ad eorum vitam ſuſtentandam à Fidelibus collatæ ſunt, vel habent miniſterium prædicationis ſibi commiſſum, de quo vivere poſ-*

ſunt, primæ ad Corinth. cap. 9. Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Similitèr aliqui Religioſi ſunt, qui Eccleſiæ deſerviunt in divino Officio, & de hoc etiam licitè vivere poſſunt. Unde dicitur primæ ad Corinth. cap. 9. Qui altari deſerviunt, cum altari participant. Et adductâ auctoritate S. *Auguſtini* in libro *de Opere Monachorum*, ſubjungit S. Thomas: *Similitèr ſunt aliqui Religioſi, qui Sacræ Scripturæ vacant, & de hoc etiam licitè vivere poſſunt*. Non ergò omnes Religioſi tenentur manibus laborare. Legendus eſt idem Sanctus Doctor Secundâ Secundæ Quæſt. CLXXXVII. Art. I. ubi probat, Religioſos poſſe docere, prædicare, & alia Officia exercere in Eccleſia, & in Artic. III. ejuſdem quæſtionis docet, Religioſos, qui Scripturæ Sacræ ſtudio incumbunt, vel prædicationis miniſterio funguntur, non teneri manibus operari, ſed potiùs ad procurandam ſalutem animarum debere à labore manuum omninò abſtinere. Nec ſolum S. *Thomas*, ſed etiam S. *Bonaventura*, ſplendidiſſimum Ordinis Minorum decus, Sæculo XIII. *Guillelmum à Sancto Amore*, Capitalem Status Religioſi hoſtem, confutavit tam in Opuſculo *de Paupertate Chriſti*, quàm in *Apologia Pauperum*. Undè factum eſt, ut Romani Pontifices Ordinum Mendicantium cauſam Statumq; ſemper protexerint. *Alexander IV* Pontifex Maximus proſcripſit peſtilentem librum *de periculis noviſſimorum temporum*, quem contra Ordines Mendicantium ſcripturierat *Guillelmus à Sancto Amore*, & in eorum gratiam quadraginta Pontificia Diplomata dedit. *Clemens V*. Religioſorum itidem patrocinium ſuſcepit, *probans eos à Deo & Eccleſia vocatos ad auxi-*

lium regiminis Eccleſiæ, licèt tardiùs quàm de multis, etiam eos inter alios vocatos deberi meritò computandos; ut refert Continuator *Guillelmi Nangii* apud *Lucam Dacherium* tomo XI. *Spicilegii*. Nec minus Religioſis Mendicantibus favit *Innocentius VI.* Pontifex Maximus contra *Richardum* Armachanum Archiepiſcopum, & Hiberniæ primatem, ſicut ad annum MCCCLVIII. refert *Thomas Walſinghamus*, qui tamen hìc & quavis datâ occaſione virulento calamo Religioſos Mendicantes perſtringit. Hæc pauca obſervanda eſſe duxi ad vindicandum Statum Religioſum, cujus tanta dignitas ac perfectio eſt, ut S. *Thomas* Quodlibeto III. Quæſt. VI. Art. XVII. pluribus momentis evincat, Religioſos eſſe majoris perfectionis, quàm ſint Presbyteri Parochiales.

Non poſſum etiam, nec debeo hìc prætermittere ſpecialem Ritum, ſeu Diſciplinam, quæ etiamnùm viget in Ordine Fratrum Prædicatorum, & & ex qua imperiti quidam & malevoli homines anſam & occaſionem temerè arripiunt celeberrimum hunc Ordinem calumniandi. Hic autem Ritus, ſeu Diſciplina in hoc conſiſtit, quòd Fratres Prædicatores intèr celebrandum Miſſę Sacrificium ſiniſtrâ manu Corpus Chriſti Domini ſumant. Hunc ritum nonnulli maledici pœnam eſſe dictitant omnibus Fratribus Prædicatoribus à Romano Pontifice impoſitam, eò quòd *Bernardus Politianus*, ejuſdem Ordinis, venenum in Euchariſtia *Henrico VII.* Imperatori porrexiſſet, & ſacrilegum ac parricidiale facinus perpetraſſet. Verùm, hæc putida calumnia eſt, tum quia certiſſimis monumentis, quæ in Colloquio II. adduxi, conſtat, *Hen-*

Henricum VII. Imperatorem non veneno, ſed naturali morte extinctum fuiſſe; tum etiam, quia Ritus ille, quem adhùc obſervant Fratres Prædicatores, dùm ſacrum faciunt, tenendi ſiniſtrâ manu Hoſtiam uſque ad Communionem, ab ipſo Ordinis exordio invaluit, & ante *Henrici VII.* Imperatoris obitum, qui contigit anno milleſimo treçenteſimo decimo tertio. Vidi quippè ipſe, dùm Pariſiis eſſem, antiquum Rituale, quod in Pariſienſi Ordinis Fratrum Prædicatorum Conventu, & Collegio S. *Jacobi* aſſeruatur, & quod an. MCCLVI. manu ſcriptū eſt, in quo ſtatuitur, ut Sacerdos Hoſtiam manu ſiniſtrâ uſq;ad Communionem teneat. Qua ex Rubrica nullus dubito, quin hæc conſuetudo, quæ adhuc apud Fratres Prædicatores obtinet, ſumendi manu ſiniſtrâ Corpus Chriſti, manaverit, cùm Hoſtia ſic fracta commodè ac decentèr à ſiniſtra in dexteram transferri haùd poſſit. Hic autem ritus ſolis Fratribus Prædicatoribus peculiaris eſt, quia Sacram Hoſtiam ſuper Patena non frangunt ac deponunt, ut factitare ſolent ſæculares Sacerdotes, & aliorum Ordinum Regulares, ſed ſuper Calicem frangunt. *Id cæremoniæ*, inquit *Bzovius*, Ordinis Prædicatorum, in Continuatione *Baronii* ad annum MCCCXIII. *Siniſtra communicandi manu datum etiam à Sede Apoſtolica Ordini Prædicatorum, propter triumphatam à Fratribus Berengarianam Hæreſim in contumeliam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ in Europa temporibus D. Dominici, & Petri Martyris reviviſcentem, ut tum poſt* Agnus Dei *ſiniſtra manu ſuper Calicem elevatā Hoſtiam teneant, tunc univerſo populo adorandum Chriſtum Deum verum & hominem ſub ſpeciebus panis & vini præſentem exponerent;*

nerent; tùm ipſi tunſione pectoris interiorem animi latriam oſtenderent in Sacro Sanctum pignus ſalutis. Hunc ſpecialem Ritum ex ſingulari Privilegio Ordini Prædicatorum fuiſſe ab Eccleſia conceſſum, teſtatur itidèm alter ejuſdem Ordinis Scriptor *Leonardus de Utino*, qui floruit circà an. MCCCCXLIV. & in ſuo Quadrageſimali, Sermone 42. hæc habet: *In principio Ordinis noſtri inſurrexit quædam hæreſis aſſerens, non eſſe verum Corpus Chriſti in Altari, niſi quandiù elevatur. Cujus opinionis fuit Magiſter Joannes Wiclef. Ordo autem noſter prævaluit contra hanc Hæreſim, miro modo eam confutando, in cujus ſignum datum eſt Ordini noſtro, ut in Miſſa poſt Agnus Dei ante Communionem tenerent Fratres Hoſtiam elevatam ſupra Calicem, ut ſic adoraretur ab univerſo populo, tanquam verum Corpus & Sanguis Chriſti, & ne deponeretur poſt Communionem.* Et, poſt pauca interjecta, ſubdit idem Scriptor: *Plures Fratres noſtri Martyrio coronati ſunt ab Hæreticis, & dùm eſſem in Concilio Ferrarienſi tempore Eugenii Papæ IV. relatum eſt, plures Conventus noſtri Ordinis funditùs everſos ab Huſſitis in Boemia, & Fratres trucidatos ab eiſdem. Ordo enim noſter valdè inſudavit contra Hæreſes, ad earum extirpationem præcipuè circà hoc Sacramentum Corporis Chriſti.* Sed hæc ſatis dicta ſint ad hanc infamem propulſandam calumniam, quæ diſſimulata & celeberrimo Fratrum Prædicatorum Ordini dedecori, & Eccleſiæ offenſioni verteretur; Si tamen plura eâ de re ſcire deſideres, legeſis librum, quem ann. MDCLXXXVI. edidit *Marcellus de Cavalleriis*, Ordinis Prædicatorum, inſcriptum: *Statera Sacra Miſſam juxtà ritum Ordinis Prædicatorum expendens.*

D. Ex-

D. Expecto nunc pro coronide noſtri Colloquii Synopſim Doctrinæ Moralis Chriſtianæ, & hoc unum ſcire velim, an Doctrina Moralis Chriſtiana ſuam Sæculis XIII. & XIV. puritatem ac integritatem retinuerit, quam in Sæculis præcedentibus obtinuiſſe jam vidimus?

M. Moralem Doctrinam Sæculis XIII. & XIV. avitam ſuam retinuiſſe puritatem, ſat ſuperque probant Opera *S. Thomæ Aquinatis*, qui Sæculo XIII. floruit, & in rebus, quæ ſpectant mores, tritæ Sanctorum Patrum viæ ita adhæſit, ut ab ea nunquam deflexerit. Infinitus profectò eſſem, ſi ſingula percurrere vellem, quæ Angelicus ille Doctor, præſertim in *Secunda Secundæ* ſuæ Summæ Tripartitæ contra Uſuram, Simoniam, Homicidium, & alia id genus vitia moribus oppoſita, methodo perſpicuâ docet, ubique Ethices caſtiſſimæ ſuppeditando Regulas ac præcepta, quibus fidelium mores informari, corrigi & emendari debent. Quatuor dumtaxat, quæ maximè commendant doctrinam Moralem S. Thomæ, & ad ejus puritatem contra emergentes laxitates conſervandam plurimùm conducere poſſunt, hìc generatim annotabo.

In primis, perpetuò docet *S Thomas*, in rebus ſpectantibus mores, neminem excuſari, ſi ſequatur erroneas opiniones alicujus Magiſtri, quia in talibus ignorantia non excuſat. Sic ſuam mentem dilucidè aperit Angelicus ille Præceptor Quodlibeto tertio, Articulo decimo his verbis: *Reſpondeo dicendum, quòd ſi ſtent diverſæ opiniones Doctorum Scripturæ Sacræ, ſiquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinio-*

nionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit ad Romanos cap. 14. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat; alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum. Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus opinionem ſequantur. In rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus, quin immò, ut Auguſtinus dicit in libro 3. de Doctrina Chriſtiana: Conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum plenioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit. Id confirmat S. Thomas Quodlibeto 8. Artic. 13. ubi quærit: *An quando ſunt diverſæ opiniones, de aliquo facto, ille qui ſequitur minus tutam, peccet?* Cui quæſtioni ſic reſpondet Doctor Angelicus: *Reſpondeo dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conſcientiam, etiamſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem aliquis obligatur ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam, & ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum.* Attende, quæſo, ad hæc verba S. Thomæ: *Illud quod agitur contra legem,*

ſem-

ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam, quibus verbis Sanctus Doctor novum probabilitatis commentum, ex quo varii in doctrina Morali pullularunt errores Vaticanis protriti fulminibus, præfocavit. Sic S. *Thomas* Regiâ viâ incedens, certas tutasque ſententias Patribus & Eccleſiæ communes delegit, eoque delectu ſibi ac ſuis diſcipulis ab erroribus, à periculo, aut metu cenſurarum immunitatem comparavit, & proprium fecit veluti ſuæ Scholæ characterem. Voluit quippe Angelicus Doctor, ut ſui Diſcipuli tam à laxis opinionibus & corruptelis doctrinæ Moralis abhorrerent, quàm à rigidioribus ſententiis quorumdam Theologorum, qui zelum habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam, onera importabilia imponunt, aſperiorem reddunt viam ſalutis, & in quæſtionibus ambiguis, in quibus de peccato mortali agitur, ſemper ad rigorem deflectunt, peccatorum mortalium numerum augent, ac nimiâ aſperitate peccatoribus aditum pœnitentiæ ſic præcludunt, ut in cauſa ſint, cur illi in deſperationem ſuæ ſalutis adducti, ſe in præcipitium proripiant, & cum *Juda* fugiant ad infelicem laqueum. Hunc intempeſtivum in doctrina Morali rigorem improbat *S. Thomas* Quodlibeto 9. Art. 15. ubi docet, periculosè determinari quæſtiones, in quibus agitur de peccato mortali: *Omnis quæſtio*, inquit, *in qua de peccato mortali agitur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur, quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licèt fortè à tanto. Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale.*

tale. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt &c. In delectu itaque opinionum, præ cæteris, qui Summas Caſuum conſcientiæ conſcripſerunt, ſequere *S.Thomam*, & non minùs à laxioribus, quàm à rigidioribus declina ſententiis, quas in Scholas invexerunt, & hominum generi propinarunt recentiores Caſuiſtæ. Utere etiam prudentiſſimo conſilio, quod olim Cardinalis *Bellarminus* dedit Epiſcopo Theanenſi nepoti ſuo in Opuſculo quod ad ipſum direxit, ubi hæc habet: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere; & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, cùm de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

Alterum, quod circà Doctrinam Moralem S. *Thomæ* obſervare debes, ſpectat magnum dilectionis divinæ præceptum, quod ſi totius Moralis Chriſtianæ Compendium, Evangelii Summam, legis finem, & ſolidæ pietatis principium dixeris, à veritate non aberrabis. Hoc autem de dilectione divina præceptum adeò neceſſarium eſſe exiſtimavit *S. Thomas*, ut 1. 2. quæſt.89. art.6. doceat, teneri omnem creaturam rationalem in primo rationis diluculo ad Deum ſe convertere, illum ceù ultimum finem agnoſcere, & primitias amoris

ſui

ſui ei conſecrare: tunc enim inquit Angelicus Doctor, *primum quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt deliberare de ſeipſo*. Quibus verbis innuit S. *Thomas*, in illa prima rationis aurora Solem inviſibilem, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, pias immittere cogitationes deliberandi de ſe, quibus intimatur, & veluti promulgatur lex naturalis; cui legi obtemperans, *ſi ad debitum finem ſe ipſum ordinaverit, per gratiam conſequetur remiſſionem peccati originalis; ſi verò non ordinet ſeipſum ad debitum finem, ſecundùm quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt*. Cùm igitur homines, dum ipſis affulgere incipit rationis crepuſculum, ad dilectionis divinæ præceptum obſtringantur, neceſſe eſt, ut omnibus incumbat obligatio divinæ illius Legis: *Diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*. Sed quo pacto à nobis impleri debeat divinum iſtud præceptum, luculentèr juxtà ac ſolidè explicat idem *S. Thomas* opuſculo 18. cap. 5. his verbis: *alio modo ex toto corde, mente, anima, & fortitudine Deum diligimus; ſi nihil nobis deſit ad divinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum non referamus, & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primò quidem, ut omnia in Deum referat, ſicut in finem, ſicut Apoſtolus dicit 1. ad Corinth. cap. 10. Sive manducatis, ſive bibitis, omnia in gloriam Dei facite: quod quidem impletur, cùm aliquis vitam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, & per conſequens omnia quæ per ſe ipſum agit, omnia virtualiter ordinantur in Deum, niſi ſint talia, quæ ab eo abducant, ſicut ſunt peccata, & ſic Deum diligit homo ex*

I... *toto*

toto corde. Secundò, ut intellectum ſuum homo ſubjiciat, ea credens quæ divinitùs traduntur, ſecundùm illud Apoſtoli 2. ad Corinth. cap.10. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: & ſic Deus diligitur ex tota mente. Tertiò, ut quæcumque homo amat, in Deo amet, & univerſaliter omnem ſuam affectionem ad Dei dilectionem referat. Unde dicebat Apoſtolus 2. ad Corinth. cap.5. ſive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis: Charitas enim Chriſti urget nos: & ſic Deus ex tota anima diligitur. Quartò, ut omnia exteriora noſtra verba & opera ex divina charitate firmentur, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. ultimo: Omnia enim veſtra in charitate fiant: & ſic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic eſt ergo tertius perfectæ dilectionis modus, ad quem omnes ex neceſſitate præcepti obligantur. Eamdem veritatem inculcat *S. Thomas* in Quæſtionibus diſputatis, quæſtione *de Charitate* art.11. ad 2. & in ſua Summa Theologica, ſeu 2. 2. quæſt.44. art.4. Diſce itaque à S. Thoma, Scholæ Angelo, modum adimplendi divinæ dilectionis præceptum, cujus neceſſitatem clamat ipſa natura, & hanc naturæ vocem Sacræ Scripturæ paginæ altiùs inſonant, omneſque hiſtoriæ, prophetiæ, figuræ, myſteria, minæ, & documenta nihil aliud agunt, quàm ut diligendi Dei præceptum omnium animis penitiùs infigant, doceantque, totum animum noſtrum ſoli Deo caſtâ ac gratuitâ charitate eſſe conſecrandum. Hinc jure merito Romani Pontifices quaſdam flagitioſas damnarunt propoſitiones, quæ ad negandum maximum divinæ dilectionis præceptum apertè collimare videbantur. *Alexander VII.* anno MDCLXV. hanc propoſitionem

proſcripſit: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium*. Idem opinionis monſtrum contrivit *Innocentius XI.* quandò anno MDCLXXIX. probroſo ſtigmate confixit has propoſitiones: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus*. Item: *Probabile eſt, nec ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*. Item: *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus*. Denique, *Alexander VIII.* Pontifex Maximus, anno MDCXC. hanc ſacrilegam damnavit propoſitionem: *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu, neque in fine vitæ ſuæ mortalis*, Quæ propoſitiones, ut nemo non videt, totam ſimul Chriſtianam Religionem evertunt, Incarnationis conſilium deſtruunt, omnium myſteriorum fructum evacuant, delent Scripturas omnes, omnium errorum virus complectuntur, & cor ipſum Religionis invadunt.

Tertia obſervatio generalis, quam hìc attexere animus eſt, & quâ præcipuè commendatur puritas doctrinæ Moralis *S. Thomæ*, verſatur circà diſpoſitiones, quas neceſſarias eſſe docet Angelicus Doctor ad conſequendam in Sacramento Pœnitentiæ remiſſionem peccatorum. Sic enim Sanctiſſimus Præceptor 3. part. quæſt.85. art.5. in quo in-

inquirit: *utrum principium pœnitentiæ ſit ex timore?* Statuit in quo ſita ſit vera pœnitentia: *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quòd de pœnitentia loqui poſſumus duplici modo, quantùm ad habitum, & ſic immediatè a Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus, non tamen ſine nobis diſpoſitivè cooperantibus per aliquos actus. Alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundùm illud Thren. ult.* Converte nos, Domine, ad te, & convertemur. *Secundus actus eſt motus fidei, tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet, ſecundùm ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit, ſicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, ſicut ab immediato & proximo principio.* Viden, Sanctum *Thomam* actuum pœnitentis ſeriem præformando expreſsè affectum dilectionis requirere, eumque charitatis nomine donare, ac ſubindè in Sacramento pœnitentiæ neceſſarium eſſe ad remiſſionem peccatorum actum initialis amoris Dei ſuper omnia dilecti, ſicut apertè declarat idem Sanctus Doctor 3. parte, quæſt.86. art. 3. his verbis: *Unde non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia di-*

lectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) ſequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret. Et ſanè, ut homo ſit verè pœnitens, debet primò dolere de peccato, ut eſt offenſa Dei, injuria Deo illata, & privatio amicitiæ ejus. Secundò, debet ſe convertere ad Deum, juxta illud *Joelis* Prophetæ cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Denique, oportet ut ejus voluntas recedat à peccato. Porrò hæc tria pœnitens habet cum Sacramento Pœnitentiæ per motum inchoatę dilectionis divinæ. *Mens* quippè *noſtra*, ut ait S. *Thomas* lib. 4. contra Gentes c. 72. *debitè ad Deum converti non poteſt ſine charitate*. Præterea, *Actus, quo alicui diſplicet peccatum propter ſeipſum, eſt motus charitatis*, ut ait idem Sanctus Doctor loco mox citato, ſeu 3. parte quæſt. 85. art. 5. Demùm, *qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicut voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet à peccato*, ut inquit S. *Thomas* 1. 2. qu. 107. art. 2. ad 1. Non poteſt igitur juxta principia S. *Thomæ* fieri in Sacramento pœnitentiæ remiſſio peccatorum ſine aliquo actu initialis amoris Dei. Hæc doctrina de neceſſitate dilectionis divinæ in Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam remiſſionem peccatorum, connexa omninò eſt cum ſententia S. *Thomæ* docentis, ut ſuperiùs diximus, teneri omnem creaturam rationalem in primo rationis diluculo ſeſe convertere ad Deum, ut ultimum finem, eumque diligere. At enim, ſi puer tenetur in primo rationis diluculo ad Deum ſincero corde ſeſe convertere (converti autem non poteſt ad Deum, & in illum ſe ſuaque omnia referre abſque amore) à fortiori peccator, qui poſt patrata

ta flagitia novitatem vitæ inire vult, ad Deum aſtringitur amore converti.

Ultimò, circa Doctrinam Moralem S. *Thomæ*, duas potiſſimùm Regulas obſervare debes, quas præſcribit Angelicus ille Doctor ad dignè adminiſtrandum, vel percipiendum Euchariſtiæ Sacramentum apprimè neceſſarias. Prima Regula hæc eſt: *Si peccatum eſt manifeſtum, debet denegari Euchariſtia, ſive in occulto, ſive in manifeſto petat*. Ita docet S. *Thomas* in 4. Sentent. diſtinct. 9. art. 5. in Reſponſ. ad 1. quæſt. Ex qua S. Doctoris Regula ſequitur primò, publicè criminoſos, manifeſtèque infames à Sacra Communione arceri omninò debere, videlicèt meretrices, publicos concubinarios, fœneratores, magos, ſortilegos, blaſphemos, hiſtriones, & joculatores notorios, aleatores, & eos, qui choreas agunt, ſuisque geſtibus & cantilenis ad libidinem ſe & alios provocant, necnon eos, qui odia & inimicitias exercent, vel qui in aliqua peccandi occaſione verſantur. Secundò, ex hac S. *Thomæ* Regula ſequitur, mulieres, quæ impudicè & inhoneſtè ſe ornant, crinibus, coloribus, veſtibus, non ut ſuis maritis placeant, ſed ut adſcititiis ornamentis oculos hominum in ſe convertant, eisque offenſionis & damnationis laqueos parent, ad Sacram itidem Communionem admitti non debere. Hinc *Innocentius XI.* Pontifex Maximus, anno MDCLXXXIII. die xxx. Novembris Edictum Romæ promulgavit, quo diſtrictè præcepit, ut mulieres, cujuſcumque gradus & conditionis ſint, in plateis, & in aliis locis publicis, ſed præſertim in Eccleſiis, indutæ appareant non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus, non crinibus inanitèr

intortis, non fuco ac pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, ſed ita veſtito, ut ne præter faciem quidquam cernatur, ſimulque prohibet Sanctiſſimus ille Pontifex Sacerdotibus, ne hujuſmodi mulieres, quæ humeris, pectore, mammillis, brachiisve nudatis ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere non formidant, conſtanti cordis robore ac zelo muniti, Divino Sacramento paſcant.

Altera Regula S. *Thomæ* hæc eſt: *Euchariſtiæ Sacramentum poteſt conſiderari ex parte ſumentis; in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideò ſi aliquis ſe quotidiè ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quòd quotidiè ſumat. Unde Auguſtinus, cùm dixiſſet: Accipe quotidiè, ut quotidiè tibi proſit, ſubjungit: Sic vive, ut quotidiè merearis accipere. Sed quia multotiès in pluribus hominum impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum. Unde in libro De Eccleſiaſticis Dogmatibus dicitur: Quotidiè Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero;* ita docet Angelicus Doctor 3.par.quæſt.80.art.10. ubi quærit, *utrùm liceat quotidiè Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere?* Ab hac Regula, in qua Doctor Angelicus, poſt Sanctos Patres, magnam animi ſanctimoniam ad ſacram quotidiè percipiendam Euchariſtiam requirit, & ſingularem diligentiam, curam, & reverentiam in parando ad ejus ſuſceptionem animo poſtulat, omninò receſſerunt moderni aliquot Caſuiſtæ, qui vel maximè indignos, & di-

& divinæ gratiæ inaniſſimos homines ad Sacram Communionem impellebant, ut patet ex hac horrenda propoſitione, quæ ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo anno MDCLXXIX. proſcripta fuit: *Frequens Confeſſio & Communio, etiam in his, qui gentilitèr vivunt, eſt nota Prædeſtinationis*. Certè hæc propoſitio recentèr invecta, & toti retro antiquitati Patrum ignota, quæ quoslibet ſui & Mundi amore tumentes, ac gentilitèr viventes ad tremendum myſterium per nudam peccatorum confeſſionem admittit, tantùm abhorret & diſtat à doctrina S. *Thomæ*, quantùm lux à tenebris, à die nox, & Oriens diſtat ab Occidente.

Plura non dicam de Doctrina Morali, quâ S. *Thomas* Sæculo decimo tertio Eccleſiam illuſtravit, quamque in ſequentibus ſæculis complexi Catholici Doctores Theologiam Moralem illibatam conſervarunt, exitialem morum depravationem profligarunt, ac maximâ ſollicitudine caverunt, ne benè fundata antiquitas ſceleſtâ novitate ſubrueretur, ne Superiorum inſtituta violarentur, ne reſcinderentur ſcita Patrum, ne convellerentur definita Majorum, ſed ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites prophanæ, ac novellæ curioſitatis libido contineretur. Hinc *Alexander VII.* Pontifex Maximus, ut oſtenderet, quantùm deteſtaretur perverſa quorumdam laxiorum Caſuiſtarum dogmata, quibus mores & Diſciplina Chriſtiana corrumpuntur, & Evangelio penitùs contraria invehitur morum diſſolutio; vehementèr optabat, ut aliquis Ordinis Dominicani Theologus Doctrinæ Moralis Regulas non ex modernorum Caſuiſtarum libris excerptas, ſed ex ſa-

cris litteris, ex Decretis Romanorum Pontificum, ex Conciliorum Canonibus, ex Operibus Sanctorum Patrum, ex libris doctiorum Theologorum, SS. *Thomæ*, *Raymundi*, *Antonini*, & ex Inſtructionibus S. *Caroli Borromæi* hauſtas traderet, & ad eas omnes Theologi in dirigendis fidelium moribus communia Placita conformarent. Ut igitur in ſana Eccleſiæ Romanæ morum doctrina ſanus atque integer permanere poſſis, chariſſime diſcipule, uni firmitèr adhære S. *Thomæ* doctrinæ morali, quam Summi Pontifices maximis elogiis commendarunt. Coacervent ſibi, qui voluerint, Magiſtros prurientes auribus: Tu ſequere Sanctum *Thomam*, Scholæ Angelum, qui unus pro decem millibus computatur, ſimilis huic Angelo, qui, ut ait Propheta *Daniel* cap. 10. v. 6. ita loquebatur, ut ejus verba viderentur à multis unà loquentibus prolata: *Vox Sermonum ejus, ut vox multitudinis*. Vox ſiquidem S. *Thomæ*, Sanctorum omnium Doctorum vox eſt, quorum doctrinam ſectatus eſt, expoſuit, illuſtravit, roboravit, &, ut verbis utar *Petri Labbei* doctiſſimi Societatis *Jeſu* Scriptoris, *collegit S. Thomas in ſua Summa quidquid doceri poteſt, aut ſciri. Incluſit Ambroſios, Hieronymos, Gregorios. Incluſit ſe ipſum, major ſe ipſo & minor. Epitomen fecit alienæ Sapientiæ, & Summam ſuæ. Didicit omnes, qui Thomam intelligit, nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit.* Vox itaque S. *Thomæ* eſt vox multitudinis, & dùm eam audimus, Sanctorum omnium Doctorum vocem nobis audire videmur. Felicem te! Si inter tot diſcrimina, quę paſſim in Diſciplina morum occurrunt, Ducem tibi adſciveris S. *Thomam*, qui vias tuas di-

diriget, pericula deteget, ſalebroſa complanabit. Abſque eo Duce quàm periculoſum ſit arduam iſtam aleæque plenam ſuſcipere provinciam, diſce exemplo multorum, qui in doctrina morum nullius Ducis & rectoris veſtigia ſequentes, per inextricabiles tenebras oberrarunt, & pręeunte ratiuncularum fallaci fulgore deluſi, in varia præcipitia dilapſi, cæci facti ſunt & duces cæcorum: *Ducem & rectorem non habere malum eſt, & multarum calamitatum argumentum, neç non inordinatæ perturbationis & confuſionis principium. Quemadmodùm enim ſi Coryphæum & ducem ſuſtuleris, non erit amplius Chorus concinnus & ordinatus; & ſi à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit ampliùs ordinata acies; & ſi à navigio ademeris Gubernatorem, navem demerges: ita malum quidem eſt, atque everſionis occaſio rectore carere*. Verba ſunt S. *Joannis Chryſoſtomi* Homil. XLIII. in Epiſtolam ad Hebreos. Quæ cùm ita ſint, Chariſſime diſcipule, fac ut *doctrina S. Thomæ non recedat ab ore, non recedat à corde, quia ipſam ſequens, non devias; ipſam cogitans, non erras; ipſam tenens, non corruis; ipſam loquens, non mentiris; ipſi ſtudens, ad veritatem pervenis*, ut teſtatur *Clemens VI.* Pontifex Maximus in Sermone *de S. Thoma*, cujus thema, *Ecce pluſquam Salomon hic*.

D. Non opus eſt, ut mihi ſtimulos ſubdas ad ſectandam doctrinam S. *Thomæ*, quem tanquàm Magiſtrum audit, ac certatìm præclaris encomiis exornat omnis eruditorum hominum natio. Hunc quippè Angelicum Doctorem, divinæ mentis fideliſſimum Interpretem, cui quidquid ſcio lubens acceptum refero, Ducem, & in ſtudiis meis Re-

cto-

ctorem hactenus ſecutus ſum , & ejus doctrinæ aſſurgere , faſceſque ſubmittere ſemper gloriabor , eam in ſpem certiſſimè erectus , fore ut , quemadmodùm *Tobias* , Angeli ductu & ope adiutus,iter, quod ſuſceperat , auſpicatò confecit , & immanem ex aquis erumpentem piſcem impavidus vivum arripuit ac exenteravit ; Sic ipſe S. *Thomæ*, Scholæ Angeli,pręſidio fretus,ſtudiorũ meorum curſum felicitèr abſolvam, & munitus Sanctiſſimi illius Præceptoris doctrinâ,ex qua,ut legitur Cantici Cantic. cap. 4. v. 4. *mille clypei pendent , omnis armatura fortium* ,omnia errorum monſtra intrepidus confodiam ; Faxit Deus , Optimus Maximus , ut ſectando S. *Thomæ* doctrinam , virtutes ejus æmulari poſſim , vitam caſtiſſimam , Orationem aſſiduam , humilitatem ſingularem,charitatem heroicam, rerum humanarum contemptum , nihilque præter Deum , quem Sanctus ille Doctor unicè concupivit , & felicitèr conſecutus eſt , deſiderem, ac tandèm ſolam Dei gloriam , & Eccleſiæ utilitatem unicum mihi ſtudiorum ac laborum meorum fructum proponam . Eò collineat votorum meorum Summa .

Finis Tomi quinti .

M E N D A,

Quæ irrepſerunt in Editionem hujus Tomi Quinti in Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

MENDA			CORRIGE.
Pag. 11.	Lin. 22.	ſucceſiit	ſucceſſit
29.	11.	*Radolphus*	*Rodulphus*
152.	22.	MCCXVI.	MCCXXVI.
228.	9.	*Gregorii XI.*	*Gregorius XI.*
235.	10.	in quo	in qua
247.	27.	propugnatos	propugnatas
263.	23.	ac	ad
282.	27.	melleus	malleus

Alia, ſi quæ occurrent, leviora menda, facili negotio inter legendum emendabis, tuaque humanitate, ſtudioſe Lector, ultrò condonabis.

ADverte etiam, benigne Lector, nonnulla in hocce Tomo V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ jam typis edito fuiſſe à quibuſdam deprehenſa, quæ hic correctione, aut explicatione aliquâ indigere viſa ſunt.

Primò, pag. 77. lin. 28. dico, *Innocentium III.* creatum fuiſſe Cardinalem à *Cæleſtino III.* Quâ in re, ut ingenuè fatear, lapſum memoriæ paſſus ſum. *Innocentius* quippè *III.* non fuit creatus Cardinalis à *Cæleſtino III.* ſed à *Clemente III.* Deceſſore *Cæleſtini III.* Cardinalium albo adſcriptus eſt, ut videre eſt apud *Platinam*, *Ciacconium*, & alios, qui de Vitis Romanorum Pontificum, & Cardinalium ſcripſerunt. Sed *Opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.*

Secundò, pag. 178. decem recenſeo articulos Concilii Pariſienſis, quorum poſtremus his ver-

verbis conceptus eſt: *Malus Angelus & Adam habuerunt, unde poſſent ſtare, etſi non unde poſſent proficere*. Quibus verbis prædicta Synodus innuere dumtaxat voluit, malum Angelum, & Adamum habuiſſe auxilium ſufficiens, ſeu *auxilium ſine quo non* perſeverare poterant, ſed non habuiſſe auxilium efficax, ſeu *auxilium quo* perſeverarent, uti docet S. *Auguſtinus* in libro *de Correptione, & gratia* Cap. xi. & xii.

Tertiò, pag. 397. dico, S. *Dominicum* Ordinis Prædicatorum Fundatorem, omnigenâ quidem literaturâ præditum fuiſſe, nullum tamen ediſſe librum. Aſt, nolens cum nemine ſuper hac re contentioſum ducere funem, nec quidpiam decerpere de gloria Sanctiſsimi illius Patriarchæ (quem, ut meum amantiſsimum Patrem, impenſiſsimè colere eximiæ felicitatis & ſummo ſemper honoris loco ducam) ampliſsimam Lectori poteſtatem permitto amplectendi ſententiam eorum, qui S. *Dominicum*, de Eccleſia optimè meritum, inter clariſsimos Sæculi XIII. Scriptores referendum eſſe cenſent.

Quartò, pag. 410. aſſerò, S. *Thomam*, Doctorem Angelicum, cùm è Caſtro, in quo à Matre, ſuiſque fratribus captivus detinebatur, dimiſſus eſt; ſtatim Coloniam miſſum eſſe, ut ſub *Alberto Magno* Philoſophiæ & Theologiæ operam daret, quod nullo pacto adverſatur Breviario Romano, in quo ad diem vii. menſis Martii legitur, S. *Thomam*, ſtatim ac è Caſtro dimiſſus eſt, Lutetiam Pariſiorum fuiſſe profectum, ſed potiùs utrumque cum veritate Hiſtoriæ optimè cohæret. Nam S. *Thomas* liber è Caſtro dimiſſus Pari-

riſios quidèm à *Joanne Teutonico*, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, ductus eſt, non ut ibi Philoſophiæ & Theologiæ ſtudio incumberet, ſed ut in Capitulo Generali eâ in Urbe celebrando ipſi de Collegio, ſeu de Studio Generali provideretur, quò factum eſt, ut Pariſiis confeſtim ſecedens S. *Thomas*, Coloniam miſſus fuerit, ut ſub *Alberto Magno* Philoſophicis & Theologicis excoleretur Diſciplinis, ſicut teſtantur *Guillelmus de Toco*, teſtis ſuppar, & vitæ S. *Thomæ* Scriptor antiquiſsimus, necnon S. *Antoninus* 3. part. Chronicorum tit. 22. cap. 7. parag. 4.

Quintò, pag. 522. Affirmo poſt doctiſsimum *Mabillonium*, Salutationem Angelicam Sæculo dumtaxat Eccleſiæ XI. frequentari cœpiſſe, ſed hoc intelligendum velim de Horis, ſeu precibus Canonicis, quibus antè XI. Sęculum poſt Orationem Dominicam necdùm adjecta erat Salutatio Angelica, ſicut ex antiquiſsimis cùm Monachorum, tùm Religioſorum Ordinum Statutis evincit à me laudatus *Mabillonius*. Non eo tamen inficias, Salutationem Angelicam eſſe in Eccleſia antiquiſsimam, ac ſæpiùs à Sanctis Patribus fuiſſe uſurpatam, præſertim à S. *Cyrillo* Patriarcha Alexandrino, qui præfuit Concilio Oecumenico Epheſino contra Hæreſiarcham *Neſtorium* anno CCCCXXXI. celebrato.

Sextò, pag. 561. aſſero, omnes hiſtorias, Prophetias, Myſteria docere, totum animum noſtrum ſoli Deo caſtâ ac gratuitâ charitate eſſe conſecrandum; abſit tamen ut his verbis excludere voluerim amorem ſpei, per quem Deum diligimus, ceù mercedem & objectivam Beati-

tu-

tudinem noſtram, cùm S. *Auguſtinus* pluribus in locis amorem ſpei commendet, præſertim Enarratione in Pſalmum 134. ubi hæc habet: *Sic amare debes, ut ipſum*, ſcilicet Deum, *pro mercede deſiderare non deſinas, qui ſolus te ſatiet, ſicut Philippus deſiderabat, cùm diceret; Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*.

Poſtremò, non ſolùm in hocce Tomo, ſed in quatuor aliis prioribus, compello interdum cum aliquo honoris titulo aliquot Scriptores, quorum Opera fuerunt Romæ cenſorio ſtigmate confixa, non quòd eorum mihi probetur doctrina, quæ ab Eccleſia proſcripta eſt, ſed quòd ex ipſis certa quædam poſsint hauriri documenta, quæ antiquitati illuſtrandæ, Catholicæ Religionis veritati aſſerendæ inſervire, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ haud modicam lucem affundere poſſunt.

Digitized by Google

Google